BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA,

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM,

CUM NOTIS ET INDICIBUS.

On souscrit à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, boulevard Italien, n° 22, en face des Bains Chinois.

BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Fbg. St.-Germ.

F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.

AUG. RENOUARD, libraire, rue St.-André-des-Arcs, n° 55.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

JUSTINI

HISTORIÆ PHILIPPICÆ

EX TROGO POMPEIO.

E TYPIS CRAPELET.

JUSTINI

HISTORIARUM PHILIPPICARUM

EX TROGO POMPEIO

LIBRI XLIV.

TEXTUM WETZELIANUM,

TABULAS CHRONOLOGICAS, ARGUMENTA,
PROLOGOS, NOTAS,

INDICES RERUM ET VERBORUM,

NOVIS ADDITAMENTIS ILLUSTRAVIT

N. E. LEMAIRE.

PARISIIS
COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE
POESEOS LATINÆ PROFESSOR.

MDCCCXXIII.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE.

Quum tam multi eruditissimi viri in hac edenda Justini epitome felicem operam contulerint, nempe, ut ab ea quæ omnino Trogum Pompeium aboleverat vetustate, saltem abbreviatorem integrum et intactum vindicarent; nobis nunc minime animus fuit, ut illorum virorum laborem æmulari, *tenues grandia*, susciperemus : at certe mentem subiit hæsitatio, quo potissimum duce et auspice, in aleam descenderemus; et quisnam nobis quasi laboris materiam suppeditaret, nostræque diligentiæ subveniret, simul grande præsidium et decus.

Nobis igitur dubitantibus circumspicientibusque, quum adessent tot viri optime meriti de Justino, inprimis Bongarsius, M. Berneccerus, Grævius, Schefferus, duoque Gronovii, instructi omnes omni doctrinarum suppellectile; præ his tamen eligendus fuit recentissimus Wetzel, qui temporum felicitate usus, acceptam a prioribus materiam meliori ordine digessit, et propriis

auxit divitiis : quique præcipue cæteris eo præstare nobis visus est, quod (difficillimum inter eruditos) retinuit ex eruditione modum. Quam autem in tractando Justino exquisitissimi vir ille judicii viam sequutus sit, non melius possim exponere, quam parte præfationis relata, Justinianæ editioni ab eo præmissæ.

« In ipsius (Justini) textu constituendo, inquit Wetzel, Grævium sum sequutus; a quo tamen multis in locis discessi, quod quævis pagina tibi ostendet notas percurrenti : quamquam id non semper indicavi, quum Codices sequutus sim, qui lectionem potiorem mihi viderentur exhibere...... »

« In illustrando scriptore, quum difficultates, quæ verborum structura, sententiarum obscuritate, et alia tali caussa oriuntur, editori sint tollendæ, his subvenire volui in notis substratis. Cætera, verborum formularumque interpretationem in Indicem rejeci, in quo multum mihi profuit Fischerianus, congestus a Freinshemio, auctus a Vorstio et Scheffero, translatus a Fischero ex editione Grævii..... »

« Scriptor autem noster quum sit historicus, quæ universe ad historiam illustrandam pertinent, ea in notis dixi..... Equidem hujus, quem scriptor meus sibi proposuit, finis non

« immemor, ad illustrandam historiam nonnisi « ea addidi, quæ huic rationi convenirent, id « est, quæ non minus breviter eam, quam « scriptor breviter attigit, rem illustrarent, « neque ex Justino Trogum refingerent, sed te, « carissime Lector, in Justino celeriter perlus- « trando ducerent, pluraque cognoscendi cupi- « dum ad fontes, unde haurire possis sitimque « restinguere, ablegarent.

« Atque huic eidem brevitati in notis textui « substratis studens, Indicem historicum.... ab « Indice latinitatis separavi, diligentissime con- « gestum, indeque longe Fischeriano locuple- « tiorem, longeque adcuratiorem addidi.... »

« Quod idem spectavi in Tabulis Chronolo- « gicis, quas ipse denuo concinnavi, quum, « quas Bongarsius dedit Excerptiones Chrono- « logicas ad Justini historiam accommodatas, « illæ parum aptæ mihi viderentur. »

Nunc quam peculiarem huic Wetzelianæ editioni operam nos adjecerimus, paucis dicendum.

Textum primum, qualem emendatissimum, atque ex Grævio refictum ediderat Wetzel, totum accepimus; nisi, mutata sæpius interpungendi ratione, post collatas nostrorum Codicum lectiones.

Commentaria etiam, qualia textui substra-

verat Wetzel in propria editione, integra intactaque retulimus : in quibus auctor, ut supra ipse dixit, quam brevissimus esse laboravit. At communi humanæ infirmitatis lege, sæpius, ut Horatius inquit, *in vitium ducit culpæ fuga :* ita ut, dum continuo Wetzel brevitati studet, obscura interdum, aut manca decurtatave commentaria fieri, confitendum sit. Ut igitur, quantum in nobis fuit, nos obscuriori et manco, fessove et dormitanti suppleremus, selectis variorum commentariis, si quas omissas novas lectiones sententiæ vis aut antiquitas libri commendaret, notis intermiscuimus : si abstrusus perplexusque sensus explicandus superesset, interpretati sumus : si quando acceptus Wetzeliano Codici sensus nobis non optimus videretur, libere dissensimus : si necessaria quædam nota omnibus in commentariis desideraretur, invenimus : si quæ ex aliis priscis scriptoribus laudanda nobis similia loca viderentur, laudavimus, nec non retulimus : atque demum, ne, decimo nono sæculo, ex priscæ tantum eruditionis adparatu nova hæc editio decus traheret, Gallicos interdum auctores, quod ad mores historiamque pertineret, contulimus, locupletissimosque prorsus testes excitavimus, inprimis *Bossuet*, *Montesquieu*,

Barthélemy; quos quidem post se laudari, non præclarissima antiquæ Græciæ Italiæve ingenia succensebunt. Ab iis autem notis quæ in Wetzeliano Codice invenimus, ut super additæ omnes distinguerentur, hoc signo ED. usi fuimus, quo indicatur, notas omnes, quibus illud subest, aut integras ab editore ex Variorum commentariis collectas fuisse, aut quum in iisdem commentariis prolixiores essent, concinnatas, aut e proprio fonte depromtas. Tempora etiam ad marginem Wetzeliani Codicis adscripta propter hujus editionis pulchritudinem in notis rejecimus : ita ut, quæ in Codice Wetzeliano epochæ ex margine ad varios Justini paragraphos respiciunt, in editione nostra notis ad eosdem paragraphos respicientibus submittantur.

Quod ad scripturam pertinet, ex usitata in probatissimis Codicibus scribendi ratione dedimus *paullo*, *caussa*, *sæculum*, *prælium* : ex analogia *sequutus*, *loquutus*, *quum* : ex etymologia *cælum*, *hyems*, *numus*, *litus*, *lacryma*, *solicitus*, *cæteri*, *inprimis*, *solenne*, *tropæum*, *convicium*, *adparatus*, *exsilium*, *exspectare*, *adferre*, *exstare*, et ejusdem modi cætera. In corruptis pluribus nominibus propriis etymologiam Græcam sequuti sumus, exempli gratia, *Thomyris* ex Herodoto (Τομύρις), quum alii

varient in *Thomyris*, *Tomeris*, *Tamyris*, *Tamiris*, *Thameris*, *Tamaris*. Contra autem, Latinorum sequuti consuetudinem, adspiravimus nomina *Hadrias*, *Hamilcar*, *Hannibal*, *Hammon*, sine *h* Græcis pronunciata.

Nil dicendum de additamentis, scilicet Prolegomenis, Prologis, et Indicibus : quæ quidem fere omnia intacta habuimus, nisi quod, de Justino testimonia tum veterum tum recentiorum scriptorum Prolegomenis præmisimus; paucissimas ad Prologos notulas subjecimus; et in Indicibus, quæ Germanice explicaverat Wetzel, Gallice expressimus.

Sed longiore te præfatione moramur, optime Lector : quamquam tamen in ipso statim operis limine de propositi nostri ratione te admonitum voluimus. Si quid ergo bene de Justino meriti simus, benigne interpreteris; si quid mendosum mancumve reliquimus, ignoscere velis, eruditissime Lector, qua nos decet modestia, rogamus. Scribebam Parisiis, mense martio, MDCCCXXIII.

N. E. L.

Not. Inter codices ex quibus Wetzelianum textum recensuimus notandus est unus Thuanæus Regiæ Bibliothecæ : quem MS. optimæ notæ fuisse testatur Jac. Gronovius ad Arrianum lib. II cap. 2, de Exped. Alex. not.

DE JUSTINO
TESTIMONIA ET JUDICIA,*
LATINE ET GALLICE SCRIPTA.

TESTIMONIA VETERUM SCRIPTORUM,
LATINO SERMONE CONSCRIPTA.

HIERONYMUS,
PROŒMIO IN DANIELEM.

Ad intelligendas autem extremas partes Danielis multiplex Græcorum historia necessaria est, etc. præcipueque nostri Livii, et Pompeii Trogi, et Justini, qui omnem extremæ visionis narrant historiam; et post Alexandrum, usque ad Cæsarem Augustum, Syriæ et Ægypti, id est, Seleuci et Antiochi, et Ptolemæorum bella describunt.

AUGUSTINUS,
DE CIVITATE DEI, LIB. IV, CAP. VI.

Justinus qui Græcam, vel potius peregrinam, Trogum Pompeium sequutus, non Latine tantum,

* Ex iis quæ hic referuntur de Justino testimoniis plura iterum infra occurrunt Proleg. cap. 1; ubi veterum scriptorum de Trogo Pompeio fragmenta judiciaque collegit Wetzel: quia scilicet, apud multos auctores de Trogo Pompeio simul, et de epitomatore Justino testimonia conjunguntur. Sic et in his quæ de Justino præcipue referuntur, de Trogo etiam sæpius agitur in excessu. ED.

sicut ille, verum etiam breviter scripsit historiam, opus librorum suorum sic incipit : *Principio rerum....* etc. Paullo post hæc subjicit Augustinus : Qualibet autem fide rerum, vel iste, vel Trogus scripserit, nam quædam illos fuisse mentitos, aliæ fideliores literæ ostendunt, constat tamen, et inter alios scriptores, regnum Assyriorum a Nino rege fuisse longe lateque porrectum.

PAUL. OROSIUS,

LIB. I, CAP. VIII, DE FAME ÆGYPTI CUI JOSEPHUS SUBVENIT.

... Pompeius historicus, ejusque breviator Justinus docet.

IDEM, CAP. X.

Ait enim Pompeius sive Justinus hoc modo : *Ægypti quum scabiem et vitiliginem*, etc. [1]

IDEM, LIB. IV, CAP. VI.

Et quoniam ex hoc jam Punica bella succedunt, res ipsa exigit, ut de Carthagine, quæ ante urbem Romam duos et septuaginta annos ab Elissa condita invenitur, ejusque cladibus ac domesticis malis, sicut Pompeius Trogus et Justinus exprimunt, vel pauca referantur....... *ibidem :* Itaque Carthaginienses, adversis Diis propter ejus modi sacra, sicut Pompeius Trogus et Justinus fatentur, sicut autem apud nos constat, propter præsumtionem ipsorum irato Deo, quum diu infeliciter dimicassent, etc.

[1] Quæ exstant libr. XXXVI Justini. Transcripsit autem Paul. Orosius, divi Augustini discipulus, ad verbum pleraque ex Justino in suam *Ormestam mundi.* Ita enim in MSS. inscribitur hujus auctoris historia. Videndus est autem C. Barthius Advers. XXXVI, XXXVII.

ISIDORUS,

LIB. DE NATURA RERUM, QUI IN MSS. P. PITHÆI INSCRIBITUR *de Astronomia.*

De monte Æthna Justinus in libro historiarum ita scripsit : *Siciliæ tellus*, etc.

JOANNES SARESBERIENSIS,

POLICRAT. LIB. V, CAP. XII.

Quod ut mecum conjicias, collationem Philippi et Alexandri, Trogo Pompeio, vel Justino, compendiario ejus, si mavis, auctore revolvamus. Ait ergo: *Fuit Philippus*, etc. [1]

MARTINUS POLONUS,

SUB ANTONINO PIO.

Eo tempore floruit Pompeius Trogus, natione Hispanus, qui totius orbis historias, a tempore Nini regis Assyriorum usque ad Monarchiam Cæsaris Latino sermone deduxit, distinguens per libros XXXXIV; quorum abbreviationem fecit Justinus, ejus discipulus: qui Justinus Philosophus Antonino Pio librum de Christiana religione compositum tradidit, et benignum eum Christianis fecit. [2]

HENRICUS LORITUS GLAREANUS,

IN PRÆFAT. AD EDITIONEM JUSTINI.

.... Qui (Justinus) non sua, sed alterius scriptoris, nempe Trogi monumenta nobis non visa, bre-

[1] Quæ exstant lib. IX Justini, cap. 8.

[2] De hoc Martini Poloni testimonio conferendum est infra Bongarsii testimonium, et Prolegomena cap. 1.

viora fecit : idque qua fide dicere non possumus, quando ea hodie non exstent; et haud scio utrum isti abbreviatores, ut ita loquar, magnorum auctorum plus criminis committant, an plus erroris. Multi in ea sunt opinione Livii operibus multum obfuisse L. Flori racemationes, et Trogo hunc Justinum. Ut ut res est, certe hic auctor ita susceptus est, ac in id auctoritatis venit, ut credatur cum utilitate legi : comprehendit enim Græcam ac Romanam, item multarum barbararum gentium historiam, per multos extentam annos, nempe bis mille a Nino Beli filio ad Augusti Cæsaris usque tempora. Latinitas utcunque constat, ita tamen ut non parvo intervallo, Suetonium, ac reliquos ejusdem classis et elegantiæ auctores sequatur.

JACOBUS BONGARSIUS,

AD EDITIONEM JUSTINI.

.... Justinus Trogi abbreviator quo tempore vixerit, non habeo dicere. Fortasse quis eum, imperio Constantinopolim translato, floruisse collegit ex ejus libro VIII, quum inquit, *Græciam etiam nunc, et viribus, et dignitate, orbis terrarum principem* : quæ tamen conjectura levis est nimis. Nam quod quidam Methodici claruisse eum anno Christi 150 scripserunt, nullo auctore asseruerunt : in errorem inducti, quod hæc epitoma in vulgo editis libris Antonino imperatori inscribatur, contra veterum codicum fidem. Vixit quidem sub Antonino Justinus Martyr et Philosophus, cujus exstant opera Græca, et qui anno 143 librum pro nostra religione compositum Antonino tradidit, ut est in chronica Eusebii. Hunc illi eundem cum nostro facere videntur; et ante eos nescio quis Martinus Polonus, nulla probabili ratione. Justinum,

cujus est hæc epitoma, nemo D. Hieronymo antiquior commemorat.

JOANNES GERARDUS VOSSIUS,

DE HISTORICIS LATINIS, LIB. I, CAP. XXXI.

Justini qui Trogi epitomen fecit, nec nomen, nec ætas dubitatione caret. In Antonii Arnoldi libro nominabatur JUSTINUS FRONTINUS. At in codice Bibliothecæ Mediceæ dicitur M. JUNIANUS JUSTINUS. Atque hoc verius censeo ob libri ejus antiquitatem : cujus argumentum non leve est, quod literis Langobardicis scriptus sit. Quod vero ad ætatem, Trogi ejus, cujus epitomen scripsit, filium fuisse tradit Gualterus *Burlei* Anglicus lib. *de Vita philosophorum*, qui anno CIↃ CCCC LXXII editus ab Arnoldo *Terffornen*. Sed hoc sæculo illi condonemus, quo vixit. Ac eruditissimos etiam viros video esse, qui suspicentur vixisse, postquam imperium translatum fuit Constantinopolim : idque ob verba illa lib. VIII : *Græciam etiam* NUNC, *et viribus, et dignitate, orbis terrarum principem.* Sed NUNC istic non signat tempus, quo Justinus scribit ; sed de quo scribit. Quomodo idem paullo post ait : *et hæc potissimum facere Thebanos, Lacedæmoniosque, antea inter se imperii, nunc Græciæ imperantis æmulos :* ubi NUNC itidem valet, *hoc tempore quod exponimus.* Plane vero vixisse arbitror sub Antonino Pio, atque huic epitomen suam dicasse. Id colligo ex verbis istis præfationis : *quod ad te, imperator Antonine, non tam cognoscendi, quam emendandi caussa transmisi.* Ita enim habent editiones antiquæ, quæ, quin MSS. fidem sequutæ fuerint, nullus dubito. Sed objiciunt in optimis libris legi : *quod ad te, non tam cognoscendi, magis quam emendandi caussa, trans-*

misi. Quam MSS. lectionem, etiam Bongarsius retinuit. Sed nihil manifestius, quam non ita scripsisse Justinum: nec enim TAM et MAGIS satis conveniunt. Quid ergo? Num dicemus MAGIS tanquam superfluum tolli oportere? atque non videtur de nihilo esse, quod in optimis libris legitur. Quare puto, scriptum primo fuisse, *quod, Antonine im. non cognoscendi magis, quam emendandi caussa, transmisi*. Nempe ex *Antonine im.* fecerunt *ad te non*. At quia sic *non* geminabatur, librarii hunc errorem existimantes, alterum omisere. Et sane Justinum hunc sub Antonino vixisse, ante sæculum Philippus Bergomas, [1] ac Joan. Aventinus [2] tradidere: immo idem jam ante annos trecentos in chronico suo suo scripsit Martinus Polonus: sed quod idem Justinum hunc cum Justino martyre confudit, fœdus error est, quum hic qui epitomen scripsit, in iis, quæ lib. XXXVI de Mose, Josepho, et Israelitis tradit, plane scripturis adversetur: unde liquet fuisse gentilem: aperteque inter eos ab Orosio numeratur: ut de eo nihil dicam, quod beatus Martyr nihil Latine scripsisse videtur: item quod Eusebius, Hieronymus, Photius nusquam hanc epitomen inter Martyris illius scripta reponunt. Nec tamen ea ignota fuit B. Hieronymo, qui illius meminit prooemio in Danielem: uti quoque Augustinus facit libro IV de Civitate Dei, capite 6; et Orosius lib. I, capite 8 et 10; qui et Justinum passim exscribit. Post quos ejusdem mentionem fecere, Isodorus, Jornandes, et alii. Etiam quæ Lupus, Ferrariensis abbas, Epist. 20 ad Altuinum ex Trogo Pompeio citat de iis qui Mithridatis excellentiam portenderint apud Justinum, ad verbum ex Justini lib. XXXVI. Sed apud Lupum

[1] Suppl. in temporibus Antonini Pii, lib. VIII. ED.

[2] In iis quæ de scriptoribus primo annalium præmittit. ED.

nunc paullo comptius leguntur, et ut apud Justinum debeant emendari. Est Justinus scriptor tersus et elegans, ut de eo scribit Raimundus Lullus lib. VII de Orat., cap. 4. Quam turpiter autem in rebus judaicis aberrarit, ostendit Benedictus Pererius in Danielem cap. XL. MS. exstat in bibliotheca publica Academiæ Cantabrigiensis, et Oxonii in collegio corporis Christi. At nescio quid sibi velit, quod (ut est apud Th. *James*) Oxonii in bibliotheca collegii novi exstare dicatur *Epitome historiarum per Trogum Pompeium lib. IV.*

J. A. FABRICIUS,

IN BIBLIOTHECA LATINA, LIB. III, CAP. III.

Justinus quis fuerit et quando vixerit, non satis compertum est, etsi Romæ, ante Imperatores Christianos, scripsisse non dubitem, ipsum a Christi sacris alienum. Itaque non adsentior iis, qui ad Theodosii Imp. tempora rejiciunt, nescio quibus argumentis moti. Ut vero hoc loco a me commemoretur, facit, quod in editionibus quibusdam antiquioribus libros suos dicitur inscripsisse Imp. Antonino Pio : quanquam προσφώνησιν hanc in nullo codice scripto reperisse se testatur Jac. Bongarsius; qui putat additum nomen Antonini ab iis, qui Justinum falso eundem putarent cum celebri ejus nominis Philosopho Christiano et Martyre, in quo errore versati sunt Isidorus, Jornandes, Jo. Sarisb. et alii recentiores. Neque verisimile videtur, Justinum emendandi caussa opus suum ad imperatorem mittere voluisse, quod in præfatione innuit, si eam non potius ad virum aliquem doctum illius aetatis, sibique amicum, quam ad Cæsarem direxit. Non magis certum est, quod Martinus Polo-

nus, et auctor libri de vitis Philosophorum cap. CXIV, adfirmant, Trogi discipulum fuisse. Justinum libenter sequitur Orosius, imitatur Saxo Grammaticus, ut in notis ad hunc Stephanius passim notat. Parum credibile est, quod in Codice Magliabequiano, teste Abr. Gronovio, traditur, Justinum Philosophum celeberrimum et Trogi fuisse discipulum, multo minus, quod Gualterius Burleus scripsit, filium. Libros Trogi de Animalibus laudat Charisius lib. I, p. 79; respicit Plinius Trogum laudans Hist. VII, cap. 3; et lib. XI, cap. 52 : ubi *auctorem severissimum vocat*. Historias Trogi memorant Priscianus, item Plinius, et in Virgilium Servius, aliique.

Exstant *Historiarum Philippicarum, et totius mundi Originum et terræ situs, ex Trogo Pompeio excerptarum libri XLIV*, a Nino usque ad Cæsarem Augustum, sub quo Trogus Pompeius, patria Gallus, philosophus ac historicus disertissimus floruit, totiusque orbis, sed Græcas potissimum historias latino sermone 44 voluminibus composuit; et a præcipuo argumento, regni nempe Macedonici historia, quam a libro septimo ad quadragesimum primum exsequitur, *Historias Philippicas*, Theopompi exemplo inscripsit. Harum se, ait Justinus, per otium, quum in urbe versaretur, dignissima quæque cognitione excerpsisse, et omissis his, quæ nec cognoscendi voluptate jucunda, nec exemplo necessaria judicaret, breve veluti florum corpusculum fecisse. Subjiciuntur Justino in Bongarsii editione, atque inde in aliis, *prologi, sive periochæ historiarum Philippicarum Trogi Pompeii*, ejusmodi fere, qualia historiarum Livii argumenta sub Flori nomine habemus. Illa, ab ipso forte profecta Trogo, certe non a Justino elaborata, ostendunt, Justinum in Epitome sua omisisse non

pauca, in his ea, quæ de terrarum situ Trogus scripserat. Sunt, qui integram Trogi historiam dicant fuisse in Bibliotheca Marquardi Gudii, sed non ego credulus illis. Ita quoque Aldus Manutius magna spe se lactabat, Trogi historias exstare apud amicum quendam doctum ac spectatæ fidei, futurumque, ut propediem in lucem ederentur. Sed illa spes vana fuit; neque Trogus ad hanc diem lucem adspexit. Quæ libro XXXVI traduntur de Judæis, ea illustrantur partim, partim castigantur a Jo. Jac. *Schudt* in compendio Historiæ Judaicæ e Gentilium scriptis collecto, Francof. 1700. 8. Videtur Justinus in pluribus usus Trogi verbis, unde vix Justini ulla ab Trogo aliena in sermone vestigia apparere, ait Jo. Frid. Gronovius Observatt. IV, 10, pag. 154. Solenne est MSS. Justini codicibus præfigi speciosum Trogi nomen, ante multa jam sæcula deperditi. Ita Lupus Ferrariensis Epist. 20, Petrus Blesensis Epist. 85, 94, Ælfredus Beverlacensis in Annalibus Regum Britanniæ pag. 24, et alii juniores, quando Pompeium Trogum citant, Justini epitomen intelligunt. Narratque eruditiss. Wagenseilius in Sota pag. 576, exsiluisse se præ gaudio, quum in Bibl. Scorialensi codici præcipuæ magnitudinis Trogum Pompeium inscriptum vidisset: *Quam*, dixisse apud se, *ego læto nuncio exhilarabo viros doctos, quot et quanta mihi dabunt evangelia!* at quum vix aperuisset librum, statim illi ob mendacem titulum, sibi quoque pæne, ob nimis facilem credulitatem, indignatum: nam pro Trogo Justinum reperisse. Bernardus Montefalconius in Diario Italico pag. 76 notat, *prologos* rarius occurrere in codicibus Justini MSS. Notæ ad prologos pereruditæ abbatis *de Longerue* exstant in editione Justini Parisiensi, quæ an. 1709, minore forma prodiit, nec non in

novissima, variorum notis illustrata, curante Abr. Gronovio. Nonnulla Justini illustrant Casp. Sagittarius variis dissertationibus ad librum primum editis Helmst. 1665, 1666; et Ien. 1676, 4; et ad lib. II, cap. I; et de historia bellorum Scythicorum ad lib. II, cap. 3 et 5, Ien. 1685, 4; et Jacobus Schallerus in laudabilibus politicis e Justino collectis Argent. 1649, 4. Libro XXXVIII, 3, ait Justinus, Trogum in Livio et in Sallustio reprehendere, quod conciones directas pro sua oratione operi suo inserendo, historiæ modum excesserint. Licet autem merito reprehendat aliquis cum Diodoro Siculo in limine libri XX, ὑπερμήκεις δημηγορίας et πυκνὰς ῥητορείας, crebras et prolixas declamationes, insertas historiæ, et intempestiva eloquentiæ adfectatione narrationis seriem interrumpentes, scriptoresque, qui totam historiam προσθήκην τῆς δημηγορίας, appendicem concionum faciunt: tamen Conciones in Sallustio ac præsertim Livio raræ, opportunæ, rebusque aptæ leguntur: itaque, si nævi sunt, pulcherrimi sunt, atque ejuscemodi propemodum, de quibus usurpaveris illud Apuleii in floridis, *risere Musæ, quum audirent hoc genus crimina, sapienti exoptanda, Apollini objectata*. Justini Codex insignis jussu Pii III, an. 1503 defuncti, eleganter scriptus exstat in Bibliotheca Gothana.

TESTIMONIA RECENTIORUM SCRIPTORUM,

GALLICO SERMONE CONSCRIPTA.

RAPIN,

RÉFLEXIONS SUR L'HISTOIRE.

Justin, qui devient compilateur en voulant s'ériger en historien, ne fait qu'effleurer les matières. Il sait

beaucoup; il dit des choses de bon sens; et il a ramassé bien des faits, dont la connaissance se serait perdue sans lui.

ROLLIN,

HISTOIRE ANCIENNE, JUGEMENT DES HISTORIENS LATINS.

On croit que c'est à Tite-Antonin que Justin a adressé son Abrégé de l'Histoire de Trogus Pompeius : mais on n'en peut rien assurer, y ayant plusieurs empereurs du nom d'Antonin. Trogus Pompeius est mis entre les illustres écrivains du temps d'Auguste. On le place entre les historiens du premier mérite, avec Tite-Live, Salluste et Tacite. Son ouvrage était d'une étendue immense, et comprenait, en quarante-quatre livres, toute l'histoire grecque et romaine jusqu'au temps d'Auguste. Justin en fait l'abrégé en autant de livres : en quoi il nous a rendu un mauvais service, s'il est vrai que cet abrégé soit la cause de la perte de l'original. On peut juger combien le style de Trogus était pur et élégant par la harangue de Mithridate à ses troupes, que Justin a insérée tout entière dans son trente-huitième livre. Elle est fort longue, mais indirecte : car Justin nous fait remarquer que Trogus n'approuvait pas que Tite-Live et Salluste eussent fait entrer dans leurs histoires des harangues directes...... Le style de Justin est net, intelligible, agréable. On y rencontre de temps en temps de belles pensées, de solides réflexions, et des descriptions fort vives. A l'exception d'un petit nombre de mots ou de locutions, la latinité y est assez pure; et il y a beaucoup d'apparence qu'il a employé ordinairement les propres termes et les phrases même de Trogus.

PAUL (L'ABBÉ),

PRÉFACE DE LA TRADUCTION DE JUSTIN.

Justin vivait sous Antonin-le-Pieux. C'est tout ce qu'on sait touchant sa personne. Il abrégea la grande histoire de Trogue-Pompée. Il promène son lecteur de siècle en siècle, d'empire en empire, de nation en nation, et trace une esquisse rapide des mœurs des peuples conquérans, et des grandes révolutions. Quelques uns l'ont accusé de la perte de l'original qu'il a réduit. Mais pourrait-on le convaincre de ce crime littéraire? comment et pourquoi s'en serait-il rendu coupable?

Son style, en général, est pur, élégant, naturel, mais un peu monotone; sa narration est nette, ses réflexions sages, quoique communes; ses peintures sont quelquefois très vives. On trouve chez lui plusieurs morceaux de la plus grande beauté. Seulement il aime un peu trop l'antithèse, la plus froide des figures quand on la prodigue.

MABLY,

DE LA MANIÈRE D'ÉCRIRE L'HISTOIRE.

On pourrait encore se former le plan d'une histoire universelle en ramenant tout à quelques peuples célèbres, qui se sont succédés sur la scène du monde, et à quelques époques principales, qui ont été autant de révolutions pour le genre humain. C'est ce qu'avait exécuté Trogue-Pompée, que nous ne connaissons que par son abréviateur qu'on lit presque sans fruit. Si Justin n'a rien changé à l'ordre de l'auteur qu'il abrégeait, on peut dire que cet historien n'avait pas assez médité sur l'art de disposer et d'arranger les

faits. Mais j'aime mieux penser que l'abréviateur a gâté son original en supprimant les liaisons et les transitions, par lesquelles Trogue-Pompée avait uni toutes les parties de son ouvrage. Je parle ainsi, parce qu'on rencontre quelquefois dans Justin de trop belles choses pour qu'elles lui appartiennent.

LA HARPE,

COURS DE LITTÉRATURE, TOM. III, CHAP. I, SECT. III.

Nous avons de lui (Justin) l'abrégé d'une histoire universelle de Trogue-Pompée, qui est perdue, et qui, si nous l'avions, nous apprendrait comment les anciens concevaient le plan d'une histoire universelle. A n'en juger que par cet abrégé, ce n'était pas ce que nous voudrions aujourd'hui. Justin n'est pas un peintre de mœurs, mais c'est un fort bon narrateur. Son style, en général, est sage, clair et naturel, sans affectation, sans enflure, et semé de morceaux fort éloquens. Il n'y faut pas chercher beaucoup de méthode ni de chronologie. C'est un tableau rapide des plus grands événemens arrivés chez les nations conquérantes, ou qui ont fait quelque bruit dans le monde. Plusieurs traits de ce tableau sont d'une grande beauté, et peuvent donner une idée de cette manière antique, de ce ton de grandeur si naturel aux historiens grecs et romains, et de l'intérêt de style qui anime leurs productions.

SAINTE-CROIX,

EXAMEN CRITIQUE DES HISTORIENS D'ALEXANDRE.

..... Nous serions forcés de nous contenter de ces faibles notions sur l'ouvrage important de Trogue-

Pompée, si un de ces hommes pleins de vanité et de suffisance, tels qu'on en rencontre en foule dans les grandes villes, voulant devenir auteur presque sans peine et aux dépens d'autrui, n'eût pas pensé à l'abréger. On imagine bien que je veux parler ici de Justin, qui profitant du repos dont il jouissait à Rome, s'amusa à retrancher de l'histoire de Trogue-Pompée tout ce qu'il croyait ne pas devoir plaire aux gens oisifs et superficiels comme lui, et tous les faits qui, d'après sa façon de penser, ne pouvaient servir d'exemple à la postérité, ou à ses contemporains. Toute recherche concernant l'origine des nations est pour l'ordinaire supprimée par Justin; il épargne encore moins les détails d'histoire naturelle. Il y a même des livres qui sont réduits à deux ou trois pages, quoiqu'ils fussent assez longs, et pleins de choses intéressantes dans l'original. Nous en citerons pour exemple le dixième et le onzième. Le temps peut s'en reposer sur les abréviateurs; jamais leur faulx n'a été plus meurtrière, ni dirigée si maladroitement. Justin adressa son prétendu ouvrage à l'empereur Marc-Antonin, qui, sans doute, ne lui sut pas mauvais gré d'une pareille mutilation; car les souverains préfèrent pour l'ordinaire les abrégés aux originaux, qu'ils ne peuvent souvent lire faute de loisir. On ne peut guère douter que Justin n'ait emprunté bien des mots et copié même des phrases entières de Trogue-Pompée : aussi son style est pur, élégant, et vaut mieux en général que celui de la plupart des écrivains de son siècle. Justin semble mépriser la chronologie, confondant presque tous les temps, « et il se fait son procès à lui-même en « relevant l'ordre et la méthode de son original. Est-« il possible d'ailleurs que l'abréviateur d'une his-« toire universelle, qualifie son abrégé d'un recueil

« de fleurs? Cet auteur n'est, à le bien apprécier, « qu'un copiste, qui a réduit son original, et qui n'a « suivi que son modèle. Aussi a-t-on traité quelques « uns de ces écrivains de vers rongeurs de l'histoire, « qui n'en ont laissé que les lambeaux. »[1]

Quelque sévère que puisse paraître ce jugement, il n'est cependant pas injuste. Trogue-Pompée a été trop maltraité par son abréviateur, pour que celui-ci mérite de l'indulgence. Plus on étudie Justin, plus on se persuade qu'il n'a fait autre chose que de supprimer les liaisons et les transitions, par lesquelles Trogue-Pompée avait uni toutes les belles parties de son ouvrage. La meilleure preuve qui en ait été donnée, c'est qu'on rencontre quelquefois dans Justin de trop belles choses pour qu'elles lui appartiennent, et on en peut citer pour exemple le parallèle de Philippe et d'Alexandre. Il nous paraît avoir été tiré presque mot à mot de Trogue-Pompée, qui en aura emprunté les principaux traits de Théopompe.

F. SCHOELL,

HISTOIRE ABRÉGÉE DE LA LITTÉRATURE ROMAINE, PÉRIODE V, 117, VI SIÈCLE APRÈS J.-C.

On place communément sous le règne des Antonins l'abréviateur Justin, nommé, dans un ancien manuscrit de Florence, M. Junianus Justinus, et dans d'autre, M. Justinus Frontinus. On n'a cependant d'autre motif, pour lui assigner cette époque, que la dédicace de son ouvrage adressée à Marc-Aurèle; mais plusieurs critiques regardent la ligne qui, dans les manuscrits, exprime cette dédicace, comme ayant

[1] Hénault, Mémoires sur les abrégés chronologiques, *Académie des inscriptions*, tome XXVIII, pag. 612.

été ajoutée au texte par quelque copiste ignorant, qui aurait confondu cet écrivain avec Justin-le-Martyr. On ne sait au reste rien sur la vie de Justin. Il a fait un extrait du grand ouvrage historique de Trogue-Pompée[1]. Cet abrégé est intitulé : *Historiarum Philippicarum et totius mundi originum, et terræ situs, ex Trogo-Pompeio excerptarum libri XLIV à Nino ad Cæsarem Augustum.* Nous avons déjà remarqué plus haut que, dans ses extraits, Justin a choisi de préférence les faits et les passages qu'il jugeait particulièrement intéressans[2]; les autres événemens ne sont rapportés que brièvement, et seulement par forme de transition. Pour apprécier l'ouvrage de Trogue-Pompée, et celui de Justin, sous le rapport de la confiance qu'ils méritent comme historiens, il faudrait connaître les sources où le premier a puisé. Son abréviateur ne les indique pas. A force de recherches, des critiques se sont flattés de parvenir à deviner en partie les autorités que Trogue-Pompée a eues sous les yeux. Nous allons réunir l'indication de ces sources à un aperçu du plan suivi par Trogue-Pompée.

Livre I. Histoire des empires des *Assyriens*, des *Mèdes* et des *Perses*, jusqu'à Darius, fils d'Hystaspe.

Livre II. Digression sur les *Scythes*, les *Amazones* et les *Athéniens ;* des rois d'Athènes, de la législation de Solon, de la tyrannie des Pisistratides, de leur expulsion, qui engagea Athènes dans une guerre avec les Perses; de la bataille de Marathon; histoire de Xerxès, successeur de Darius, et de sa guerre avec les Grecs.

Livre III. Avénement d'Artaxerxe. Digression sur

[1] Voyez vol. II, p. 57.

[2] Omissis iis (inquit) quæ nec cognoscendi voluptate jucunda, nec exemplo erant necessaria.

les Lacédémoniens, sur la législation de Lycurgue et la première guerre de Messène. Commencement de la guerre du Péloponnèse.

Livre IV. Suite de la guerre du Péloponnèse ; expédition en Sicile. Digression sur cette île.

Livre V. Fin de la guerre du Péloponnèse. Les trente tyrans et leur expulsion par Thrasybule. Expédition de Cyrus et retraite des Dix mille.

Livre VI. Expéditions de Dercyllidas et d'Agésilas en Asie. Guerre des Thébains. Paix d'Antalcidas. Exploits d'Épaminondas. Philippe de Macédoine commence à s'immiscer dans les affaires de la Grèce.

Dans ces premiers six livres, qui doivent être regardés comme une espèce d'introduction à l'histoire de l'empire de Macédoine, véritable objet de Trogue-Pompée, son principal guide a été *Théopompe ;* il a cependant complété les données que lui fournissait cet écrivain, par celles qu'il trouvait dans *Hérodote* et *Ctésias*, et même dans les mythographes.

Livre VII. Digression sur la Macédoine antérieurement à Philippe.

Livre VIII. Histoire de Philippe et de sa guerre sacrée.

Livre IX. Fin de l'histoire de Philippe.

Livre X. Suite et fin de l'histoire des Perses, sous Artaxerxès Mnémon, Ochus et Darius Codoman.

Dans ces quatre livres, Trogue-Pompée paraît n'avoir fait que traduire *Théopompe*.

Livre XI. Histoire d'Alexandre-le-Grand, depuis son avénement au trône jusqu'à la mort de Darius.

Livre XII. Événemens arrivés en Grèce pendant l'absence d'Alexandre ; expéditions de ce prince en Hyrcanie, et dans l'Inde. Sa mort.

Dans ces deux livres, on ne trouve aucun fait qui

ne soit connu par les autres écrivains dont les ouvrages nous restent.

Livres XIII-XV. Histoire des guerres entre les généraux d'Alexandre-le-Grand jusqu'à la mort de Cassandre.

Livre XVI. Suite de l'histoire de la Macédoine jusqu'à l'avénement de Lysimaque.

Cette partie de l'histoire de Justin est si peu complète, qu'on ne saurait deviner les sources où Trogue-Pompée a puisé; on suppose que les digressions sur Cyrène et sur Héraclée sont tirées de *Théopompe*, et que l'épisode de l'Inde est de *Megasthènes*.

Livre XVII. Histoire de Lysimaque. Digression sur l'Épire avant Pyrrhus.

Comme dans ce livre Justin se montre très partial en faveur de Seleucus, et contraire à Lysimaque, on pense que *Jérôme de Cardie* a été le guide de son original.

Livre XVIII. Guerre de Pyrrhus en Italie et en Sicile. Digression sur l'histoire ancienne de Carthage.

Livre XIX. Guerres des Carthaginois en Sicile.

Livre XX. Denys de Syracuse transporte le théâtre de la guerre dans la Grande-Grèce. Digression sur Métaponte.

Livre XXI. Histoire de Denys le jeune.

Livres XXI et XXIII. Histoire d'Agathocle.

Ces six livres de Justin sont fort importans; ils renferment à peu près tout ce que nous savons sur les Carthaginois avant leurs démêlés avec les Romains. Ce qu'il dit de Syracuse et de la Grande-Grèce, Trogue-Pompée l'a tiré de *Théopompe*, et par forme de supplément de *Timée*. Ce dernier paraît notamment la source de l'histoire d'Agathocle.

Livre XXIV. Suite de l'histoire de la Macédoine. Invasion des Gaulois sous Brennus.

Livre XXV. Antigone Gonatas, roi de Macédoine. Établissement des Gaulois en Bithynie.

Livre XXVI. Suite de l'histoire de la Macédoine.

Livre XXVII. Séleucus, roi de Syrie.

Livre XXVIII. Suite de l'histoire de la Macédoine jusqu'à l'avénement de Philippe.

Livre XXIX. Guerre de Philippe avec les Romains.

Phylarque a été la principale autorité de Trogue-Pompée dans ces six livres.

Livre XXX. Suite de la guerre de Macédoine. Alliance des Étoliens avec Antiochus-le-Grand.

Livre XXXI. Annibal engage Antiochus à faire la guerre aux Romains. Guerre de Syrie.

Livre XXXII. Mort de Philopœmen. Guerre des Romains avec Persée. Mort d'Annibal.

Livre XXXIII. Fin du royaume de Macédoine.

Livre XXXIV. Guerre des Achéens.

Suite de l'histoire de Syrie.

Livre XXXV. Démétrius I et II, rois de Syrie.

Ces six livres sont extraits de *Polybe*.

Livre XXXVI. Suite de l'histoire des rois de Syrie. Digressions sur les Juifs. Le royaume de Pergame devient une province romaine.

Livre XXXVII. Histoire de Mithridate-le-Grand.

Livre XXXVIII. Suite de l'histoire de Mithridate-le-Grand. Ptolémée Physcon, roi d'Égypte.

Suite de l'histoire de Démétrius, roi de Syrie.

Livre XXXIX. Suite de l'histoire de Syrie et d'Égypte.

Livre XL. Fin du royaume de Syrie.

Livre XLI. Histoire des Parthes.

Livre XLII. Suite de l'histoire des Parthes. Histoire de l'Arménie.

Pour une grande partie de ce qui est rapporté dans

ces six livres, Justin est la principale source historique. La comparaison de ces livres avec les fragmens de *Posidonius de Rhodes*, qui nous ont été conservés par Athénée, a fait voir que cet historien a été le guide de Trogue-Pompée. Posidonius, qui était lié d'amitié avec Pompée, avait publié une histoire des quatre-vingt-deux années qui se sont écoulées entre la destruction de Corinthe et le bouleversement de l'empire de Syrie. C'était un ouvrage considérable, composé de cinquante-deux livres. La digression sur les Juifs est remplie de confusion : on sait quelles idées fausses on avait de ce peuple du temps d'Auguste, et même encore à l'époque de Tacite ; mais on est surpris que Justin n'ait pas été en état de rectifier les erreurs qui se trouvaient dans son original.

Livre XLIII. Histoire ancienne de Rome et de Marseille. Dans la dernière partie, *Dioclès* de *Peparèthe* a été la source de Trogue-Pompée.

Livre XLIV. Histoire de l'Espagne, tirée probablement de *Posidonius*.

Telles sont les autorités suivies par Trogue-Pompée, et par conséquent par son abréviateur. On doit observer, au reste, que la chronologie est entièrement négligée dans l'ouvrage de Justin, comme dans la plupart des historiens anciens. Justin manque souvent de critique, et ses réflexions ne montrent pas beaucoup de sagacité. Son style est correct, simple, élégant, mais inégal : il est bien préférable à celui de Florus.

PROLEGOMENA

DE JUSTINO.

I. Justinus noster, quod ipse nos docet in præfatione, excerpsit Trogum Pompeium, qui, ut indidem cognoscimus, totius orbis historias XLIV libris scripserat latine, historias *Philippicas* inscriptas, id est, de imperio Philippico sive Macedonico, quippe in quo major pars operis, a lib. VII ad XLI, versatur : in quibus imitandum sibi proposuerat inprimis Theopompum, Isocratis auditorem, historicum ætatis suæ celeberrimum, cujus fragmenta collecta et illustrata avide exspectamus a F. Kochio, rectore gymnasii, quod Stetini floret, doctissimo. Qui quidem ut XII libris, quod cognoscimus ex Diodoro Siculo (XIV, 84), amplexus fuerat historiam Græcorum ab anno inde U. C. 344, ubi Thucydides substiterat, ad annum usque 360; sic Pompeius ille a Nino, primo Assyriorum rege, ad Augustum usque, totius orbis historias XLIV libris complexus fuerat, annorum 2155 seriem percurrens, fere circa A. U. 748, quinque annis ante Christum natum.

Ipse natione Gallus, ortum trahens, quod ipso auctore (XLIII, 5, 11) referimus, a Vocontiis (Delphinatu, sive, quod nomen nuperrima, quæ evanuit, et imperio cessit mox invicem perituro, Gallica respublica huic recenter datum servavit, *Les Hautes Alpes*), avum habuerat, a Pompeio Magno in bello Sertoriano, A. U. 675-681, civitate Romana donatum; patruum sub eodem imperatore bello Mithridatico, A. U. 687-692, equitum turmarum ducem; patrem sub Cæsare, Galliarum proconsule, A. U. 695-703, militantem, ejusdemque imperatoris epistolarum et legationum, simul et annuli curam habentem.

Veterum, de Trogi fide historica, testimonia legis infra nr. 6 et 12. Quæ qualis sit, ex epitomatore quoque cognosci potest, quippe qui pedisequus ducem suum sit sequutus.

Ipse quidem, quum e Græcorum fontibus sua hauserit, non magis fidem merebitur, quam illi. Græci autem, quam certi sint, sive potius, quam incerti omnium Orientis populorum, indeque simul Ægyptiorum, Scytharum, vel unus liber XXXVI, cap. 2-3, te docet, in quo pauca referuntur de Judæis; de quibus, tum jam per terrarum orbem dispersis, quum certiora facilius cognosci possent, quam quæ hic vaga et falsa leguntur: inde conjicere poterimus, non certiora exspectanda esse de cæteris Orientis populis antiquissimis, quorum origo et historia longe crassiore caligine, vel ipsorum sacerdotibus esset involuta. Sacerdotum enim apud omnes istos populos quum unus esset ordo, penes quem essent literæ, ab his solis edoceri poterant populi historiam Græcorum peregrinatores. Isti autem, quam multa ignorarent ipsi, necesse erat! quam multa profanorum auribus committere abhorrebant!

In Græcorum ipsorum historia, in qua longe major pars operis versatur, qua fide Græci digni sint, a pluribus jam est expositum. In antiquissima enim horum historia, quæ dicitur *mythologica*, longe clarius nos jam cernimus, quam ipsi illi bis mille annis ante cernebant. Quod quidem latius exponere, et exemplis illustrare, non est hujus loci.

Posteriorum autem temporum quam vaga sit et incerta eorundem historia, vel hoc unum nos docet, quod ipsorum historici, ad Pherecydem usque et Cadmum Milesium, A. U. 200 (Plin. VII, 57), versibus scripserint; ergo epicorum instar poetarum, res gestas maluerint ornare, quam referre.

Huc accedit hoc in Nostro, quod Theopompum sibi proposuerit imitandum, quem maledicentissimum dicere non dubitat Cornelius in Alcib. II, 1. Hinc non miremur, huic inprimis accidisse, quod longe plurimis Græcorum historicis accidit, quod nimio gentis suæ amore abrepti, inpri-

mis Persarum res gestas obscurando, suæ gentis res illustrare studuerint.

Hujus quidem opus illud uberius, a Justino nostro in epitomen redactum, non diu huic epitomæ superstes fuisse videtur, quum hominum socordia brevius Justini corpusculum facilius arriperet, justum autem Trogi corpus negligeret. Quod idem Polybio, Diodoro, Dioni Cassio accidisse dolemus.

Mentionem tamen illius faciunt nonnulli Veteres, in his:

1. Priscianus, grammaticus sæculi VI initio, lib. VI, ex Trogi libro VI hæc verba proferens: *Inde Scepsin petit, quo se Medias, interfecta sorore* (Mania), *contulerat. Is, ab Dercyllida petito colloquio, etc.* Conf. Justin. VI, 1, 2; coll. Xen. Hell. III, 1, 8-21.

2. Priscianus, lib. V, ex Trogi lib. XXII, docet nos, hunc historicum formasse sibi nomen *flaminea* generis feminini, hæc ejus verba proferens: *Papirius, propter mortem flamineæ, flaminio abiit.* Id quod Gellius X, 15 dicit: *Flamen Dialis, uxorem si amisit, flaminio, id est, sacerdotio suo, decedit:* ubi paullo post in loco quodam Masurii Sabini, quæ hoc loco est *flaminea*, sive quod est in uno cod., *flaminia*, dicitur *flaminica*, id est, flaminis uxor, sicuti ibidem paullo ante, in alio loco Fabii Pictoris, *flaminia* est *domus flaminis: Ignem e flaminia, nisi in sacrum, efferri jus non est.*

3. Servius circa A. C. 400, ad Virgil. Æn. III, v. 108: *De parentibus Teucri dupliciter traditur: Alii enim..., inter quos et Trogus, Scamandri filium tradunt.*

4. Idem ad Æn. IV, 37, ubi *Africa* dicitur *terra dives triumphis*, hæc adnotat: *Plinius Secundus Hist. Nat. et Pompeius Trogus Afros dicunt pompam triumphi primos invenisse, quam sibi Romani postea vindicaverunt.* Dixerat autem hoc Pompeius lib. XIX. Nam Justinus XIX, 1, 7, Hasdrubalem quatuor *triumphis* insignem interiisse in Sardinia refert.

5. Plinius in indice Historiæ Naturalis sæpius laudat Trogum auctorem, v. c. lib. VII, nr. 7; VIII et IX; X, nr. 8;

XI, nr. 6 et 9; XII, XIII, XIV, XV, XVI; XVII, nr. 10; XVIII; XXXI, nr. 11.

6. Quæ tamen omnia ex illo translata, non ex ejus historiarum libris esse, statuit Bongarsius. Nam de *animalibus* quoque libros conscripserat, Charisio I, pag. 79, laudatos; unde depromta esse videntur, quæ laudat Plinius XI, 114: ubi, quum Aristotelem retulisset, non modo credidisse præscita esse aliqua in corporibus ipsis, verum etiam prodidisse, hæc subjicit: *Addit morum quoque adspectus simili modo apud nos Trogus, et ipse auctor severissimus, quos verbis ejus subjiciam: Frons ubi est magna, segnis animus subest; quibus parva, nobilis; quibus rotunda, iracundus, velut hoc vestigio tumoris apparente. Supercilia quibus porriguntur in rectum, molles significant; quibus juxta nasum flexa sunt, austeros; quibus juxta tempora inflexa, derisores; quibus in totum demissa, malevolos et invidos. Oculi quibuscunque sunt longi, maleficos esse indicant. Qui carnosos a naribus angulos habent, malitiæ notam præbent. Candida pars extenta notam impudentiæ habet; qui identidem operire solent, inconstantiæ. Auricularum magnitudo nota est loquacitatis et stultitiæ.* Quæ quidem omnia totidem omnino verbis Trogum ex Aristotele transtulisse, res ipsa docet, et Aristoteles Hist. Anim. I, 9.

7. Indidem promsisse videtur, quod Plinius habet VII, 3: *In Ægypto, septenos uno utero gigni, auctor est Trogus*, ubi Harduinus bene adnotat, idem Strabonem referre lib. XV, pag. 695 ex Aristotele; Strabonis tamen locum mendosum videri, ut πεντάδυμα legatur pro ἑπτάδυμα; quum Aristoteles de Gen. Anim. IV, 4 et 5; Hist. An. VII, 5, *mulierem quinque pueros enixam* referat, et Gellius X, 2, eundem auctorem laudans adfirmet, *finem hunc esse multijugæ hominum partionis; neque plures unquam simul genitos compertum.*

8. Indidem depromtum est, quod idem Plinius ex eo refert X, 51: *Perdices quidem et maritos suos fallunt, quoniam intemperantia libidinis frangunt earum ova, ne incubando detineantur. Tunc inter se dimicant mares desiderio femina-*

rum : victum aiunt Venerem pati. Id quidem et coturnices Trogus et gallinaceos aliquando, perdices vero a domitis feros et novos, aut victos iniri promiscue. Eadem habet Aristoteles Hist. An. IX, 12; coll. Ælian. Hist. An. III, 16; IV, 16.

9. Indidem quoque fluxisse videntur, quæ idem Plinius habet XI, 94 : *Dasypodi, et in buccis intus* (sunt pili), *et in pedibus : quæ utraque Trogus et in lepore tradidit, hoc exemplo libidinosiores hominum quoque hirtos colligens.* Hæc quoque Trogum ex Aristotele hausisse, docet hic, cujus est Probl. XXXII, sect. 4 hoc : Διὰ τί καὶ ὄρνιθες καὶ οἱ δασεῖς ἄνθρωποι λάγνοι.

10. Plinius XVII, 9 : *Folia palmarum apud Babylonios seri, atque ita arborem provenire, Trogum credidisse divinor.* Conf. Theophr. Hist. An. II, 2.

11. Plinius XXXI, 47 : *Trogus auctor est, circa Lyciam penicillos mollissimos nasci in alto, unde ablatæ sint spongiæ.*

12. Flavius Vopiscus, qui floruit A. C. 304, in Aureliano cap. 2 : *Equidem dico, neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum : prodere quin etiam possum, in quo Livius, in quo Sallustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus, manifestis testibus convincantur.* Certissimæ igitur fidei hunc scriptorem his verbis satis luculenter declarat. Certe Trogus in Livio et Sallustio reprehenderat, referente hujus epitomatore XXXVIII, 3, 11, quod conciones directas, pro sua oratione, operi suo inserendo, historiæ modum excesserint. Historicus enim, viros suos ita dicentes inducens, agit poetam; lectores non tam docturus, quam potius delectaturus.

13. Idem historicus in Probo, cap. 2, scriptorem nostrum cum Sallustio, Livio, Tacito, numerat in viris *disertissimis.*

14. Hieronymus, mort. A. C. 420, procemio in Danielem, Trogum nostrum juxta Livium et Justinum laudat, ex quibus ut Græcorum historia cognosci possit, sic et extraneæ Danielis partes. Idem in comment. in cap. 5 Danielis, a Dario (Cyaxare), Medorum, et Cyro, Persarum rege, Chal-

dæorum imperium destructum referens, adfert auctores Xenophontem in Cyropædia, et Trogum Pompeium.

15. Augustinus, mort. A. C. 430, de Civitate Dei, IV, 6: *Justinus Græcam, vel potius peregrinam, Trogum Pompeium sequutus, non latine tantum, sicut ille, verum etiam breviter scripsit historiam.* Et paullo post: *Qualibet fide rerum vel iste, vel Trogus scripserit (nam quædam illos fuisse mentitos, aliæ fideliores literæ ostendunt); constat tamen et inter alios scriptores, regnum Assyriorum a Nino rege fuisse longe lateque porrectum.*

16. Orosius, qui floruit A. C. 417, lib. I, cap. 8, de fame Ægypti, cui Josephus subvenit: *Pompeius historicus, ejusque breviator Justinus docet.* Cap. 10: *Ait Pompeius, sive Justinus hoc modo* (sequuntur verba Justini, XXXVI, 2-12.).

17. Jornandes, qui floruit A. C. 551, libro de rebus Gothicis: *Ex Gothorum nomine vel genere, Trogus Pompeius Parthorum dicit exstitisse prosapiam.* Idem: *Cyrus, rex Persarum, Pompeio Trogo testante, Getarum reginæ Tomyri, sibi exitiale intulit bellum.*

18. Martinus Polonus, mortuus an. 1228, plura falsa paucis verbis refert, Trogum dicens Hispanum floruisse sub Antonino Pio, Justinum dicens ejus discipulum eundemque Justinum confundens cum Justino philosopho, *Martyre* dicto, qui Imperatori illi librum de Christiana religione compositum reddiderit, A. C. 139, et benignum eum Christianis fecerit. Conf. not. ad præf. §. 5.

19. Joannes Sarisberiensis, mortuus an. 1281, Policr. V, 12, Justini, quem Trogi Pompeii dicit compendiarium, locum laudat, IX, 8, 4.

II. Atque hujus Trogi Pompeii epitomator fuit Justinus, qui, quando vixerit, ignoratur, quum alii, in his I. G. Vossius, Saxe in Onomast. I, pag. 309, eum has historias conscripsisse velint A. C. 150; alii tertio demum sæculo, quod veri est similius, vixisse eum statuant. Veterum enim hac de re nullum exstat testimonium. Ante sæcu-

lum V vixisse eum ostendunt, quæ supra cap. I, 14, 15 et 16 attuli Hieronymi, Augusti et Orosii loca.

In inscriptione libri I, MSS. quidam habent : M. Justini Frontini.

Prologi, ejusmodi fere, qualia historiarum Livii argumenta sub Flori nomine habemus, primum editi sunt a Bongarsio (infra III, nr. 14.), qui eos in codicibus suis invenit valde depravatos : quos ab hoc correctos (e quibus plus, inquit, stercoris exhausi, quam olim ex Augiæ stabulis Hercules ipse) corrigere deinde perrexerunt Modius, Freinshemius, Vossius, Vorstius, Hearnius (nr. 15, 17, 19, 22, 25), inprimis autem Longeruæus (*de Longuerue*), abbas, adjutus a Montefalconio, qui tres in Italia codices contulit, et cujus notas in suam editionem transtulit Abr. Gronovius (nr. 26).

Fischerus : *Prologi illi, inquit, præf. pag.* 28, *si genuini sunt, de quo vix dubitari posse videtur, facile apparet, quam multa a Justino epitomatore omissa fuerint : in his ea, quæ Trogus de terrarum situ scripserat.* Nomen autem ipsum *prologorum* in hac significatione, qua hic adhibetur, notante Hearnio, est barbarum, et phrasis in his frequentata *in excessu* (per digressionem) serioris est latinitatis, unde suspicatur Tan. Faber (nr. 21), hominem Græculum fuisse; quippe ita Græcos dicere *ἐν παρεκβάσει, διὰ παρεκβάσεως.*

Hos ipsos autem prologos libris scriptoris nostri præmisi non discerptos, ut in uno codice singulos singulis libris præfixos invenit Bongarsius, sed continuo ordine; hisque ipse adjunxi argumenta a me excerpta, qualia, breviora tamen post Is. Vossium dedit Grævius (nr. 20), unde cæteri repetierunt; atque et hæc non minus continua serie, quo facilius celeriusque et res narratas, et, quod scriptor sequitur, filum possis perspicere.

De Nostri oratione recte judicat Fischerus, in præf. pag. 6 ita : *Illa non videtur ejusmodi esse, ut committi recte iis possit, qui linguæ latinæ naturam et nativam pulchritudinem noscere velint. Nam non solum in verbis singulis formulisque*

loquendi, non pauca sunt, quæ a consuetudine dicendi eorum, quorum libri pro quodam quasi canone et regula latini sermonis habentur, abhorreant, et quæ nemo adeo, qui quidem cupiat eleganter scribere, imitari possit; verum in tota quoque orationis forma et in ipsis sententiis, nimis multa nimisque expressa scriptoris exstant vestigia, singularis cujusdam ingenii laudem adfectantis: quod quidem commune fere omnium posterioris ætatis scriptorum vitium est, quo turgida et frigida maximeque ingrata efficitur oratio. Sed quia Justinus in suo genere unicus est, cujus libri, ab iis, qui res totius orbis simul et ea mente cognoscere velint, ut, quomodo suam et aliorum aliquando vitam gubernare et moderari debeant, exemplis quamplurimis admoniti videant, non sine summa utilitate et vero etiam voluptate legi possunt. Non modo olim diligentissime lectos esse ostendunt non pauci, qui horum exstant, et MSS. et editiones, sed etiam nunc, a multis scholarum magistris, sapiente sane consilio, proponuntur iis, qui historiam catholicam cognoscere velint.

Illud, etsi universum, est verum, tamen elegans est, si a paucis verbis dicendique formulis discesseris, Nostri dicendi genus, suavis narratio, eademque brevitate atque naturali simplicitate in plerisque se commendans.

Utitur autem *Verbis* apud aureæ ætatis scriptores non obviis, quæ non nisi apud posteriores temporis deterioris invenias: *Adunare; asserere cui quid; civitas*, pro *urbe;* et contra *urbs*, pro *civitate; impossibilis; intelligere*, pro *animadvertere; juxta*, pro *secundum; restaurare; unicus*, pro *unus*. Participia deponentia adhibet vi passiva: *Adgressus; comitatus; consolatus; depopulatus; deprecatus; emensus; emeritus; expertus; exsequutus; inultus; pactus.*

Nec minus in construendis verbis, sententiisque conjungendis peccare solet; verbi caussa: Quum *præsenti* verbi narrantis tempore usus, eodem tamen verborum contextu utatur *imperfecto*, XII, 8, 10; exercitus regem *precatur*, finem belli *faceret*. Conf. XIII, 4, 9; XXVIII, 2, 5; XXXI, 1, 2; XXXI, 2, 1; XXXIV, 3, 1. Quum post *perfectum*, loco

imperfecti, sequi jubeat *perfectum*: XII, 8, 6; doluit, ut *voluerit* (vellet). Conf. II, 10, 10; II, 14, 9; VII, 4, 1; VII, 6, 16; IX, 7, 4; XI, 14, 7; I, 10, 9; XII, 6, 3; XII, 14, 7; XII, 15, 3; XII, 16, 10; XIV, 4, 19; XIV, 5, 7; XV, 2, 14; II, 9, 11 (ubi edd. antiq. venirent) et 19. Latine contra perfectum sequitur XII, 16, 11; II, 10, 18; III, 5, 14; VII, 2, 14; VII, 4, 1. Quum, in oratione obliqua, thesin interjectam, et pronomine *qui* cum præcedente per *conjunctivum* conjungendam, conjungat per *infinitivum* constructione græca, ut XI, 3, 10; XI, 4, 3; XI, 5, 7; XI, 15, 12; XI, 13, 10; XVIII, 6, 3; XXVIII, 2, 5 et 8. (Huc referendus usus participii præteriti passivi absolute positi: *Cognito*, *posito*, *petito*, XLIII, 5, 6). Quum Græcos imitatus abrupte loqui soleat, animi motum celerem sequens instar poetarum (quos et alibi sequi solet, ut in his: *Conon quasi tempestas quædam prosternit cuncta*, VI, 2, 16; VII, 4, 1), nec thesin præcedentem cum sequente conjungens vi particularum, quibus aureæ ætatis scriptores uti solent: XXII, 8, 12; VIII, 4, 7; X, 1, 6; VIII, 2, 12; XIV, 5, 7; XXXVIII, 1, 5. Adde not. ad II, 9, 19; et II, 14, 9. In usu participii futuri: VIII, 6, 6; VII, 3, 5; IX, 2, 1 et 11; XII, 2, 2; XIV, 1, 7; XXI, 1, 4; XXII, 4, 4; XXVII, 2, 11; XXIX, 2, 6 et 8; XXXIII, 1, 5.

Minus latine loquitur: Visa est sibi *gravidam factam*, XV, 4, 3; dicitur *eos* esse, XXII, 5, 12; spero *ut*, V, 3, 3; polliceor *ut*, IX, 2, 12; ignarus *quod*, XXV, 1, 7; cognito *quod*, XXVII, 3, 8; XXXI, 4, 8; *proditur*, *Titanas gessisse*, XLIV, 4, 1; coll. §. 12, ubi latine: *Cyrus proditur altus*. Contentus *facere*, vid. ind. 3. Quum indicativo utatur in oratione obliqua, XIX, 3, 3 et 5 et 7; XVIII, 4, 13; XXIX, 2, 4; XXX, 4, 11.

In rebus peccat, falsa, certe minus adcurate referens. Vid. not. ad II, 7, 2. Tempora non adcurate definiens, II, 5, 13; II, 6, 16. Tempora falso definiens, VI, 9, 7. Tempora confundens, II, 6, 15; VI, 1, 2 et 7; XLI, 4, 3; XLII, 4, 1; XLIII, 3, 5. Loca confundens, II, 13, 8; XIII, 6,

2-3. Res pervertens, VI, 2, 17; VI, 4, 3. Falsa referens, XIII, 8, 7. Personas confundens, XVII, 2, 15; XIV, 6, 13; XIII, 4, 6; XLI, 5, 7; XLII, 4, 1; XXXVI, 4, 1. Romanorum ritus aliis populis adfingens, verbi caussa, triumphum, principia castrorum, duodecim deos, XI, 5, 4; ædiles Corinthiis, XXI, 5, 7.

Memor autem sui consilii, non nisi excerptis, quæ cognoscendi voluptate sint jucunda et exemplo necessaria, florum corpusculum faciendi (Præf. §. 4), haud semel rerum seriem interrumpit, multaque præterit. Vid. not. ad I, 6, 15; I, 7, 3; I, 7, 14; VI, 6, 7. Perverse haud raro de rebus judicat, XXII, 3, 7; XXII, 7, 7-9; XVIII, 7, 18; XXII, 3, 7; XXII, 4, 2; XXII, 7, 9; XXV, 5, 3. Hyperbolice rem effert, V, 6; VI, 7, 3; VI, 8, 3; VI, 9; XI, 6, 6; XVI, 1, 12; XXV, 2, 8-10.

III. Justini editorum et commentatorum brevis recensio, digesta secundum Fischeri præfat. pag. 7-28; Fabricii bibl. lat. ed. Ernesti, Lipsiæ, 1774, vol. III, pag. 58-67; Harlesii brev. notit. liter. Rom., inprimis script. lat., Lipsiæ, 1789, pag. 493-498.

Sect. 1. Codices quidem hujus scriptoris commemorantur:

1. In Italia tres bibl. Mediceæ, a Jac. Grovonio collati; duo bibl. Vaticanæ, a Montefalconio inspecti.

2. In Francogallia decem a Bongarsio collati ex bibl. Jac. Cujacii, Petri Danielis, Pithœorum fratrum, Cl. Puteani, Olivarii Aligretti; unus bibl. Thuani a Jac. Gronovio collatus; unus gymnasii Lexoviensis (*Lisieux en Normandie*) membraneus, sæculo circiter XII scriptus, quo usus est P. Danesius (nr. 10).

3. In Anglia quatuor bibl. Bodleianæ, Westmonasteriensis, collegii novi corporisque Christi Oxoniensis; duo bibl. regiæ Lond. et Cantabr., quorum hujus excerpta inspexit, illum ipse contulit Jac. Gronov.

4. In Batavia quinque bibl. Leidensis, quorum duos e bibl. G. I. Vossii contulerat J. F. Gronovius, unum possederat Perizonius chartaceum, collati omnes ab Abr. Gronovio (nr. 26).

5. In Germania duo bibl. Fuldensis, collati a Fr. Modio (nr. 15).

Sect. II. Editiones, quarum ætates constitui possunt hæ: 1. Editionum principum e MSS. ductarum, 1470-1502. 2. Sabellici, 1510. 3. Asulani, 1522. 4. Bongarsii, 1581. 5. Grævii, 1668.

Editiones ipsæ sunt:

1. Venetiis, 1470, in-4, apud Nic. Jensonum, e libris scriptis ducta, in cujus calce hi versus leguntur:

> Historias veteres, peregrinaque gesta revolvo
> Justinus. Lege me! sum Trogus ipse brevis.
> Me Gallus Veneta Jenson Nicolaus in urbe
> Formavit, Mauro Principe Christophoro.

2. Romæ, 1472, in-fol., curantibus Conr. Schweinheimio et Arn. Panartio (*Pannarz*); nec non Romæ sine anni indicio, circa an. 1470, curante Udalrico Gallo (*Hahn*), cujus ibi officina exstitit ab anno inde 1468. Hæc quoque editio e libris scriptis est ducta.

3. Mediolani, 1474, curante Ant. Zarotho, e Jensoniana, ut videtur, ducta: quod vel versus huic in calce additi innuunt:

> Historias veteres, peregrinaque gesta revolvo
> Justinus. Lege me! sum Trogus ipse brevis.
> Quem manus Antoni; Zarotho sanguine ereti,
> Impressit solers, Insubribusque dedit.

4. Mediolani, 1476, in-fol., sumtu Christoph. Waldarferi, Ratisbonensis, expressa e libro scripto bonæ notæ ita religiose, ut loca aperte depravata non corrigeret, scribendique rationem vitiosam servaret. Hanc, quæ in bibl. Sen. Lips. servatur, editionem diligenter contulit Fischerus (nr. 28).

5. Venetiis, 1478, 1479, in-fol., apud Phil. Condam Petri; 1484, 1497: omnes illæ a Metario commemoratæ. Commemorantur etiam edd. Venetæ, 1494, 1502, in-fol.; Argentoratensis, 1506, in-4, cum Aurelio Victore de Viris Illustribus.

6. Sæculo XVI. Mediolani, 1502, 1510, in-fol., cum Cornelio Nepote.

7. Venetiis, sine anni indicio, curante Marco Antonio Sabellico (1436-1506), Pomponii Læti discipulo; nec non 1510, in-8, apud Augustinum Becharium, Mortariensem: in qua editione curanda, ille præter edd. superiores, inprimis Mediol. etiam codices contulisse videtur, Antonii Moreti diligentia adjutus: ita ut Sabellicus primus Justinum critica ratione recensuisse dici possit. Repetita, adjuncto Floro, Sexto Rufo et aliis quibusdam, Parisiis, 1510, in-4, sumtu Joh. Parvi.

8. Venetiis, 1512, in-fol., apud Joh. Tacuinum, quæ est in bibl. Sen. Lips., collata a Fischero (nr. 28).

9. Viennæ, 1517, in-4, cum indice Camertis.

10. Parisiis, 1519, in-fol., cura Petri Danesii (nat. 1497, prof. græcæ linguæ in collegio Navarræ Paris., 1530, episc. Lavaur. 1557, mort. 1577), sumtu Joh. Parvi, typis Antonii Aussurdi, in-fol. Editor contulit cod. vetustissimum sæculi XII. Vid. supra I, 2.

11. Venetiis, 1522, in-8, cum Cornelio Nepote, curante Andrea Asulano, Ald. Manutii (1443-1515) socero, qui libris et scriptis et editis collatis, plura e conjectura quoque correxit. Hanc, quæ in J. G. Joecheri, prof. Lips. bibl. erat, contulit Fischerus (nr. 28). Atque hic Asulanus alteram editionum classem jure suo meritoque constituit.

12. Florentiæ, 1525, apud Juntas, tota fere ex antecedente expressa.

13. Hagenoæ, 1526 et 1533, in-4, cum præf. Phil. Melanchthonis, curante Georg. Majore (qui vixit 1502-1574), qui, superioribus editionibus consultis, optimas lectiones recepit, aliis in margine notatis, diligenter et ingeniose. Repetita Coloniæ, 1533, in-8, et 1549, in-4, et Basil. 1543-1553, cum notis Majoris et Joh. Sichardi (nat. 1599, mort. 1552 prof. juris Tubing., qui Justinum antea 1526, 1530 Basileæ, in-8, apud Cratandrum ediderat), apud Barthol. Westheimer; et 1539, in-4, apud Insingrin, curante Si-

mone Grynæo (1493-1541, prof. Basil. inde ab an. 1529). Huc refer: Lugduni (*Lyon*), 1542, in-8; Parisiis, 1543, in-8, apud Rob. Stephanum (1503-1559); Coloniæ, 1543-1548; Antuerpiæ, 1543, in-8; 1552, in-12; Lugduni (*Lyon*) apud Gryphium, 1555, in-8, cum Aurelio Victore, 1557, in-12; 1559, in-12; 1573, in-12, cum Vineti (nr. 16) in Aurelium notis; Basileæ, 1562, in-8, additis in calce H. L. Glareani, patricii Claronensis (1488-1563) notis.

14. Parisiis, 1581, in-8, cura Jac. Bongarsii (nat. Aureliæ 1554, ergo tum vigesimum septimum ætatis annum agentis, mortui Parisiis 1612), egregie de Justino suo meriti, quippe qui editionibus tribus, codicibus decem (vid. supra I, 2) collatis, textum recensuit, variasque lectiones in peculiarem librum conjecit (vid. infra nr. 27 et 28), multasque ipse conjecturas proposuit egregias. Merito igitur hunc his versibus celebravit R. Massacus:

Justinum longo caries exederat ævo;
Tentarantque diu vario medicamine multi
Alte infossum ulcus nequicquam explere chirurgi.
Vivebat mage morbus: et atrox fistula, subter
Dum latitat, duro formarat margine cancrum;
Cancrum incuratos serpentem impune per artus.
Sic sæpe indocta crudescunt vulnera dextra.
Non tulit hanc speciem, putrique latentia pelle
Justini retegens Bongarsius ulcera Chiron:
Siccine opus tantum tabescet, vindice nullo?
Dixit, et adscitu Phœbeæ viribus artis,
Septica combussit, callosaque labra recidit,
Explens carne sinus rediviva, ut nulla cicatrix
(Tam felix medicus!) spectetur corpore toto.
Ecquis adhuc ullum putet insanabile vulnus?

15. Francofurti, 1587, 1591, 1612, in-12, apud Joh. *Wechel*, cura Franc. Modii (1556-1597), qui sequitur Bongarsium non nisi paucis quibusdam locis lectionem aliter constituens, tum ex codd. Fuldensibus (supra I, 5), tum ex ingenio, quarum rationem reddit in notis.

16. Bongarsii textum sequuti, de Justino suo historice

illustrando mereri voluerunt 1590 Elias Vinetus (1507-1587); 1602, in-8, Ursellis, Victorinus Strigelius (1524-1569), cujus editio, notis aliorum aucta, repetita est Argent. 1613, 1627, in-8, 1630. Francofurti, Dan. Pareus (1605-1635); 1610, Ursellis, Theoph. Cangieserus, cum hujus in decem priores libros, et Strigelii et Bongarsii (nr. 14) notis. 1612, in-8, Marpurgi, Jan. Gruterus (1560-1627).

17. Argentorati, 1631, aucta 1653, 1662, 1666, in-8, cura Matthiæ Bernecceri (prof. hist. et rhet., qui vixit 1582-1640), non minus bene de scriptore nostro meriti; quippe qui Bongarsii textu fere servato, multas tamen et suas, et J. Freinshemii (nat. 1608, prof. Argent., Upsalæ, Holmiæ, Heidelbergæ, mort. 1660) conjecturas proposuit; Bongarsii, Modii, Strigelii (nr. 14, 15, 16) notas subjecit; præterea verborum formularumque indicem copiosum, a Freinshemio confectum adjecit, primusque libros in capita, capita in paragraphos divisit.

18. Amstelodami, 1638, 1644, 1660, in-12, curante Marco Zuerio Boxhornio (nat. 1612, ab anno inde 1632 prof. Lugd. Bat., mort. 1653) cujus paucæ admodum sunt notæ, vix quartam unius plagulæ partem complentes, in quibus conjecturas varias proponit, et lectiones codicis Leidensis, de quo supra cap. I, 4.

19. Lugduni Bat., 1640, in-12, recensa Amstelodami, 1673, apud Elzevirios, curante Is. Vossio (1618-1673), cujus notæ breves, quæ complent duas fere plagulas formæ minimæ, sunt criticæ et geographicæ. Textum hic, ut superior, sequitur Bongarsianum, quem eundem suum fecerunt Ant. Thysius Lugd. Bat., 1650, in-8, cum notis variorum excerptis; Corn. Schrevelius (mort. 1667 gymnasiarcha Lugdunensis) Amstel. 1659, 1669, in-8, cum notis variorum.

20. Ultrajecti, 1668, 1699, in-12, curante J. G. Grævio (nat. 1632, prof. Duisburgi, Daventriæ, Ultrajecti, 1656-1703), qui, Bongarsio sæpe relicto, Juntinam (nr. 12), sequitur; nec non Amstelodami, 1694, in-12, et 1707, in-8: iterum pluribus edd. diligentius collatis, notisque auctis

Lugd. Bat., 1683, 1701 : in qua quidem utraque editione etiam aliorum interpretum (in his Fabri et Vorstii integræ nr. 21 et 22; nec non Bongarsii, Modii, Bernecceri et Is. Vossii nr. 14, 15, 17, 19) notæ, et index Freinshemianus (nr. 17) a Scheffero et Vorstio (nr. 22 et 23) auctus accesserunt : ita ut editor lectori suo posset adjurare liquido, sine fuco, sine fallaciis et ostentatione, a qua semper se profitetur fuisse alienissimum, meliorem editionem adhuc visam non esse hac Leidensi : vere id quidem, quum aliorum simul opes tibi suppeditet editor, non suas solas. Fischerus autem (nr. 28) rhetorico more hujus laudes prædicans : *Equidem, inquit* (præf., pag. 30), *semper censui, qua in re mihi confido adsensuros esse omnes intelligentes, Grævium fuisse Camerarii mei Gesnerique et Ernestii simillimum, hoc est, eum, cui in senatu nostræ civitatis sententiam dicere licuisset, non pedarium, qui omnes boni interpretis numeros etiam in Justino enarrando implesset, id est, qui constituta e legibus critices lectione vera, obscura illustrasset, impedita expedivisset.*

21. Salmurii, 1668 et 1671, in-8, curante Tan. Fabro (*le Fevre*, nat. 1615, prof. Salmurii, mort. 1672) qui plures proponit conjecturas, non raro audaciores.

22. Lipsiæ, 1673, in-8, curante Joh. Vorstio (nat. 1623, mort. 1676 bibliothecario Berolin.), cujus ipsius notæ pluribus locis multum lucis adfundunt, quique Freinshemii indicem (nr. 17) altero propemodum pleniorem redditum subjecit.

23. Upsaliæ et Hamburgi, 1678, in-8, curante Joh. Scheffero (nat. Argent. 1621, mort. 1679 Upsaliæ, ubi fuerat prof. et bibliothecarius ab anno inde 1648), qui, quod est Fischeri de eo judicium (nr. 28), audacia libidineque emendandi et corrigendi, quæ prava et vitiosa non essent, omnes facile vicit; vir cæteroquin longe doctissimus, sed in conjecturis faciendis parum felix, qui Justinum ita cogitare vellet et scribere, ut se. Indicem Vorstianum (nr. 22) addidit a se auctum.

24. Parisiis, 1677, curante Josepho Cantelio, in usum Delphini, historice et geographice Justinum illustrat.

25. Oxonii, 1674 et 1705, in-8, curante Thom. Hearnio (1678-1735), qui quatuor codices diligentissime contulit (supra I, 4), indeque collectas varias lectiones calci subjecit.

26. Lugduni Bat., 1719, in-8, curante Abr. Gronovio (1775), qui quinque codd. Leidensibus (supra I, 4) collatis, usus præterea excerptis trium codd., a Jac. Gronovio patre (nat. 1645, prof. Lugd. 1679, mort. 1716) in bibl. Med. olim collatorum (supra I, 1), a Grævio interdum recedit, avique sui (J. F. Gronovii, nat. Hamburgi 1611, mort. Lugduni 1671) notis (hucusque in bibl. Gudiana adservatis, quas quamvis paucas, tamen summa hujus critici *divina* doctrina dignissimas judicat Fischerus præf. pag. 30) suas addidit in calce. Iterum Lugd. Batav. 1760, in-8, diligentius scriptorem suum recensuit, notasque auxit præfatione præfixa, in qua de subsidiis, libris et scriptis et editis disseruit.

27. Lugduni Bat., 1722, in-12, apud *Luchtmans*, curante Petro Burmanno (prof. 1696 Ultrajecti, 1715 Lugduni, nato 1668, mort. 1741), qui, Grævii textu fere servato, adjecit lectiones varias et libris et scriptis et editis enotatas, multumque post Bongarsium auctas (nr. 14). Vide infra nr. 28.

28. Lipsiæ, 1757, in-8, curante Joh. Frid. Fischero (tum scholæ Thomanæ Lips. conrectore, ab anno inde 1767 rectore, nato 1724, mortuo 1799), ex recens. Grævii (an. 1701, nr. 20) cum ejusdem et J. F. Gronovii (nr. 26) animadversionibus, et Trogi prologis, 27 plagulis; quibus accedunt Jac. Bongarsii (nr. 14) excerptiones chronologicæ, ejusdem libellus variarum lectionum, post P. Burmanni (nr. 27) curas auctus ab editore, qui contulit editiones 4, 8, 10, 11, 13, 14: quæ complent 15 plagulas; et præter S. F. Dresigii (Conr. schol. Thom. 1734, mort. 1742) epistolam super aliquot Justini locis (1738) 1 plagula, index Freinshemianus, a Vorstio et Scheffero auctus (nr. 17, 22

et 23), ex edit. Græviana (nr. 20) Lugd. 1701 translatus, 11 plagulis : quibus præmisit doctam de Justini editionibus præfationem, adjunctis Burmanni et Grævii præfationibus, 4 plagulis.

29. Biponti, 1784, cui præmissa est notitia literaria, subjectis Bongarsii excerptionibus chronologicis (nr. 14). Hujus editionis textum repetiit bibliopolium orphanotrophei Halensis, 1801.

30. Lemgoviæ, 1793, in-8 : *Zum Gebrauch der ersten Anfänger, mit kurzen histor. und grammatischen Anmerkungen, wie auch mit einem Wörterbuche versehen von A. C. Meineke* (nat. 1757, tum ex an. 1789. Rect. Soest, ab anno inde 1800 Dir. Oster.). Textum dedit Bipontinum (nr. 29), quem typi grandiores, chartæ bibulæ impressi, non sane commendant.

31. *Iustins Weltgeschichte, übersezt mit erläuternden Anmerkungen von J. P. Ostertag* (rect. Ratisbon. ab anno inde 1776, mort. anno 1801), Francofurti, 1781.

32. Nitore typorum chartarumque splendore se commendant editiones curatæ a Mich. Maittario (1667-1747) Lond. 1713, in-8; Nic. *Bailey*, Lond. 1732, in-8, lat. et anglice; et apud Joh. *Barbou*, Paris. 1770, in-12.

33. Thom. *Wopkens* notas in Justinum inseruit observationibus miscellaneis a Dorvillio editis tom. X, pag. 1-348.

34. De ratione et consilio, quod sequitur Justinus, seu potius Trogus Pompeius, disserit J. C. Gattererus (Prof. Gotting. 1759, nat. 1727, mort. 1799) *in seiner histor. Bibliothek*, vol. III, pag. 18, Halæ, 1767.

SECT. III. EÆDEM EDITIONES EX LITERARUM ORDINE.

Not. Numeri additi respiciunt antecedentem sectionem II.

IV. CHRONOLOGIA,

EX JUSTINI LIBRIS XLIV EXCERPTA.

Not. 1. In hac digerenda sequutus sum Petavii et Gattereri rationes, quibuscum statuo :

Circa annum mundi 2000, Abrahami ætatem;
2500, Mosis;
2800, Trojam eversam;
3230, Romam conditam;
Cujus an. 753, Christus nascitur, ergo anno mundi 3983.

Porro memoria mentis auxilio, has facile sibi infiget epochas, quas constituunt.

A. U. 1. Romulus.
200. Cyrus, Persici imperii auctor.
400. Alexander, Macedonici imperii conditor.
600. Scipio et Mummius, Carthaginis et Corinthi eversores, Romani imperii epocham constituentes.

Not. 2. Persequitur Noster historiam ab antiquissimo illo, quem quidem ipse novit, Assyriæ rege, Nino, ad Augusti usque de Parthis victoriam incruentam, id est, ab an. mundi 1808, ad annum usque 3963 (A. U. 733): quod quidem temporis spatium complectitur annos 2155: quo fere modo Diodorus quoque Siculus, qui circa A. U. 740, historiam catholicam conscripsit, ab antiquissima rerum origine illam persequitur ad annum U. 694, olymp. 180-181.

SECT. I. IMPERIUM ASSYRIORUM.

Not. 1500 annis Nino antiquiores sunt (A. M. 300), Sesostris Ægypti Tanaus Scythiæ rex, I, 1, 6; II, 3, 18.

A. M.

Assyrii Asiæ superiori imperant per annos 1300, I, 2, 13; ergo ab A. M. 1808-3108.

1808-1860. Ninus, Assyriæ rex, I, 1, 4-10, per annos 52. Zoroaster, Bactrianæ rex, a Nino victus et occisus, I, 1, 9.

1860-1902. Semiramis, Assyriæ regina, I, 2, 1-10, per an. 42.

1902-1940. Ninyas, Nini filius, Assyriæ rex, per an. 38. Atque ab illo primo Assyriæ rege ad trigesimum usque sextum (vid. not. ad I, 2, 12) Sardanapalum numerat auctor (I, 2, 13), annos 1300; ergo Assyriæ regno destructo imperium Asiæ transfertur ad Medos, I, 2, 13; I, 3, 7. A. M. 3108.

2008-2183. Abrahamus.

2168-2315. Israel, Abrahami nepos, sive Jacobus, XXXVI, 2, 3.

2259-2369. Josephus, Jacobi filius, XXXVI, 2, 6.

A. M.

2426-2476. Cecrops, rex Athenarum, II, 6, 7.
2433-2553. Moses, XXXVI, 2, 11.
2476-2485. Cranaus, rex Athenarum, II, 6, 8.
2485-2495. Amphictyon, rex Athenarum, II, 6, 9.
2513. Israelitæ, duce Mose, emigrant ex Ægypto, XXXVI, 2, 13.
2553. Israelitæ, duce Josua, intrant Palæstinam, XXXVI, 2, 14.
2585-2635. Erechtheus, rex Athenarum, II, 6, 12.
Triptolemus frumenti sationem reperit, II, 6, 13.
2640. Janus et Saturnus reges Latii, XLIII, 1, 3.
2670. Picus, Jani filius et successor, XLIII, 1, 6 not.
2700. Faunus, Pici filius et successor, XLIII, 1, 6.
2700-2748. Ægeus, rex Athenarum, II, 6, 14.
2721. Argonautæ, XLII, 2, 11.
Orpheus, horum æqualis, mysteriorum auctor, quibus initiat Midam, regem Phrygiæ, XI, 7, 14.
2748-2778. Theseus, rex Athenarum, II, 6, 15.
2750. Hercules, comite Theseo, Amazonibus bellum infert, II, 4, 18 et 29.
2760. Latinus, Fauni (A. M. 2700 *) nepos, XLIII, 1, 9. Æneas, Latini gener et successor (A. M. 2800).
Cocalus, rex Siciliæ, IV, 2, 2.
2799. Tyrus condita, XVIII, 3, 5. Sed vid. not.
2790-2800. Bellum Trojanum, II, 4, 31; II, 6, 15; VII, 1, 5.
Diomedes, patria pulsus, emigrat in Italiam, XII, 2, 7; condit Arpos, XX, 1, 10.
Pyrrhus emigrat in Epirum, XVII, 3, 3.
Philoctetes emigrat in Italiam, XX, 1, 16.
Antenor condit Venetos, XX, 1, 8.
Æneas, Latinorum rex, XX, 1, 12; XLIII, 1, 10; coll. ad an. 2760.

* *Not.* Epochæ, parenthesi inclusæ, ad easdem supra epochas respiciendum esse indicant.

A. M.

Teucer emigrat in Gallæciam, XLIV, 3, 2.

2801. Demophon, rex Athenarum, II, 6, 15.

2811. Utica a Tyriis condita, XVIII, 4, 2.

2810. Æneæ succedit Ascanius, XLIII, 1, 13; regnat annos 38.

2840. Alba Longa ab Ascanio conditur, anno regni tricesimo, ibidem.

2913. Codrus, rex Athenarum morti se offert pro patria, II, 6, 19-21.

Archontes Athenarum perpetui per annos 314 ad annum usque 3227; not. II, 7, 2.

3098. Dido Tyria Carthaginem condit, XVIII, 4, 3; et cap. 6, 9; coll. XI, 10, 13, et not. ad XVIII, 5, 9.

3100. Lycurgus, Spartanorum legislator, III, 2, 5.

3108. Sardanapalus, ultimus Assyriorum rex, I, 3, 1; coll. cap. 2, 13. (A. M. 1940.)

SECT. II. IMPERIUM MEDORUM.

Medi jam imperant Asiæ superiori per 350 annos, I, 6, 15; ergo 3108-3458 (vide infra A. M. 3429), qui est annus U. C. 228 (vide quoque infra A. U. 199, aut 203). Conf. de seq. A. U. 168.

3165. Caranus, Argivus, occupat Edessam Macedoniæ, VII, 1, 7.

3177-3219. Amulius, rex Albæ Longæ per annos 42, XLIII, 2, 1.

3201. Romulus et Remus nascuntur, XLIII, 2, 3.

Ol. an.	A. M.	
4, 1	3219	Battus Cyrenen condit, XIII, 7, 11.
	3219	3219-3230. Numitor, rex Albæ Longæ, XLIII, 3, 1.
6, 1	3227	Archontes (A. M. 2913) Athenis decennales per annos 70 ad annum usque Romæ conditæ 67; not II, 7, 2.
4	3230	Roma conditur, XLIII, 3, 1.

Ol. an.	A. U.	
6, 4	1	1-37. Regnat Romulus, Romæ conditor, XXXVIII, 6, 7; XLIII, 3, 1.
9, 2	11	11-31. Bellum Spartanorum Messenium primum, III, 4.
14, 1	30	30-78. Perdiccas, Macedoniæ rex, VII, 2, 1.
15, 4	37	37-75. Gyges, Lydorum rex, I, 7, 17.
16, 1	38	38-81 (A. U. 1). Numa, secundus Romæ rex, XXXVIII, 6, 7 not.
19, 1	50	Phalanthus, dux Partheniorum, condit Tarentum, III, 4, 7-18.
23, 2	67	Archontes (A. M. 3227) Athenis annui, II, 7, 2 not.
4	69	69-86 (A. U. 11). Bellum Spartanorum Messenium secundum, III, 5.
26, 1	78	78-110. Argæus, rex Macedoniæ, VII, 2, 5.
34, 1	110	110-145 (A. U. 78). Philippus, rex Macedoniæ, VII, 2, 5.
40, 4	137	137-175. Tarquinius Priscus, Romæ rex, XXXVIII, 6, 7; XLIII, 3, 4.
42, 4	145	145-187 (A. U. 110). Aeropus, rex Macedoniæ, VII, 2, 5-12.
45, 1	154	Massilia in Gallia a Phocæensibus condita, XLIII, 3, 4.
46, 4	161	Solon, Athenis archon, legislator, II, 7, 4.
48, 1	166	166-201. Astyages, Medorum rex ultimus (A. M. 3108), I, 4, 1, ibique not.; coll. I, 6, 15.
50, 2	175	175-219. Servius Tullius, Romæ rex, XXXVIII, 6, 7 not.
52, 1	182	Cyrus nascitur et exponitur, I, 4, 6.
54, 3	192	Cyrus (A. U. 182) agnitus ab avo recipitur, I, 5.
55, 2	195	195-227. Pisistratus, Athenarum tyrannus, II, 8, 6-10.
3	196	196-215. Crœsus, rex Lydiæ, I, 7, 3.
57, 2	203	Cyrus (A. U. 192), Astyage (A. U. 166) pulso, potitur Medorum imperio, I, 6.

Ol. an.	A. U.	
		SECT. III. IMPERIUM PERSARUM.
		Persæ imperant Asiæ ad annum usque 423. Vid. II, 14, 6.
58, 3	208	Massilia (A. U. 154).
60, 2	215	Cyrus capit Crœsum (A. U. 196), I, 7, 3.
61, 2	219	219-244. Tarquinius Superbus, septimus et ultimus Romæ rex, XXXVIII, 6, 7 not. Hoc regnante floret Pythagoras, XX, 4, 2.
62, 2	223	Cyrus capit Babylonem, I, 7, 3.
4	225	Cyrus perit apud Massagetas, I, 8 (A. U. 203). Cambyses filius succedit, I, 9, 1.
63, 2	227	Pisistrato (A. U. 195) mortuo succedit Hipparchus filius, II, 9, 1.
64, 3	232	Cambyses (A. U. 225) perit, I, 9, 8; Pseudo Smerdis regnat 7 menses, I, 9, 23 not. 232-268 Darius, Hystaspis filius succedit, I, 10, 6.
66, 4	241	Scythis bellum infert Darius (A.U. 232), I, 10, 23; 2, 5, 9 : Hipparchus interficitur, II, 9, 1 (A. U. 227).
67, 1	242	Macedoniam sibi subjicit Darius (A. U. 241), II, 5, 12; VII, 3.
4	245	Hippias Athenis pellitur, II, 9, 6.
68, 1	246	246-275. Amyntas, rex Macedoniæ, VII, 2, 13.
72, 3	264	Prælium Marathonium, II, 9, 9.
73, 3	268	268-281. Dario (A.U.232) succedit Xerxes, II, 10.
4	269	269-275. Gelo, Syracusarum tyrannus, XXIII, 4, 4.
75, 1	274	Pugna ad Thermopylas, II, 11; ad Salamina, II, 12. Hamilcar, Carthaginiensium dux, in Sicilia interficitur, XIX, 2, 1.
2	275	Pugna ad Platæas et Mycalen, II, 14.
		275-318. Amyntæ (A. U. 246) succedit Alexander I, VII, 4, 1-2.
3	276	Athenarum urbs et portus reficitur, II, 15, 1-12.

Ol. an.	A. U.	
76, 1	278	Pausanias Spartanus, Aristides Atheniensis fines Persarum populantur, II, 15, 13-16.
2	279	Anaxilaus, Siculorum tyrannus, IV, 2, 4.
4	281	281-329. Xerxi (A. U. 268) trucidato succedit Artaxerxes Longimanus, III, 1, 2.
77, 3	284	Cimon Atheniensis Persarum classem fugat, II, 15, 20.
4	285	285-295. Bellum Spartanorum Messenium tertium. (A. U. 69) III, 6.
78, 2	287	Micythus, Anaxilai (A. U. 279) filiorum tutor, Rhegio abit Tegeas, IV, 2, 5.
79, 2	291	Athenienses Inaro, Ægypti regi, auxilium ferunt, III, 6, 6.
80, 4	297	Spartani cum Thebanis paciscuntur contra Athenienses, III, 6, 10: quod bellum continuatur ad annum usque 308. Vid. not. III, 7, 1.
85, 4	317	Sophocles Periclis collega in imperio, III, 6, 13.
87, 2	323	323-350. Bellum Peloponesiacum, III, 7, 2.
88, 3	328	328-330. Athenienses pugnant in Sicilia pro Leontinis contra Syracusanos a Spartanis adjutos, IV, 3, 6; coll. III, 7, 16.
4	329	Artaxerxi (A. U. 281) succedunt Xerxes II, et Sogdianus per 9 menses, V, 1, 7 not.
89, 1	330	Darius Nothus, rex Persarum, V, 1, 7.
3	332	Induciæ, Spartanos inter et Athenienses initæ in 50 annos, non nisi 6 annos et 6 menses servantur, III, 7, 13.
91, 2	339	339-341. Athenienses contra Syracusanos a Spartanis adjutos bellum finiunt infelicissime, IV, 4-5.
		Alcibiades damnatus exsulat, V, 1, 1-2.
3	340	Alcibiades exsulat Spartæ, V, 1, 3.
92, 2	343	Alcibiades Spartanis suspectus confugit in Asiam ad Persas, V, 2, 5.
		Idem ab exercitu revocatur, V, 3, 6; bellum-

Ol. an.	A. U.	
		que ab hoc inde ad annum usque 346 administrat felicissime, V, 4, 1-7.
92, 3	344	Spartani et Persæ ab Atheniensibus apud Sestum vincuntur, V, 4, 1-2.
		Syracusani petuntur bello a Carthaginiensibus, V, 4, 5.
93, 1	346	Alcibiades iterum (A. U. 339) exsul, V, 5, 4-8; ei sufficitur Conon, V, 5, 4; V, 6, 1.
3	348	Mense Decembri Lysander capit classem Atheniensium ad Ægos flumen, V, 6.
		Conon (A. U. 346) aufugit in Cyprum, V, 6, 10.
		Hannibal, Carthaginiensium dux, cum majore exercitus parte consumitur peste in Sicilia, XIX, 2, 7.
		348-386. Dionysius, Syracusarum tyrannus, XX, 1.
	349	Athenæ capiuntur, V. 8.
4		349-388. Dario (A. U. 330) succedit Artaxerxes Mnemon, V, 8, 7; et cap. XI, 1.
94, 1	350	Bellum Peloponesiacum (A. U. 323) finitum, V, 8.
		Triginta tyranni Athenis, V, 8, 9.
		Alcibiades perit, V, 8, 14.
2	351	Thrasybulus Athenas liberat 30 tyrannis, V, 9, 10.
4	353	Cyri in Artaxerxem fratrem (A. U. 349) expeditio, V, 11.
95, 1	354	Decem millium Græcorum in patriam reditus, V, 11, 10-11.
2	355	Spartani Dercyllidam in Asiam mittunt, VI, 1, 2.
96, 1	358	358-360. Agesilaus bellum gerit cum Persis in Asia, VI, 2, 4-17.
3	360	Lysander cadit ad Haliartum, VI, 4, 5-6.
		Cononis ad Cnidum de Pisandro Spartano victoria mense Augusto ineunte, VI, 3, 10.
		Agesilaus (A. U. 358) ex Asia reversus, ad Coroneam cædit Bœotios mense Augusto exeunte, VI, 4, 13.

Ol. an.	A. U.	
96, 4	361	Conon Athenarum muros restituit, VI, 5, 9.
97, 2	363	363-384. Amyntas II, rex Macedoniæ, VII, 4, 3.
98, 2	367	Pax Antalcidæ Spartani cum Persis, VI, 6, 1-4.
		Roma a Gallis capta, VI, 6, 5.
3	368	Spartanorum bellum cum Arcadibus, VI, 6, 6.
99, 3	372	Spartani Cadmeam occupant, VI; 6, 7 not.
102, 2	383	Leuctrica pugna, VI, 6, 7 not.
3	384	384-385. Alexander II, Macedoniæ rex, VII, 4, 8; VII, 5, 1-4.
		Philippus Thebis obses, VII, 5, 2.
4	385	Epaminondas oppugnat Spartam, VI, 7, 1.
103, 1	386	386-389. Ptolemæus Alorites, rex Macedoniæ, VII, 5, 1 not.
		Dionysius (A. U. 348) Syracusarum tyrannus perit, XX, 5, 14.
		Dionysius minor succedit, XXI, 1, 1; ad annum usque 411.
3	388	388-414. Artaxerxi Mnemoni (A.U. 349) succedit Artaxerxes Ochus, X, 3, 1; coll. cap. I, 1.
4	389	389-394. Perdiccas III, rex Macedoniæ, VII, 5, 6.
104, 1	390	Clearchus, Heracleæ tyrannus, XVI, 4, 4.
2	391	Pugna Mantineensis; Epaminondæ mors, VI, 7, 11-12.
105, 1	394	Philippus (A. U. 384) Thebis aufugit, fratrique Perdiccæ (A. U. 389) occiso succedit, VII, 5, 6.
2	395	395-418. Philippus Macedoniæ rex, VII, 5, 9.
106, 1	398	Alexander nascitur.
		Dionysius (A. U. 386) Sicilia pellitur, XXI, 2, 8.
2	399	399-408. Bellum sacrum, VIII, 1, 4 not.
108, 3	408	Dionysius (A. U. 398) ex Italia Syracusas redit, XXI, 3, 10.
		Philippus bellum Phocense conficit, VIII, 2.
109, 2	411	Dionysius (A. U. 408) Corinthum abit in exsilium, XXI, 5, 2.
3	412	Alexander, Olympiadis frater, Epiri rex, VIII, 6, 4. Conf. an. 423.

Ol. an.	A. U.	
109, 4	413	Philippus, Chersonesi victor, IX, 1.
110, 1	414	415-418. Artaxerxi Ocho (A. U. 388) succedit Arses, X, 3, 5 not.
3	416	Philippus Atheniensium victor ad Chæroneam IX, 3, 9 not.
4	417	Philippus Græcorum concilium convocat Corinthum, IX, 5, 1.
111, 1	418	418-430. Alexander succedit Philippo (A.U. 395) occiso, IX, 6 et 8; anno regni 24, ætatis 47.
		418-424. Arsi (A. U. 415) succedit Darius Codomannus, X, 3, 3-7.
3	420	Alexander fugat Persas apud Granicum, XI, 6, 10.
4	421	Alexander fugat Persas apud Issum, XI, 9.
112, 1	422	Alexander capit Tyrum, XI, 10, 14.
2	423	Alexander condit Alexandriam, XI, 11, 13.
		Alexander fugat Persas apud Arbelam, XI, 14.
		Alexander, Epiri rex perit, XII, 2, 2 not.; succedit Æacides, VIII, 6, 4 not.
3	424	Darii (A. U. 418) mors; Persarum imperii finis, X, 3, 7; XI, 14, 6.
		SECT. IV. IMPERIUM MACEDONUM.
		Antipater cædit Agidem regem Spartanorum, XII, 1, 6-11.
113, 1	426	Alexander Caucasios populos subigit, XII, 5, 9.
2	427	Alexander petit Indiam, XII, 7, 4; vincit Porum, XII, 8.
4	429	Alexander Babylonem redit, XII, 13.
114, 1	430	Alexander (A. U. 398, 418) moritur Babylone, XII, 13, anno ætatis 33; cap. 16, 1.
2	431	Præfecturæ imperii Alexandri Magni dividuntur inter duces, XIII, 4; bellum Lamiacum, XIII, 5.
3	432	Neoptolemus et Perdiccas occiduntur, XIII, 8, 7 et 9; nec non Craterus, XIII, 8, 7 not.
3	432	Seleucus Babyloniæ præfectus, 15, 4, 1 not.

Ol. an.	A. U.	
115, 1	434	Romani a Samnitibus sub jugum mittuntur, XVIII, 4, 12.
2	435	Antipater moritur, XIV, 5, 3 not.
4	437	Aridæus et Eurydice occiduntur ab Olympiade, XIV, 5, 10.
		Agathocles Syracusarum tyrannus, XXII, 1.
116, 1	438	Eumenes captus ab Antigono occiditur, XIV, 4, 21 not.
		Olympias occiditur a Cassandro, XIV, 6, 11.
117, 1	442	Æacidæ (A. U. 423) succedit Pyrrhus, VIII, 6, 4 not.
3	444	Agathocles (A. U. 437) bellum contra Pœnos transfert in Africam, XXII, 4.
118, 2	447	Regum nomen adsumunt præfecti imperii Alexandri (A. U. 431), XV, 2, 10.
119, 4	453	Antigonus cadit in prælio ad Ipsum, XV, 4, 22.
		Agathoclis (A. U. 444) cum Brutiis bellum, XXIII, 1, 3.
120, 3	456	Cassandro defuncto succedit in Macedonia Philippus, XV, 4, 24.
		Antipater Philippi frater et successor, XVI, 1.
121, 3	460	Demetrius occupat Macedoniam, XVI, 1.
122, 4	465	Agathocles (A. U. 437) Syracusarum tyrannus perit, XXIII, 2.
123, 3	468	Demetrius moritur, XVI, 2, 6; coll. cap. 1, 18.
124, 1	470	470-507. Ptolemæo Lagi (A. U. 431), Ægypti regi, succedit Philadelphus, XVI, 2, 7.
3	472	Rhegini a sociis in auxilium advocatis opprimuntur, IV, 3, 1.
		Lysimachus perit, XVII, 2, 1.
4	473	Pyrrhus vincit Romanos, XVIII, 1, 6; coll. XXXVIII, 4, 5.
		Seleucus (A. U. 432) occiditur a Ptolemæo Cerauno, XVII, 2, 4.
		473-493. Antiochus Soter, rex Syriæ, XVII, 2, 10 not.

Ol. an.	A. U.	
125, 1	474	Pyrrhus iterum vincit Romanos, XVIII, 1, 11; coll. XXXVIII, 4, 5.
2	475	Ptolemæus Ceraunus (A. U. 473) occiditur a Gallis, duce Belgio, XXIV, 3, 10 : quorum alter dux Brennus, cum majore exercitus parte, ad Delphos cæsus perit, XXIV, 6.
3	476	Galli cæduntur ab Antigono Gonata, XXV, 2.
126, 1	478	Galli occupant Gallo-Græciam, XXV, 2, 11.
127, 1	482	Pyrrhus (A. U. 442) occiditur, XXV, 5, 1.
4	485	Hiero, dux Syracusanorum, rex an. 490. Vid. not. ad XXIII, 4, 1.
128, 4	489	489-512. Bellum Romanorum Punicum primum, XLI, 4, 3.
129, 4	493	493-508. Soteris (A. U. 473) successor Antiochus Deus, XXVII, 1, 1.
131, 1	498	Parthi deficiunt a Syris, XLI, 4, 3 not.
2	499	Bactrianorum præfectus Theodotus deficit a Syris, XLI, 4, 5.
3	500	500-537. Parthorum rex alter Teridates, XLI, 5, 7.
133, 2	507	507-533. Philadelpho (A. U. 470) succedit Evergetes, XXVII, 1, 1.
3	508	508-528. Antiochi Dei (A. U. 493) successor Seleucus II, XXVII, 1, 1.
134, 2	511	Theodotus II, succedit patri (A. U. 499), XLI, 4, 9.
3	512	512-522. Antigono Gonatæ regi Macedonum succedit Demetrius, XXVI, 2, 11 not.
135, 3	516	516-525. Hamilcar Carthaginiensium dux in Hispania, XLIV, 5, 4.
137, 1	522	522-533. Demetrio II (A. U. 512) succedit Antigonus II, XXVIII, 3, 9 et 10.
4	525	525-533. Hamilcaris (A. U. 516) in Hispania successor Hasdrubal, XLIV, 5, 5.
138, 3	528	Seleuco II (A. U. 508) succedit per an. 528-31. Seleucus III, XXVII, 3, 12.

Ol. an.	A. U.	
139, 2	531	531-567. Seleuco (A. U. 528) fratri succedit Antiochus Magnus, XXIX, 1, 3.
3	532	Cleomenes, rex Spartæ, victus ab Antigono (A. U. 522) confugit in Ægyptum, XXVIII, 4, 10.
4	533	533-576. Antigono (A. U. 522) succedit Philippus, XXVIII, 4, 16.
		533-550. Evergetæ (A. U. 507) succedit Philopator, XXIX, 1, 5.
		Hasdrubalis (A. U. 525) successor Hannibal, XXIX, 1, 7; XLIV, 5, 6.
140, 1	534	Lycurgus, Spartæ rex, XXIX, 1, 6.
		Paulus, Romæ consul, vincit Illyrios, XXIX, 2, 1.
2	535	535-550. Hannibal in Italia, XXXVIII, 4, 6; XLIV, 5, 6.
3	536	Hannibal cædit Flaminium consulem Romæ, XXIX, 2, 7.
4	537	Philippus (A. U. 533) mittit legatos ad Hannibalem (A. U. 533), XXIX, 4, 3.
		537-545. Teridati (A. U. 500) succedit Artabanus, XLI, 5, 7 not.
141, 1	538	Lævinus in Græciam trajicit, XX, 4, 4.
2	539	Hieroni (A. U. 485) succedit Hieronymus nepos.
142, 3	544	Philippus (A. U. 537) solicitat Achæos in Romanos, XXIX, 4, 5.
		Dardani Macedoniam vastant, XXIX, 4, 6.
4	545	545-560. Artabano (A. U. 537) succedit Priapatius, XLI, 5, 8.
143, 2	547	Philippus (A. U. 544) pacem init cum Romanis, XXIX, 4, 11.
144, 1	550	Scipio vincit Hannibalem ad Zamam, XXXVIII, 6, 5 (A. U. 535).
		550-573. Philopatori (A. U. 533) succedit Epiphanes, XXX, 2, 6.
		Syphax, Numidiæ rex capitur a Lælio, XXXVIII, 6, 5.

Ol. an.	A. U.	
144, 2	551	Bellum Punicum alterum (A. U. 535) finitum, XXXIV, 1, 1.
3	552	Epiphanes (A. U. 550) sub tutela Romanorum, XXX, 2, 8.
145, 1	554	Achæi deficiunt a Philippo (A. U. 544) ad Romanos, XXIX, 4, 12.
2	555	Philippus (A. U. 554) vincitur a Flaminino ad Cynoscephalas, XXX, 3, 7.
3	556	Hannibal (A. U. 550) confugit ad Antiochum Magnum (A. U. 531), XXXI, 2, 5.
146, 3	560	560-580. Priapatio (A. U. 545) succedit Phraates, XLI, 5, 9.
147, 1	562	Scipio Asiaticus vincit Antiochum (A. U. 556), XXXVIII, 6, 3; XXXI, 8; coll. cap. 7.
2	563	Ætoli a Romanis subacti, XXXII, 1, 2.
		Hannibal (A. U. 556) apud Prusiam in Bithynia, XXXII, 4.
4	565	Manlius triumphat de Galatis, XXXVIII, 6, 3.
148, 2	567	567-578. Seleucus IV succedit patri Antiocho (A. U. 531), XXXII, 2, 2.
4	569	Philopœmen dux Achæorum perit veneno, XXXII, 1, 5; et cap. 4, 9.
		Hannibal (A. U. 563) perit veneno, XXXII, 4, 9.
		Scipio Africanus (A.U.550) moritur, XXXII, 4, 9.
149, 2	571	Philippus (A. U. 555) occidit filium Demetrium, XXXII, 2.
4	573	573-608. Epiphani (A. U. 550) succedit Philometor, XXXIV, 2, 7.
		573-607. Eucratidas, Bactrianorum rex, XLI, 6, 1-5.
150, 3	576	576-584. Perseus succedit Philippo (A. U. 533), XXXII, 3, 3.
151, 1	578	578-590. Antiochus IV Epiphanes succedit Seleuco (A. U. 567), XXXIV, 2, 7.
3	580	580-617. Phraati (A. U. 560) succedit Mithridates, XLI, 5, 10; et cap. 6, 6-9.

Ol. an	A. U.	
152, 3	584	Perseus (A. U. 576) ultimus Macedoniæ rex, capitur a Romanis, XXXIII, 2, 5; coll. anno urbis 424 et anno mundi 3163.
		Popilius legatus Romæ ad Antiochum (A. U. 578), XXXIV, 3, 1.
154, 1	590	590-592. Epiphani (A.U. 578) succedit Eupator, XXXIV, 3, 5.
3	592	592-604. Eupatori (A. U. 590) succedit Demetrius II, XXXIV, 3, 6-9.
157, 3	604	604-608. Demetrii (A. U. 592) occisi regnum occupat Balas, XXXV, 1, 6-11.
4	605	Prusias, Bithyniæ rex occiditur a filio, XXXIV, 4.
158, 2	607	Carthago deletur, XXXVIII, 6, 5; Corinthus deletur, XXXIV, 2, 6.
		607-613. Viriatus Hispanus fortiter bellum contra Romanos administrat, XLIV, 2, 7.
3	608	608-628. Bala occiso (A. U. 604), Demetrius Nicator rex, XXXV, 2, 2-4, et not. ad XXXVI, 1, 1.
		608-635. Philometori (A. U. 573) succedit Physcon, XXXVIII, 8, 2.
159, 1	610	Romanorum legati tres ad Ptolemæum Ægyptium (A. U. 608), XXXVIII, 8, 8.
160, 2	615	Demetrius (A. U. 608) a Parthis capitur, apud quos remanet ad annum usque 624, XXXVIII, 9, 2; coll. not. ad XXXVI, 1, 1; XXXVIII, 10, 7-10.
3	616	616-621. Attalus III, ultimus Pergami rex, XXXVI, 4.
4	617	617-624. Antiochus VII, Demetrii frater (A. U. 615), not. ad XXXVI, 1, 11; XXXVIII, 9, 10.
		617-626. Mithridati (A. U. 580) succedit Phraates, XXII, 1.
161, 4	621	621-624. Pergamus (A. U. 616) Aristonico erepta fit provincia Romana, XXXVI, 4, 5-12.
162, 3	624	Antiocho VII (A. U. 617) a Parthis occiso,

Ol. an.	A. U.	
		XXXVIII, 10, 10, remittitur in regnum Demetrius (A. U. 615), XXXVIII, 10, 7.
162, 4	625	625-632. Alexander Zebina, rex Syriæ, ab Ægypti rege (A. U. 608) subornatus, XXXIX, 1, 4; et cap. 2, 1-6.
163, 1	626	626-630. Phraati (A. U. 617) succedit Artabanus, XLII, 2.
3	628	Demetrius (A. U. 624) perit, XXXIX, 1, 8; succedit filius Seleucus V, 628-629.
4	629	629-691. Mithridates, rex Ponti, XXXVII, 1, 6.
		Seleucus (A. U. 628) a matre occiditur, XXXIX, 1, 9.
		629-658. Antiochus VIII Grypus, rex Syriæ, XXXIX, 1, 9.
164, 1	630	630-667. Artabano (A. U. 626) succedit Mithridates II, XLII, 2, 3.
3	632	Zebina (A. U. 625) occiditur ab Antiocho VIII (A. U. 629), XXXIX, 2, 1-6.
165, 2	635	Antiochus VIII (A. U. 632) occidit matrem, XXXIX, 2, 7-8.
		635-672. Physconi (A. U. 608) succedit Lathurus, XXXIX, 3, 2.
167, 1	643	643-659. Antiochus IX Cyzicenus Antiochi VIII (A. U. 629) æmulus, XXXIX, 2, 10.
168, 2	647	Cæpio consul diripit templum Tolosanum, XXXII, 3, 10.
3	648	Jugurtha a Mario in triumpho ducitur, XXXVIII, 6, 6.
		Cæpio a Cimbris cæditur, XXXII, 2, 11.
4	649	649-651. Cimbri et Teutones vastant Helvetiam, Hispaniam et Galliam, XXXVIII, 4, 14 not.
169, 2	651	651-652. Cimbri cæduntur a Mario, XXXVIII, 4, 14.
171, 1	658	Cyrene Romanis legatur : de Syriæ statu vid. not. ad XL, 1, 1.

Ol. an	A. U.	
171, 4	661	Paphlagonia et Cappadocia libertate a Romanis donantur, XXXVIII, 2, 6-7.
172, 2	663	663-665. Bellum Marsicum, XXXVIII, 4, 13.
4	665	Mithridates vincit Aquilium, XXXVIII, 3, 8; et cap. 4, 4.
		665-671. Bellum civile Sullam inter et Marium, XXXVIII, 4, 14.
174, 2	671	Tigranes, rex Armeniæ, eligitur rex Syriæ (A. U. 658), XL, 1, 3.
175, 2	675	675-681. Sertorianum bellum, XLIII, 5, 11.
178, 1	686	Creta et Cilicia in provinciæ formam a Romanis rediguntur, XXXIX, 5.
		Tigranes (A. U. 671) regno Syriæ privatur a Lucullo, XL, 2, 2.
2	687	687-692. Bellum adversus Mithridatem a Pompeio gestum, XLIII, 5, 11.
179, 1	690	Mithridates perit, XXXVIII, 8, 1 not. Conf. 665, 629.
2	691	Syria in provinciæ formam redigitur a Pompeio, XL, 2, 5.
180, 2	695	695-705. Cæsar Galliarum proconsul, XLIII, 5, 11.
181, 3	700	700-717. Orodes Parthorum rex, XLII, 2, 1.
		Crassus cæditur a Parthis, XLII, 4, 4.
182, 3	704	Cæsaris et Pompeii bellum civile, XLII, 4, 6.
4	705	Pompeius a Cæsare vincitur, XLII, 4, 7.
184, 1	710	Brutus et Cassius bellum gerunt civile adversus Triumviros, XLII, 4, 7.
185, 2	715	Ventidius Pacorum, Parthorum ducem, cædit, XLII, 4, 10.
4	717	717-757. Orodi (A. U. 700) succedit Phraates IV, XLII, 4, 16; et cap. 5.
186, 1	718	Antonius fugatur a Parthis, XLII, 5, 3.
187, 2	723	Phraates (A. U. 717) a Tiridate pellitur, XLII, 5, 4.

Ol. an	A. U.	
188, 2	727	Phraates (A. U. 723) Scytharum auxilio se restituit, XLII, 5, 5.
4	729	Augustus redit ex Hispania ab anno inde 726 domita, XLIV, 5, 8; coll. not XLII, 5, 10.
189, 4	733	Parthi signa et captivos Augusto remittunt, XLII, 5, 11.

V. ARGUMENTA EXCERPTA JUSTINI LIBRORUM XLIV.

LIBER I.

CAP. I. Antiquissimus Assyriorum rex, Ninus totum Orientem subegit, Bactrianorum regem Zoroastrem occidit, et ad Libyæ usque fines processit. A. M. 1808-1860.

CAP. II. Huic quæ successit uxor Semiramis, Babylonem condidit, Æthiopiam perdomuit, Indiam quoque bello tentans, qnum annos 42 regnasset, a filio occisa. A. M. 1860-1902.

CAP. III. Asiæ autem imperium quum penes Assyriorum reges per annos 1300 fuisset (respice cap. 2, 13), horum postremo Sardanapalo occiso, Arbaces imperium transfert ad MEDOS. A. M. 3108.

CAP. IV-VI. Medorum ultimus rex, Astyages a Cyro ex Mandane filia nepote privatur regno. A. U. 166-201.

CAP. VII. PERSARUM rex Cyrus vincit Babylonios et Lydorum regem Crœsum. A. U. 201.

CAP. VIII. Perit in bello Scythico. A. U. 225.

CAP. IX-X. Hujus filius et successor Cambyses perit apud Ægyptios (A. U. 232). Darius, Hystaspis filius, mago, qui regnum occupaverat, interfecto, rex e septem conjuratis electus, Babylone Zopyri dolo expugnata, Scythis bellum infert.

LIBER II.

CAP. I. Hac occasione utens auctor exponit de SCYTHARUM origine et antiquitate, qua superant Ægyptios.

CAP. II. Porro de Scythiæ situ, Scytharum nomadum moribus simplicibus, puris, justis.

CAP. III. Scythæ ipsi duri belloque fortes, Sesostris victores, Asiam tenent sibi vectigalem per annos 1500. A. M. 300-1800.

CAP. IV. Ab his ortæ AMAZONES in Cappadocia magnas res, et in Asia et in Europa, gessere ad Alexandrum usque.

CAP. V. Scythæ ipsi servos suos vincunt, Darium (respice I, 10) frustra abire cogunt (A. U. 241) : qui hinc trepidus quùm aufugisset, Macedoniam domat et Ionas, quibus auxiliantur Athenienses. A. U. 242.

CAP. VI. Exponitur de Atheniensium origine, artibus per hos inventis et excultis, agricultura, literis, eloquentia, legibus; de regibus Cecrope, Cranao, Amphictyone, Erechtheo, Ægeo, Theseo, Demophoonte, Codro ultimo. A. M. 2426-2913.

CAP. VII-VIII. Ab hinc civitas ARCHONTIBUS commissa (A. M. 3390) leges accepit a Solone, viro sapientissimo (A. U. 160): qui Salaminem civibus suis vindicavit ereptam Megaræ, quam dolo vicit Pisistratus, qui paullo post patriam tyrannide oppressit. A. U. 195-227.

CAP. IX. Hujus filiorum altero interfecto (A. U. 241), alter in exsilium pulsus solicitat in patriam Persas (A. U. 245): quorum rex Darius (respice cap. 5, 13) a Miltiade in campo Marathonio cæditur. A. U. 264.

CAP. X. Hujus successor Xerxes, immensis copiis et pedestribus et navalibus instructus, bellum a patre sibi relictum renovat. A. U. 268.

CAP. XI-XIV. Leonidam, 600 Spartanorum ducem, cædit ad Thermopylas, Delphis spoliatis (A. U. 274); Thespiis, Platæis et Athenis incensis, vincitur dolo et virtute Themistoclis ad Salamina (A. U. 274); multisque militibus et fame et peste amissis, cæditur apud Platæas Bœotiæ, eodemque die regia classis vincitur ad Mycalen Ioniæ : rex ipse trepida fuga Abydon Phrygiæ trajicit, Mardonio cum 300,000 militibus in Græcia relicto. A. U. 275.

CAP. XV. Athenienses autem, quorum præcipua in hoc bello gloria fuerat, sicuti Themistoclis summa (respice cap. 14,

10-11), in urbe sua restituenda (A. U. 276), majoribusque mœnibus cingenda, Spartanos hac de re querentes per Themistoclem legatum eludunt (A. U. 278). Spartani, duce Pausania, Athenienses, duce Aristide et Cimone, Persas variis prœliis superant. A. U. 284.

LIBER III.

CAP. I. Xerxi occiso succedit Artaxerxes filius. A. U. 281.

CAP. II-III. In Græcia autem dissident Athenienses a SPARTANIS, quorum legislator fuerat Lycurgus prudentissimus. A. M. 3100.

CAP. IV. Spartani bello Messenio primo attriti (A. U. 11-31) colonos miserant Tarentum, duce Phalantho. A. U. 50.

CAP. V-VI. Altero quoque quum victores fuissent (A. U. 69-86), jam gerunt tertium, simulque implicantur bello cum Atheniensibus (A. U. 285-295), quod gerunt hi, duce Pericle et Sophocle.

CAP. VII. Periclis et insequenti bello præclara opera fuit.

LIBER IV.

CAP. I-II. Quod quidem bellum quum insequenti tempore in Siciliam esset translatum (A. U. 328), auctor, hac occasione utens, exponit de SICILIÆ insulæ situ, soli natura, nominibus, incolis antiquis, tyrannis et Carthaginiensibus, hujus insulæ imperium adfectantibus.

CAP. III. Rheginenses ab Himeranis oppressi, Athenienses, Catiniensibus auxilium ferentes, contra Syracusanos prospere rem gerunt. A. U. 328-330.

CAP. IV-V. Bello paullo post renovato (A. U. 339), Athenienses opprimuntur a Gylippo, Spartanorum duce, Syracusanis auxilium ferente, omni illorum exercitu vel cæso, vel capto. A. U. 341.

LIBER V.

CAP. I. Alcibiades Atheniensis exsul adversus patriam excitat Spartanorum regem, cui se adjungit Persarum rex Darius. A. U. 340.

Cap. II-IV. Alcibiades autem Sparta profugus (A. U. 343) Persas abalienat a Spartanis, ususque patriæ dissidiis civilibus; classique iterum præfectus (A. U. 344), quum Spartanos navali prælio vicisset, insigni gloria conspicuus, ingente præda onustus, Athenas redit, exsultante populi lætitia exceptus. A. U. 346.

Cap. V. Iterum autem cum classe in Asiam profectus, re infeliciter gesta, iterum in exsilium pellitur. A. U. 346.

Cap. VI. Conon, qui huic successerat (A. U. 347), victus cum octo navibus aufugit in Cyprum. A. U. 348.

Cap. VII-VIII. Athenæ pavidæ fameque enecatæ ad deditionem compelluntur (A. U. 349), coguntur que accipere triginta tyrannos, quorum opera occiditur Alcibiades. A. U. 350.

Cap. IX-X. Tyrannis autem devictis, Thrasybulus patriæ libertatem restituit. A. U. 351.

Cap. XI. Darii (respice cap. 1) successor Artaxerxes Mnemon (A. U. 350), Cyro fratre victo (A. U. 353), vincere non potuit decem millia Græcorum, mira fortuna miraque virtute in patriam revertentium. A. U. 354.

LIBER VI.

Cap. I. Lacedæmoniis Asiæ imperium, duce Dercyllida, adfectantibus rex Persarum Artaxerxes (respice V, 11) Cononem Atheniensem classe instructum opponit. A. U. 356.

Cap. II. Agesilao a Lacedæmoniis in Asiam misso, Conon multa fortiter feliciterque gerit. A. U. 358-360.

Cap. III. Agesilao in patriam revocato, Conon de Pisandro Lacedæmonio victoriam navalem deportat gloriosissimam. A. U. 360.

Cap. IV. Lacedæmonii fracti vincuntur a Thebanis, qui vincuntur ab Agesilao. A. U. 360.

Cap. V. Athenienses auxilio Thebanis mittunt Iphicratem: Conon, victor in patriam reversus, muros Athenarum portumque restituit. A. U. 361.

CAP. VI. Pax Antalcidica (A. U. 367). Spartani ab Arcadibus et Thebanis victi. A. U. 368-369.

CAP. VII-VIII. Thebani, duce Epaminonda, repulsi Sparta (A. U. 385). Epaminondæ victoris mors gloriosa et laudes. A. U. 391.

CAP. IX. Inde Thebanis in veterem segnitiem relapsis, et Atheniensibus, æmulo sublato, languescentibus, Philippus, Macedoniæ rex, Græcorum libertati insidiatur. A. U. 395.

LIBER VII.

CAP. I. Hac occasione utens auctor digreditur exponens de MACEDONIÆ nomine vetere, populo, regibus primis.

CAP. II. De Regibus insequentibus a Perdicca ad Amyntam usque. A. U. 30-246.

CAP. III. De Amyntæ regis et hujus filii Alexandri factis, Dario, Persarum rege, per Megabazum hoc regnum sibi postulante. A. U. 242.

CAP. IV. De regibus Alexandro et Amynta. A. U. 275-384.

CAP. V. De Amyntæ filiis tribus, patris successoribus. A. U. 384-395.

CAP. VI. Philippus et dolo, et virtute bellica illustris. A. U. 395.

Not. De Philippo, de quo hic incipit auctor noster agere, quemque per lib. VIII et IX persequitur, agit Diodorus toto fere libro XVI, cap. 1-95.

LIBER VIII.

CAP. I-II. Philippus Græciæ libertati insidians, bello Phocensi confecto, amplam famam adipiscitur. A. U. 408.

CAP. III-VI. Quam quidem famam perfidia artiumque dolosarum quovis genere commaculat.

LIBER IX.

CAP. I. Philippus, Byzantio frustra oppugnato, multas Chersonesi urbes expugnat. A. U. 413-414.

CAP. II-III. Scythas vincit (A. U. 414), et Athenienses cum Thebanis conjunctos. A. U. 416.

Cap. IV. Atheniensibus victis adulatur, Thebanis durissime insultat.

Cap. V-VII. Hinc Græcis Corinthum convocatis (A. U. 417), Græciæ dux electus, a Pausania interficitur, conscia Olympiade uxore et Alexandro filio. A. U. 418.

Cap. VIII. Mores Philippi cum Alexandro comparati.

LIBER X.

Cap. I-III. Artaxerxi autem, Persarum regi, a Dario filio interfecto (A. U. 388), succedit filius Artaxerxes Ochus, sævissimus (A. U. 389). Huic qui successit Darius Codomannus (A. U. 418), victus ab Alexandro, Macedonum rege, occisus a Besso, regnum Persarum victori tradit. A. U. 424.

LIBER XI.

Not. De Alexandro, de quo Noster agit lib. XI-XII per 31 capita, agunt Diodorus, XVII, 1-118, olymp. 111, 2; 114, 1; A. U. 419-430, per annos 12; Ariani expeditio Alexandri Magni libris VII descripta; Plutarchus in Vita Alexandri; Q. Curtii de rebus gestis Alexandri Magni lib. X, quorum duo priores perierunt. Conf. cum his libris XI et XII ind. in *Alexander*, nr. 3.

Cap. I. Varii autem exercitus Philippi (respice IX, 8) ex variis gentibus compositi fuerunt; motus, audita hujus morte: magnam apud Macedonas prima oratione iniit gratiam Alexander.

Cap. II-IV. Alexander, patris cædis consciis punitis, Athenienses et Thebanos, nova molientes, celeritate sua oppressit, horum quidem urbe deleta, incolisque sub corona venditis, illis, quamvis bis ad iram provocatus, venia data. A. U. 419.

Cap. V-VI. Jam exercitu 34,500 militum in Asiam 82 manibus trajecto, primo prælio (apud Granicum) vincit Darii exercitum 600,000 militum. A. U. 420.

Cap. VII. Gordii nodum plaustri Gordiani solvit.

Cap. VIII. Taurum quum transcendisset, Cydno flumine lautus, quum febrim sibi contraxisset, Philippi medici opera mox convalescit.

Cap. IX. Altero prælio (apud Issum Ciliciæ) Darii exercitum 500,000 militum vincit, cæsis 71,000, captis 40,000, in his matre, uxore et duabus filiabus Darii. A. U. 421.

Cap. X. Jam Syria et Sidonia receptis, Tyrum capit.

Cap. XI. Rhodum, Ægyptum et Ciliciam non resistentes recipit; Jovis Hammonis filius a dei sacerdotibus salutatur.

Cap. XII-XIV. Tertio denique prælio (apud Gaugamela, sive Arbelam Assyriæ) Darium 500,000 militibus instructum, tribus hujus conditionibus pacis spretis, fundit, et ita totius Asiæ imperio potitur, capta simul ingenti præda Susæ, et majore reperta Persepoli. A. U. 423.

Cap. XV. Dario a suis interfecto illacrymatus victor, corpus more regio sepeliri jubet. A. U. 424.

LIBER XII.

Cap. I-II. Absente Alexandro, quæ gesta sint ab hujus ducibus contra Græcos, Lacedæmoniis ducibus rebellantes (A. U. 424), Zopyrione a Scythis fuso, nec non Alexandro, Epiri rege, a Brutiis cæso. A. U. 423.

Cap. III-IV. Alexander, Hyrcania quoque Mardisque subactis, cum Thalestri Amazone concumbit, Persarumque a se victorum luxu vincitur, militesque suos eidem adsuefacere studet; Parthis victis, Andragoram Persam præficit.

Cap. V. Subactis Caucasi populis, super Tanaim et in Bactrianis Sogdianisque tredecim urbes condit, quas militibus seditiosis, regique in suos sævienti infestis attribuit habitandas, vindicta de Besso regis sui interfectore sumta.

Cap. VI. Dolori de Clito inter convivium interfecto fere succumbens, excitatur a Callisthene.

Cap. VII. Quem et ipsum, quum adorationem recusasset, interficit. Jam Indiam petit; Cleophidique cuidam, Indorum reginæ, quacum concubuerat, regnum concedit. A. U. 427.

Cap. VIII. Poro quoque, Indorum regi potentissimo devicto

et capto quum regnum concessisset, Cuphitasque cecidisset; ulterius quo minus progrediatur, impeditur militum precibus.

Cap. IX-XII. Deinde tamen progressus ad Sygambros, graviterque ibi vulneratus, saluti tamen redditus, quum Oceanum tentasset, tandem Babylonem reversus, ducit in matrimonium Statiram, Darii filiam, munificentiæque simulque in seditiosos severitatis, prudentiæque in his coercendis exempla edit, et Hephæstionem luget. A. U. 428.

Cap. XIII-XV. Babylonem reversus (A. U. 429), ubi ex remotissimis inde gentibus legationes ipsum exspectabant, veneno Antipatri, forti animo mortem opperiens, taciteque Perdiccam successorem designans obit. A. U. 430.

Cap. XVI. Qualis vir fuerit Alexander.

LIBER XIII.

Not. Ex lib. XIII-XL. Alexandri successores, quorum historiam ab hoc anno U. C. 431, olymp. 114, 2, ad an. usque 452, olymp. 119, 3, per annos 22 persequitur Diodorus lib. XVIII-XX.

Cap. I. Luctus cæterorum, gaudium Macedonum de Alexandri morte, tum militum divitias, tum ducum, qui omnes præcipui, sunt singuli reges dicendi, regna exspectantium.

Cap. II. Quid constituerint Alexandri duces de ipsius successore eligendo.

Cap. III-IV. Seditionem igitur equites inter et pedites hac de re ortam quum Perdiccas sedasset, ita ut Aridæus cum Alexandri filio nascendo regnum communicaret; provinciæ singulæ ab hoc inter duces dividuntur.

Cap. V. Antipatri et Leonati cum Atheniensibus bellum. A. U. 431.

Cap. VI. Antigoni, Crateri et Antipatri bellum contra Perdiccam, regum tutorem, Eumenis amicum. Perdiccas primum bello petere parat Ptolemæum Ægypti præfectum, qui Cyrenen quoque sibi adquisiverat.

Cap. VII. De hujus urbis origine exponitur.

Cap. VIII. A Perdicca quum descivisset Neoptolemus, ab Eumene deinde devictus; hic, Perdicca occiso, una cum cæteris Perdiccæ amicis judicatur hostis. A. U. 432.

LIBER XIV.

Cap. I. Eumenis in bello adparando prudentia.

Cap. II. Victus ab Antigono, et deinde obsidione liberatus, Argyraspidas blandis precibus sibi conciliat.

Cap. III-IV. Victus autem iterum ab eodem, a suis traditur victori. A. U. 438.

Cap. V. Eurydice autem, Aridæi uxor, quum in Cassandrum imperium exercitus Polyperchontis et Antigoni transtulisset (A. U. 432), ipsa cum marito occiditur jussu Olympiadis. A. U. 437.

Cap. VI. Quæ et ipsa paullo post occiditur a Cassandro, Pydnæ obsessa. A. U. 438.

LIBER XV.

Cap. I. Novum inde bellum enatum Antigono (A. U. 439), contra Ptolemæum, Cassandrum, Lysimachum et Seleucum : in quo Antigoni filius Demetrius vincitur a Ptolemæo. A. U. 442.

Cap. II. Cassander sævire pergit in regis familiam (A. U. 443); Ptolemæus vincitur a Demetrio (A. U. 447), cujus pater Antigonus adsumto *regis* nomine (Diod. XX, 53) excitat ad sui imitationem Ptolemæum, Cassandrum, Lysimachum (et Seleucum vide infra cap. 4): qui omnes denuo parant bellum contra illum. A. U. 452.

Cap. III. Lysimachi vita hucusque acta.

Cap. IV. Hic igitur Ptolemæi et Seleuci, cujus vita hucusque acta narratur, socius, victum Antigonum occidit ejusque filium Demetrium fugat : quem tamen deinde sibi adjungit Seleucus contra Ptolemæum et Lysimachum. A. U. 453.

LIBER XVI.

Cap. I. Cassandro et hujus filio et successore Philippo mortuis (A. U. 456), Antipater II, Philippi frater et succes-

sor, matre sua Thessalonice occisa, adversarium habet fratrem Alexandrum, qui Demetrio, a quo, quum ad eum confugisset, interfectus erat, occasionem dat, Antipatrum, Lysimachi generum, pellendi et Macedoniam occupandi. A. U. 460.

Cap. II. Antipatrum Lysimachus interficit, Demetrius autem a Seleuco captus decedit. A. U. 468.

Cap. III-V. Lysimachus, Pyrrho socio pulso, Macedoniam occupat, et Heracleæ bellum infert : cujus urbis origo et fata enarrantur.

LIBER XVII.

Cap. I-II. Lysimachus, sævus in filium et principes, infelix in cæteris liberis, perit in bello contra Seleucum (A. U. 472) : qui et ipse septem mensibus post occiditur a Ptolemæo Cerauno, qui adfinitate se conjungit cum Pyrrho, Epiri rege. A. U. 473.

Cap. III. Hinc de Epiri origine auctor exponit ad hunc usque Pyrrhum.

LIBER XVIII.

Cap. I. Pyrrhus a Tarentinis auxilio contra Romanos vocatus (A. U. 473), cædit hos, duce consule Lævino, et iterum consulibus subsequentibus. A. U. 474.

Cap. II. Pace cum his composita, in Siciliam vocatus trajicit a Carthaginiensibus turbatam.

Cap. III. Hinc de Carthaginiensibus exponit auctor. Hi quidem orti sunt a Tyriis, quorum urbs condita a Phœnicibus (A. M. 2800). Conspiratione servorum omnibus ingenuis trucidatis, unus servatur Straton, qui rex eligitur, cujus stirpi regnum restituit Alexander.

Cap. IV-VI. Tyria autem Elissa (Dido), Acerba marito per scelus fratris Pygmalionis regis occiso, aufugit in Africam, ubi condit Carthaginem (Ante A. U. 72), et ne Hiarbæ, Maxitanorum regi nubere cogatur, ipsa se occidit.

Cap. VII. Motus Carthaginis civiles; bella in Sicilia pro-

spera, adversa in Sardinia duce Maleo, qui hanc ob caussam in exsilium pulsus, pater in filium scelestus, ipse vi armisque se restituit.

LIBER XIX.

Cap. I-III. Varia Carthaginiensium fortuna in Sicilia, de qua quum supra lib. IV exposuisset, hic exponere pergit lib. XIX-XXIII, ducibus Magone, hujusque filiis Hasdrubale et Hamilcare, et hujus filio Himilcone.

LIBER XX.

Cap. I. Dionysius, pulsis Sicilia Carthaginiensibus, bellum transfert in Græciam Magnam, cujus populi nominantur.

Cap. II-III. In his Metapontinorum origo et fata describuntur, horumque cum cæteris bella, nec non Locrensium bella contra Crotonienses gesta.

Cap. IV-V. In quo quidem ultimo prælio quum 120,000 Crotonienses cæsi essent a 15,000 Locrensibus; illi ab hoc inde tempore fracti et lascivientes, ad pristinam virtutem revocantur a Pythagora philosopho : iisdemque ut Locrensibus bellum infert Dionysius, ille auctus auxilio Gallorum, qui nuper in Italiam devenerant, usque dum in Siciliam revocatur, bello a Carthaginiensibus renovato.

LIBER XXI.

Cap. I. Dionysius junior, patris successor, sævit in suos. A. U. 386.

Cap. II-III. Idemque luxuriosus, cædibusque in cives grassatus, duobus præliis fusus a Syracusanis, perfidusque in horum legatos, pellitur in Italiam, ubi Locris, a quibus receptus fuerat, non minus sævit, tyrannide occupata (A. U. 398) : qua per sex (decem) annos exercita pulsus, in Siciliamque reversus, iterum Syracusas per proditionem recipit. A. U. 408.

Cap. IV. Inter hæc Hanno, Carthagine duplicis conjurationis convictus, cruci adfigitur, omnisque ejus domus exstinguitur.

Cap. V. Dionysius autem ille iterum pulsus, proficiscitur Corinthum, ubi contemtus vivit. A. U. 411.

Cap. VI. Carthaginiensium legatus Hamilcar ad Alexandrum Magnum, quum, mortuo rege, in patriam rediisset, occiditur. A. U. 430.

LIBER XXII.

Cap. I-II. Agathocles, cujus vita non minus turpis fuerat, quam origo sordida, exsul et Murgantinorum prætor, opera Hamilcaris Carthaginiensium ducis, tyrannidem Syracusarum occupat. A. U. 437.

Cap. III. Quo mortuo, ab altero Hamilcare duobus præliis victus, Syracusis obsidetur.

Cap. IV-VII. Translato autem bello in Africam, Pœnorum exercitu ibi cæso, urbibus castellisque expugnatis agrisque vastatis, urbem terrens seque sociorum auxilio firmans, deleto interea in Sicilia hostium exercitu a tyranni fratre, Pœnos ad summam desperationem deduxit.

Cap. VIII. Inde in Siciliam reversus, pulso novo, qui huc missus fuerat, Pœnorum exercitu, totius Siciliæ imperio potitur. Reversus autem iterum in Africam, majore exercitus parte amissa, hujus proditor refugit in Siciliam, ubi pacem cum Pœnis componit.

LIBER XXIII.

Cap. I. Jam Brutiis in Italia bellum infert, genti ferocissimæ. A. U. 453.

Cap. II. Morbi autem vi correptus, quum in Siciliam rediisset ibique periisset, Carthaginienses multas civitates subigunt. A. U. 465.

Cap. III-IV. Pyrrhi et ex Italia et ex Sicilia (respice XVIII, 2) discessus infelix (A. U. 479). Quo profecto, Hiero eligitur omnium civitatum consensu rex Siciliæ. A. U. 485 et 490.

LIBER XXIV.

Cap. I. Interea Græciæ civitates, ducibus Spartanis, Ætolos Antigoni socios adgrediuntur.

Cap. II-V. Ptolemæus Ceraunus Arsinoen, Lysimachi viduam, suàm sororem in matrimonium ductam in exsilium pellit, duobus filiis necatis; ipse tamen paullo post perit, a Gallis cæsus, Belgio duce. A. U. 475.

Cap. VI-VIII. Altera Gallorum exercitus pars, duce Brenno, et ipsa Macedoniam deprædata, templum Delphicum spoliare conatur, quamquam frustra : quippe ipse dux periit, totusque ejus exercitus, dum Græcia excedit, consumtus est.

LIBER XXV.

Cap. I-II. Reliqua Gallorum pars a Brenno ad terminos relicta, dolo ab Antigono (Gonata), Macedoniæ rege, est victa (A. U. 476). Alius Gallorum exercitus Gallo-Græciam accepit a Bithyniæ rege. A. U. 478.

Cap. III. Antigonus autem ille a Pyrrho Sicilia pulso (respice XXIII, 3) duobus præliis victus, huic Macedoniam relinquit.

Cap. IV-V. Pyrrho autem a Spartanis fugato et Argis occiso, regnum Antigonus recuperat. A. U. 482.

LIBER XXVI.

Cap. I. Pyrrho mortuo, Antigonus ille Peloponesum occupat, et Aristotimus per quinque menses tyrannus Eliorum sævit.

Cap. II. Antigonus idem Gallos cædit, cæditurque ipse regnoque pellitur ab Alexandró, Pyrrhi filio : qui ipse paullo post non Macedonia solum pellitur, sed et suo ipsius regno privatur a Demetrio, Antigoni filio.

Cap. III. Alexander tamen ab Acarnanibus adjutus, in regnum a suis recipitur : Demetrius Antigoni frater Cyrenis occiditur.

LIBER XXVII.

Cap. I-III. Seleucus, Syriæ rex, Berenice noverca sua interfecta, adversarium sibi parat hujus fratrem, Ægypti regem, Ptolemæum (Evergeten, vid. cap. 2, 9), et novum adversarium nanciscitur fratrem Antiochum Hieracem, a Gallis mercenariis adjutum (A. U. 508), Asiaque (mi-

nore septemtrionali) cedere cogitur Eumeni, Bithyniæ (Pergami) regi (A. U. 512); fratreque in fuga interfecto, ipse equo præcipitatus, vitam finit. A. U. 528.

LIBER XXVIII.

Cap. I-III. In Epiro moritur Olympias, Pyrrhi filia, Alexandri fratris uxor, jam vidua, orba simul duobus filiis, Pyrrho et Ptolemæo (A. U. 535). Laodamia interfecta, superest sola regia virgo Nereis, nupta Geloni, Siculi tyranni filio. Macedoniæ regnum occupat Antigonus, pulso Demetrii filio, cujus tutelam gerebat. A. U. 522.

Cap. IV. Antigonus, victis Spartanis, Cleomenem horum regem cogit confugere ad Ptolemæum (Evergeten), Ægypti regem, a cujus filio et successore interficitur (A. U. 532). Antigono succedit Philippus. A. U. 533.

LIBER XXIX.

Cap. I. Novi in Macedonia, Syria, Cappadocia, Ægypto et Spartæ reges, et Hannibal, Carthaginiensium dux. Circa A. U. 533.

Cap. II-IV. Ex his Philippus Macedo, pace cum Ætolis composita, ab Illyriorum rege excitatus, bellum infert Romanis. Sed brevi ab eo bello retrahitur aliis bellis sibi illatis.

LIBER XXX.

Cap. I-III. Ptolemæus, Ægypti rex luxuriosus, quamquam non infelix contra Antiochum Magnum, Syriæ regem, totus in potestate scortorum, moritur (A. U. 550), relicto filio quinque annorum, cujus tutela Romanis demandatur, qui tota Græcia contra Philippum Macedonem excitata, pacem hunc petere cogunt. A. U. 552.

Cap. IV. Varii terræ motus portendunt Romanorum magnitudinem. Philippus a Flaminino, Romanorum consule, victus, sola Macedonia contentus esse jubetur (A. U. 555). Qua de re irati Ætoli, Romanorum socii, societatem cum Antiocho Magno ineunt.

LIBER XXXI.

Cap. I-II. Romanorum cum Antiocho, Syriæ rege, de Ægypto bellum; cum Nabide, Spartanorum tyranno, de Græcorum civitatibus. Hannibal Romanis suspectus Carthagine ad Antiochum confugit. A. U. 556.

Cap. III-IV. Nabis a Flaminino fractus, post hujus discessum renovat bellum contra Romanorum socios: Hannibal Antiochum contra Romanos solicitat, qui huic illum reddunt suspectum, ita tamen, ut rex bellum Romanis inferendum cogitet et præparet.

Cap. V-VI. Hannibalis autem consilio bellum in Italiam transferendi spreto (A. U. 561), vincitur ipse ab Acilio, Romanorum consule; et navali prælio non magis feliciter pugnatur cum Æmilio. A. U. 562.

Cap. VII-VIII. Pacem deinde a Scipionibus sibi Antiochus oblatam quum sprevisset, prælio gravi victus, Asia cedere cogitur, et Syriæ regno esse contentus. A. U. 562.

LIBER XXXII.

Cap. I. Ætoli, Antiochi socii (respice XXX, 4), libertate a Romanis spoliantur (A. U. 563); Achæorum dux Philopœmen, a Messeniis captus, interficitur. A. U. 569.

Cap. II. Antiocho, Syriæ rege, interfecto (A. U. 567), Philippus, de quo Græcorum civitates apud Romanos queruntur, absolvitur gratia Demetrii filii (A. U. 568), quem inde sibi suspectum, calumniante altero filio Perseo, pater occidit. A. U. 571.

Cap. III. Mortuo patre Philippo (A. U. 576), Perseus bellum ab illo præparatum contra Romanos continuat, adjutus a Gallis, de quorum migratione exponitur; coll. XXIV, 6, 4.

Cap. IV. Hannibal, Antiocho victo (A. U. 563), profugus ad Prusiam, Bithyniæ regem (vide infra XXXIV, 4, 1), vincit Eumenem dolo; ipse perit veneno sumto. A. U. 569.

4

LIBER XXXIII.

Cap. I-II. Perseus (respice XXXII, 3) ab Æmilio Paulo, Romanorum consule, victus regnoque spoliatus, captivus in triumpho ducitur cum duobus filiis (A. U. 584); Ætolorum senatus Romam trahitur. A. U. 585.

LIBER XXXIV.

Cap. I-III. Romani, caussa a Spartanis querentibus sibi oblata, bellum inferunt Achæis, quorum fœdus dissolvitur, cæsis ipsis, et Corintho diruta a Mummio (A. U. 607); bellum inter Antiochum (Epiphanem), Syriæ, et Ptolemæum (Physconem), Ægypti regem, exortum componit Popilius Romanorum legatus (A. U. 584). Antiocho succedit frater Demetrius, occiso fratris filio, pupillo relicto (590-592). A. U. 592.

Cap. IV. Prusias (respice XXXII, 4) filio insidiatus, ab hoc occiditur. A. U. 605.

LIBER XXXV.

Cap. I-II. Demetrius I occiditur a Bala (A. U. 604) infimæ sortis homine, ab Ægypti, Pergami et Cappadociæ regibus et Antiochensibus subornato, qui quatuor annis post occiditur a Demetrii filio, Demetrio (II Nicatore).

LIBER XXXVI.

Cap. I. Demetrius II a Parthis capitur (A. U. 615). Tryphon, Antiocho (VI) occiso (A. U. 612), occiditur ab Antiocho (A. U. 617), Demetrii fratre, qui subigit Judæos.

Cap. II-III. De Judæorum origine et historia exponitur.

Cap. IV. Asia (Pergamus) testamento Attali Romanis legata (A. U. 621) fit provincia Romana, victo Aristonico. A. U. 624.

LIBER XXXVII.

Cap. I. Terræ Asiaticæ a Romanis donatæ aliis civitatibus regibusque; in his Ponti regi Mithridati, patri Mithridatis Magni.

Cap. II. De Mithridatis magnitudine prædicta, pueritiaque multis periculis exposita.

Cap. III. Idem, Scythis victis, Cappadociam occupat.

Cap. IV. Paphlagonia autem occupata, Romanos adversus se excitat.

LIBER XXXVIII.

Cap. I. Idem Mithridates Ariarathe, Cappadociæ rege, sororis filio, insidiis occiso, hoc regnum tradit filio suo.

Cap. II. Romani autem, quum et Paphlagoniam et Cappadociam regibus Mithridati et Nicomedi ademtas libertate donassent (A. U. 661), Paphlagoniæ volenti paullo post præficiunt regem Ariobarzanem.

Cap. III-VII. Quo per Tigranem, Armeniæ regem, generum suum pulso, iterum Mithridates Cappadociam occupat, nec non Bithyniam, pulso Nicomede. Uterque quum ad Romanos confugisset, Mithridates Aquilium Romanorum prætorem cædit, militesque suos vehementi orationc excitat contra Romanos. A. U. 665.

Cap. VIII. In Ægypto Ptolemæus Physcon, tyrannus perditissimus (A. U. 608), a suis pellitur. A. U. 621.

Cap. IX-X. In Syria Demetrius a Parthis captus (respice XXXVI, 1), frustraque aliquoties elabi conatus, tandem fratre Antiocho a Parthis victo et occiso, in regnum redit. A. U. 624.

LIBER XXXIX.

Cap. I-II. Demetrius, bello contra Ægyptum infeliciter gesto, in fuga perit (A. U. 628), subornato ab Ægyptiis Alexandro quodam, negotiatoris filio (A. U. 625). Illius filiorum altero a matre occiso (A. U. 629), alter Antiochus Grypus, ope Ægyptiorum adjutus, Alexandrum captum occidit (A. U. 632); matre venefica veneno necata (A. U. 635), adversarium habet Antiochum (IX Philopatorem) Cyzicenum, Antiochi (VII) patrui filium. A. U. 643.

Cap. III. In Ægypto Ptolemæus Lathurus patri (respice XXXVIII, 8) succedens (A. U. 635), uxorem eandemque

sororem Cleopatram dimittere a matre jubetur. Quæ quum in Syriam aufugisset, ibique Cyziceno illi nupsisset, a Grypi uxore Tryphæna in templo occiditur: quæ et ipsa paullo post a Cyziceno capta occiditur.

Cap. IV. Lathurus, Ægypti rex, adversarium habet Alexandrum a matre subornatum: qui quidem Alexander, matre pessima occisa, in exsilium a populo pellitur. A. U. 646.

Cap. V. Cyrene, a fratre Apione mortuo, Romanis legata, fit provincia Romana (A. U. 658); ut paullo post Creta et Cilicia (A. U. 686). Ægyptus ipsa et Syria, parricidiis regum mutuis debilitatæ, ab Arabum rege Erotimo infestantur.

LIBER XL.

Cap. I-II. Syria tot fratrum mutuis odiis discissa eligit Tigranem, Armeniæ regem (A. U. 671); quo deinde per Lucullum pulso, Antiochus (XIII) revocatur (A. U. 686), Cyziceni (respice XXXIX, 2) nepos: quo dejecto, per Pompeium Magnum, Syria fit provincia Romana. A. U. 691.

LIBER XLI.

Cap. I. Parthi, quo obscuriores fuerunt antiquioribus temporibus, eo illustriores apparuerunt posterioribus.

Cap. II. Horum regni administratio, sermo, vestes, exercitus, præliandi mos, arma.

Cap. III. Matrimonia, cibus, equitandi mos, sepultura, dii, ingenia.

Cap. IV. Res gestæ, Alexandro mortuo. A Syris defecere, duce Arsace, Hyrcanorum quoque victore (A. U. 503, 498). Hujus filius et successor Arsaces II feliciter pugnat cum Syris. A. U. 500-537.

Cap. V. Priapatius III (IV), quum 15 annos regnasset (A. U. 537-545), reliquit duos filios sibi succedentes (A. U. 545-560), Phraaten (A. U. 560-580), et Mithridatem. A. U. 580-617.

Cap. VI. Bactrianorum rex Eucratides, vir fortis, a filio occiditur. Mithridates, Medorum victor, Elymæos vincit.

LIBER XLII.

Cap. I. Hujus filius et successor Phraates perit in bello Scythico (A. U. 617-626). Hujus patruus Artabanus perit in bello Thogarico. A. U. 626-630.

Cap. II. Mithridates, antecedentis filius, rebus gestis nomen Magni meruit, in his bello cum Armeniis gesto (A. U. 630-667). Qua occasione utens auctor exponit de Armeniorum origine græca, Armenio, comite Argonautarum (vide infra cap. 3, 8).

Cap. III. Argonautarum dux Jason, vellere arietis aureo Colchis ablato, huc reversus multa feliciter gessit, relicto privigno Medo.

Cap. IV. Orodes autem, Mithridate fratre occiso (A. U. 700-717), (vide cap. 4, 4) delet Crassi exercitum (A. U. 700); ipsius autem exercitus cæditur a Cassio, Crassi quæstore in Syria. Partium deinde Pompeianarum Parthi in bello civili (A. U. 704), adjuverunt Cassium et Brutum (A. U. 710-711): cæsi deinde a Ventidio, Antonii duce. A. U. 715.

Cap. V. Phraates, Orodis patris successor (A. U. 717-757), tyrannus sævissimus, fugat Antonium (A. U. 718); pulsus a Tiridate (A. U. 723), restituitur auxilio Scytharum (A. U. 727): Augusto, ad quem Tiridates confugerat, paullo post Syriam invisenti remittit captos et signa militaria Crasso olim et Antonio ademta (an. 700, 718). A. U. 733.

LIBER XLIII.

Cap. I-II. Romanorum origo a Saturno inde, Fauno, Latino, Ænea, Ascanio, Amulio, Numitore, hujus filia Rhea; hujus filiis Romulo et Remo, Romæ conditoribus. A. M. 3230.

Cap. III. Tarquinii (Prisci) temporibus (A. U. 208) Phocænses Massiliam condunt in Gallia, quæ per hos est exculta.

Cap. IV. Insidiis Comani regis subsequentis evitatis, ipsi huic insidias struunt.

Cap. V. Opibus insequenti tempore auctis, adjuvant auro collato Romanos, horum urbe a Gallis capta (A. U. 365). Trogi genus.

LIBER XLIV.

Cap. I. Hispania ut Europæ terminos claudit, sic et in opere nostro opus claudat. Hispaniæ nomen, situs, fertilitas eximia, amnes, claustra, forma, salubritas.

Cap. II. Hispanorum mores : dux Viriatus. A. U. 607-613.

Cap. III. Equæ Lusitaniæ egregiæ : Gallæci a Teucro Salaminio orti, quorum regio uberrima, aurifera, incolæ feri.

Cap. IV. Habidis historia miraculosa; Geryon armentis celeber.

Cap. V. Gaditani Tyriæ originis, adjuti a Carthaginiensibus ejusdem originis, qui magnam provinciæ partem sibi subjiciunt, inprimis ducibus Hamilcare, Hasdrubale (A. U. 516-533) et Hannibale: quo postremo Italiam per annos 16 (A. U. 535-550) vastante, Romani, ducibus Scipionibus, plura hic bella gesserunt gravissima. Perdomita est Hispania, et in provinciæ formam redacta ab Augusto. A. U. 726.

PROLOGI
HISTORIARUM PHILIPPICARUM
POMPEII TROGI.

PROLOGUS LIBRI I.*

Primo volumine continentur hæc : Imperium Assyriorum 1
a Nino rege, usque ad Sardanapalum. Post quem transla- 2
tum est per Arbacem ad Medos, usque ad ultimum regem
Astyagen. Is a nepote suo Cyro pulsus regno : et Persæ 3
regno potiti. Ut Crœso, Lydiæ regi, bellum intulit Cyrus,
victumque cepit. Hic in excessu dicti Æolicarum et Ionica- 4
rum urbium situs; originesque Lydorum, et in Italia Thus-
corum. Post Cyrum, filius Cambyses Ægyptum domuit. 5
Repetitæ Ægypti origines urbium. Exstincto Cambyse, 6
Darius, occisis Magis, regnum Persicum accepit; captaque
Babylone, bella Scythica molitus est.

PROLOGUS LIBRI II.

Secundo volumine continentur hæc : Scythiæ et Ponti 1
situs; originesque Scythiæ, usque ad bellum, quo est inde
pulsus Darius : qui post hanc fugam Græciæ bellum intulit,
per Datin et Tisaphernem, quod soli Athenienses susti-

* De prologis resp. supra cap. II.

I. 4. *In excessu.* Sæpius hæc vox his in prologis obvia fit, et notat excursum, digressionem; excedendo scilicet, seu recedendo a re proposita. ED. —*Æolicarum et Ionicarum urbium.* De his altum apud Justinum nostrum silentium. Attigerat autem hæc Trogus, sequutus Herodotum, I, 7-53, ubi de Lydis exponit; et I, 54-58, ubi attingit Græcorum gentis Pelasgicæ et Hellenicæ origines.

II. 1. *Sustinuere.* Ita recepi ex codd. sex cum Gronov. pro vulg. *tenuere.* Recte enim Athenienses dicuntur *sustinuisse* bellum, non *tenuisse.* — *Tisaphernem.* Legendum *Artapher-*

2 nuere. Hic origines Athenarum repetitæ, et reges usque
ad Pisistrati tyrannidem, qua exstincta qua ratione vicere
3 Persas. Ut, mortuo Dario, filius ejus Xerxes bellum Græciæ
intulit : ac repetitæ origines Thessaliæ; expulsoque Græcia
Xerxe, bellum ab Atheniensibus translatum in Asiam,
usque ad Xerxis interitum.

PROLOGUS LIBRI III.

1 Tertio volumine continentur hæc : Ut mortuo Xerxe,
filius Artaxerxes, ultus interfectorem patris Artabanum,
bellum cum defectore Ægypti habuit : primoque dux
ejus Achæmenes victus est; iterum per Agabazum Ægyp-
2 tus recepta. Ut, Græcis cum rege pacificatis, bella inter
3 ipsos orta sint. Inde repetitæ Peloponensium origines : ut
4 ab Herculis posteris, Dorico populo, sit occupata. Deinde
bella Argolica et Messeniaca : coalitique Sicyoniæ et Co-
5 rinthii tyranni. Bellum Criscum; et quod Athenienses primo
cum Bœotis, dein cum Peloponesiis gesserunt.

nem, Darii fratrem, et viri docti monnerunt, et docet Cornel. in Miltiade, cap. 4, 1.

2. *Qua* (tyrannide) *exstincta qua ratione*. Sic dedi sequutus vestigia MS. exhibentis : *quam exstinctam qua ratione*. Vulg. *qua exstincta ratione* mancum est et sine sensu. Hinc Gronov. pro *ratione*, *Marathone* recepit ex uno codice et conjectura Longeruæi.

III. 1. *Ultus*. Hanc conjecturam Modii, codice Perizonii confirmatam recepi pro vulg. *pulso*. Non enim pepulit Artaxerxes Artabanum, sed sua ipsius manu occidit, III, 1, 8. — *Ægyptus* Ita recepi e codd. Fuld., ut recta constructio procedat : primo Achæmenes victus est, iterum Ægyptus recepta. Vulg. autem *Ægypto recepta* non convenit historiæ; non enim Ægypto recepta, Achæmenes victus est, sed Achæmene ante victo per Agabazum, demum Ægyptus est recepta. De re ipsa silet Justinus, quam narrat Ctesias in excerptis, ubi hunc regis fratrem nominat *Achæmenidem*, ab Inaro defectionis auctore vulneratum et mortuum; alterum autem ducem *Megabysum*.

3. *Inde repetitæ Peloponensium... occupata*. Ut constructio constet, Longeruæus recte emendat *Peloponesi*, quum sequatur *occupata* De re confer quem supra laudavi Herodot. I, 54-58; Apollodor. II, 8, 1-5; Diodor. IV, 58.

4. *Messeniaca*. Recepi hanc lectionem cum Gronov. e correct. Freinsh. pro inusitato *Messiania*.

5. *Criscum*. Scribe cum Rutgersio (var. lect. V, 7) *Crissæum* a Crissa, Phocidis oppido. — Eo loco egisse Trogum de bello gesto a Clisthene, tyranno Sicyoniorum, contra Crissæos, vel Cirrhæos, censet Longeruæus; coll. Frontin. III, 7, 6; Pausan. in Phocic. ED.

PROLOGUS LIBRI IV.

Quarto volumine continentur res Siculæ, ab ultima ori- 1
gine, usque ad deletam Syracusis Atheniensium classem.

PROLOGUS LIBRI V.

Quinto volumine continentur hæc : Bellum inter Athe- 1
nienses et Lacedæmonios, quod Deceleicum vocatur, usque
ad captas Athenas. Ut expulsi sunt Athenis triginta tyranni. 2
Bellum quod Lacedæmonii in Asia cum Artaxerxe gesse- 3
runt, propter Cyrum initum. Hinc repetitum in excessu 4
Cyri cum fratre bellum; et Græcorum, qui sub eo milita-
verunt.

PROLOGUS LIBRI VI.

Sexto volumine continentur hæc : Bellum Lacedæmonio- 1
rum gestum in Asia cum Persicis præfectis, ducibus belli
Dercyllide et Agesilao, usque ad prælium navale factum
Cnido : quo, victis illis, Athenienses repetiere imperium.
Dein bellum Corinthiacum, et bellum Bœotium, quo 2
Leuctris et Mantineæ victi Spartani amisere imperium. In 3
Thessalia deinde Jasonis, et post illum Alexandri Pheræi
coalitum atque exstinctum imperium. Tum Sociale bellum 4
gestum adversus Athenienses ab Achæis, et Rhodiis, et
Byzantiis. Transitus hinc ad res Macedonicas.

V. 1. *Deceleicum.* A Decelia, oppido et castello Atticæ. Conf. ind. nom. Cornel.

3. *Cyrum.* Hanc lectionem dedi cum Modio et Gronov. e conjectura Bongarsii et e vestigiis trium codd. *Cyricum* exhibentium, pro vulgato *Grissum.*

VI. 1. *Dercyllide.* Hoc nomen a Longeruæo ex Xenophonte, Hell. III, 1, 8, Diodoro et Plutarcho restitutum dedi cum Gronov. pro corrupto *Herculide.*

2. *Leuctris et Mantineæ.* Hanc lectionem (vid. ind. nom. in Corn.) dedi cum Modio et Gronov. ex emendatione Bongarsii, tribus cod. confirmatam, pro corrupt. *et euctrix et Mantinæ.*

3. *Pheræi.* Hoc nomen a Bongars. correct. dedi cum Gron. pro *Epirei.* Non enim Epiri, sed Pherarum tyranni et Jason et Alexander fuere. Conf. Xenoph. Hell. V.

4. *Achæis.* Longeruæus correxit *Chiis,* bene. Nam non cum Achæis, sed cum Chiis, Rhodiis, Byzantiis et Cois, qui ab Atheniensium societate desciverant, bellum gestum fuisse docet nos Diodor. XVI, 7, seqq. et cap. 21-22, A. U. 396-399. Conf. not. ad Corn. XI, 3, 3.

PROLOGUS LIBRI VII.

1 Septimo volumine continentur origines Macedonicæ, regesque a conditore gentis Carano, usque ad magnum Philippum : ipsius Philippi res gestæ usque ad captam urbem Methonam. Additæ in excessu Illyriorum et Pæonum origines.

PROLOGUS LIBRI VIII.

1 Octavo volumine continentur res gestæ Philippi magni,
post captam urbem Methonam, a principio belli Phocensis,
quod Sacrum vocant, usque ad finem ejus : interjectumque
huic bellum, quod Philippus cum Chalcidicis urbibus
2 gessit, quarum clarissimam delevit Olynthon. Ut Illyrici
reges ab eo victi sunt; et Thracia atque Thessalia ab eo
subactæ : et rex Epiro datus Alexander, ejecto Arryba : et
frustra Perinthos oppugnata.

PROLOGUS LIBRI IX.

1 Nono volumine continentur hæc : Ut Philippus a Perin-
tho submotus. Byzantii origines, a cujus obsidione sub-
2 motus Philippus, Scythiæ bellum intulit. Repetitæ inde
Scythicæ res, ab his temporibus, in quibus illa prius finie-
rant, usque ad Philippi bellum, quod cum Athea, Scythiæ

VII. 1. *Methonam*. Pro vulg. *Mothonem* scripsi hoc loco et cap. 8, 1, ex Justin. VII, 6, 14; et Diodoro, XVI, 34, *Methonam*. — *Pæonum*. Hoc nomen dedi cum Modio et Gronov. pro corrupt. *Pænum*. Partem enim Macedoniæ septemtrionalem *Pæonia* ac Pelagonia protegunt a Triballis, ut ait Plinius Hist. Nat. IV, 10.

VIII. 1. *Chalcidicis*. Sic correct. a Freinsb. dedi cum Gronov. pro corrupt. *Calchidoniis* : urbs enim, unde illa regio *Chalcidica* fuit appellata, est *Chalcis*. Confer Diodor. XVI, 53; Thucyd. II, 15 et alibi.

2. *Ejecto*. Sic correct. a Bongars. recepi cum Modio et Gronov. pro corrupt. *electo*, unde Longeruæus malebat elicere *deleto*. Conf. Diodor. lib. XVI.

IX. 2. *Prius finierant*. Supra lib. II, ubi res Scythicas deduxerat ad Darium usque. Hic igitur, filo iterum arrepto, easdem deducit ad Philippum usque. Lege igitur *illæ* (res) et accipe *finire* sensu neutrali pro *finiri*, nisi malis cum Modio corrigere *illas prius finierat*. — *Athea*. Hoc nomen dedi cum Gronov. correct. a Bong. et Justin. IX, 2, 1, pro corrupt. *Mathea*, litera *m* temere e præcedenti voce repetita. Conf. Flor. III, 5.

rege, gessit. Unde reversus Græciæ bellum intulit : victor- 3
que Chæroneæ, quum bella Persica moliretur, præmissa
classe cum ducibus, a Pausania occupatis angustiis, nup-
tiarum filiæ die, occisus est, priusquam bella Persica in-
choaret. Repetitæ res inde Persicæ a Dario Notho, cui 4
successit filius Artaxerxes cognomine Mnemon; qui post
fratrem Cyrum victum, pulsaque Cnido per Conona classe
Lacedæmoniorum, bellum cum Evagora, rege Cyprio, ges-
sit : originesque Cypri repetitæ.

PROLOGUS LIBRI X.

Decimo volumine continentur Persicæ res: ut Artaxerxes 1
Mnemon pacificatus cum Evagora, rege Cyprio, bellum
Ægyptium in urbe Ace compararit: ipse in Cadusiis victor:
defectores in Asia purpuratos suos persequutus, primum
Datamem, præfectum Paphlagonum : origo repetita : dein 2
præfectum Hellesponti Ariobarzanem : deinde in Syria
præfectum Armeniæ Orontem, omnibusque victis decesserit,
filio successore Ocho. Is deinde, occisis optimatibus, Sidona 3
accepit; Ægypto bellum ter intulit. Ut post mortem Ochi 4
regnarit Arses. Dein Darius, qui cum Alexandro, Macedo-
num rege, bello conflixit.

3. *Victor.* Hanc vocem pro *victus* cum Modio dedi sensu postulante; nisi malis cum Gronov. e duobus codd. *victis* (*Græcis*, ut ante pro *Græciæ* recepit ex Longeruæi correct.) — *Die.* Hanc voculam inserui cum Gronov. ex omnibus codd. Rom. et correct. Bongars.

X. 1. *Defectores.* Hanc vocem quam e Bong. correct. receperat Modius, recepi cum Gronov. repertam in uno cod. a Longeruæo, pro corrupt. *effectores*. Conf. Diodor. XV, 91. — *Datamem.* Hoc nomen a Freinsh. et Longeruæo correctum recepi pro corrupt. *Dopanem*. Vide enim Cornelium in vita Datamis, a quo ille cap. 5 Paphlagoniam occupatam fuisse nos docet. Conf. etiam Diodor. XV, 91; Polyæn. VII. Repete igitur cum Modio *Paphlagonum* ante *origo*, aut lege cum Vorstio et Longeruæo *quorum*, quod rec. Gronov.

2. *Armeniæ.* Longeruæus corrigit *ac Mysiæ*, ut ante *Syriæ* pro *in Syria*. Mysiæ enim satrapa fuit Orontes, referente Diodoro, XV, 90.

3. *Sidona.* Sic rec. cum Modio et Gronov. pro *Sidon*. Urbs enim est Σιδὼν, non *Sidus*. Conf. Diodor. XVI, 45; Gemist. lib. II. — *Ter.* Conjic. Freinsh. *tertium*, vel *tertius*, nempe post Cambyzen et Artaxerxem. ED.

4. *Dein Darius.* Recte sic distinxit

PROLOGUS LIBRI XI.

1 Undecimo volumine continentur res gestæ Alexandri Magni, usque ad interitum regis Persarum Darii. Dictæque in excessu origines et reges Cariæ.

PROLOGUS LIBRI XII.

1 Duodecimo volumine continentur Alexandri Magni bella Bactriana et Indica usque ad interitum ejus. Dictæque in excessu res a præfecto ejus Antipatro in Græcia gestæ, et ab Archidamo, rege Lacedæmoniorum, Molossoque Alexandro in Italia, quorum ibi est uterque cum exercitu deletus.
2 Additæ his origines Italicæ Apulorum, Samnitum, Sabinorum; et ut Zopyrion in Ponto cum exercitu periit.

PROLOGUS LIBRI XIII.

1 Tertio decimo volumine continentur hæc: Ut mortuo Alexandro optimates castrorum ejus provinciarum imperia sint partiti: ut veterani, qui ab eodem lecti erant in colonias, moliti, relictis illis, in Græciam redire, a Pythone
2 sint deleti. Bellum Lamiacum, quod Antipater in Græcia
3 gessit. Bellum, quo Perdiccas regem Ariarathem occidit, et occisus est. Bellum, quo Eumenes Neoptolemum et Craterum occidit. Additæ in excessu origines regesque Cyrenarum.

et correxit Bongarsius, quem sequutus est Modius: vulg. *Deinde reus.* Arsi enim, qui per annos 414-418 regnarat, interfecto successit Darius Codomanuus.

XII. 1. *Molosso.* Pro *Molossa* hoc nomen quod quo referatur, non habet, recepi cum Modio aliisque. Molossi autem gens Epiri, cujus rex fuit Alexander. — *Archidamo.* De Archidamo, pro Tarentinis contra Lucanos pugnante, interfecto, confer Diodorum XVI, 64, et Gemist. II. ED.

2. *Apulorum.* Codices tres addunt *Lucanorum:* quod recep. Gronov.

XIII. 2. *Lamiacum.* Hoc nomen correctum a Bong. et Longeruæo recepi cum Modio et Gronov. pro corrupto *Lamsacum.* Dictum autem bellum illud Lamiacum a Lamia, Thessaliæ urbe, in quam Antipater ab Atheniensibus cæsus confugerat, referente Diodor. XVII, 111, et XVIII, 9-12.

3. *Et occisus est.* Latine dicendum erat: *et ut ipse;* dedit Gronovius: *et ut occisus est.* De nece Perdiccæ,

PROLOGUS LIBRI XIV.

Quarto decimo volumine continentur hæc : Bellum inter 1
Antigonum et Eumenem gestum : quem ut Cappadocia
expulit Antigonus, sic Phrygia minore Aridæum : ut Clitus
victus in Hellesponto navali bello. Repetitum rursus bellum 2
ab Eumene per Argyraspidas ; quo victus ab Antigono in-
teriit. Ut in Macedonia Cassander, victo Polyperchonte, 3
receptaque a defectore Munychia, matrem Alexandri Olym-
piadem, Pydnæ obsessam, interfecit.

PROLOGUS LIBRI XV.

Quinto decimo volumine continentur hæc : Ut Deme- 1
trius, Antigoni filius, Gazæ victus est a Ptolemæo. Ut Cas- 2
sander in Macedonia filium Alexandri regis interfecit : ac
alterum Polyperchontes. Ut Ptolemæum vicit classe Deme- 3
trius : idemque ab obsidione Rhodi submotus est. Repetita 4
in excessu origo Rhodiorum : unde digressus Demetrius
liberavit a Cassandro Græciam. Dein pater ejus Antigonus 5
bellum cum Lysimacho et Seleuco habuit. Repetitæ Seleuci 6
res, et regis Indiæ Sandrocotti. Ut victus bello Antigonus 7
interiit ; reliquiæque imperii sunt a filio ejus collectæ : et
Leonidæ inde Spartani res gestæ Corcyræ, et in Illyrico, et
in Italia : cui ablata Corcyra, rex Cassander interiit.

conf. Diodor. XVIII, 34, et Probum Eumenem.

XIV. 1. *Minore*. Hanc vocem e tribus codd. recepi cum Gronov. pro *majore*. Vide Justin. XIII, 4, 16 ; et cap. 6, 10 : *major autem Phrygia ipsi Antigono obvenerat*. — *Ut Clitus victus*. Recte sic correxit Is. Vossius ; classi enim præerat Clitus, Justin. XIII, 6, 15. In codd. autem male distinguitur : *Aridæum et Cliton : victus, etc.*

3. *Polyperchonte... Pydnæ*. Recte sic correxit Bongars. hunc locum prava distinctione in codd. corruptum : *Polyperchontere, captaque ad fatarem Mychia Olympiadanæ*. Illam correctionem confirmant et res ipsa et tres codices exhibentes *receptaque a Nicanore Magno*.

XV. 7. *Leonidæ*. Hoc nomen dedi cum Modio e correct. Bongarsii pro corrupt. *Leonimidiæ*. Contra e lect. cod. *Leonymi* Longeruæus correxit *Cleonymi*, quod recep. Gronov. Cleonymus autem fratris filio regnum Spartæ eripere conatus est ope Pyrrhi, A. U. 482, quamquam frustra. — *Cui*. Sic dedi ex emendatione Freinshemii pro *qui*, quod nullum habet sensum. Longeruæus contra conjicit : *utque abactus* Cor-

PROLOGUS LIBRI XVI.

1 Sexto decimo volumine continentur hæc : Ut mortuo
Cassandro, ortisque inter filios ejus certaminibus, Demetrius adjutor alteri adhibitus, occiso eo, Macedoniæ regnum tenuit : quo mox ejectus a Pyrrho, Epiri rege, trans-
2 latis in Asiam bellis, captus a Seleuco decessit. Ptolemæus,
3 nuncupato successore filio Philadelpho, decessit. Ut Lysimachus in Ponto captus ac missus a Dromichæte, rursus in Asia civitates, quæ sub Demetrio fuerant, et in Ponto
4 Heracleam occuparit. Repetitæ inde Bithyniæ et Heracleaticæ origines; tyrannique Heracleæ Clearchus, et Satyrus, et Dionysius, quorum filiis infectis, Lysimachus occupavit urbem.

PROLOGUS LIBRI XVII.

1 Septimo decimo volumine continentur hæc : Ut Lysimachus, occiso filio Agathocle per novercam Arsinoen, bellum cum rege Seleuco habuit, quo victus interiit : ultimumque
2 certamen commilitonum Alexandri fuit. Ut Seleucus, amissis in Cappadocia cum Diodoro copiis, interfectus est a Ptolemæo, fratre Arsinoes uxoris Lysimachi, in cujus vicem Ptolemæus cognomine Ceraunus, creatus ab exercitu rex, Macedoniam occupavit; bella cum Antiocho et Pyrrho composuit, datis Pyrrho auxiliis, quibus iret contra Roma-
3 nos, defensum Tarentum. Inde repetitæ origines regum Epiroticorum, usque ad Pyrrhum : ipsiusque Pyrrhi res gestæ, priusquam in Italiam trajecit.

cyra, etc ; coll. Diodoro in excerptis lib. II.

XVI. 1. *Ejectus*. Hanc conjecturam Modii, deinde codicis Paris. auctoritate confirmatam recepi cum Gronov. pro *evictus*. Quid enim sibi vult : *evincere quem regno ?*

3. *A Dromichæte*. Hanc Bongarsii conjecturam Longeruæo probatam recepi cum Gronovio, quum codices, ut in nominibus propriis fieri solet, varient in *Andromache*, *a Romiche*, *a Romuche*.

4. *Quorum*. Longeruæus corrigit *cujus*, quum pronomen non nisi ad postremum sit referendum.

XVII. 1. *Ultimumque*. J. F. Gron. correx. *quod ultimum*. Latine sane.

2. *Cum Diodoro*. Legi jubebat Longeruæus *cum Amynta*, ex Diodor. in excerptis lib. XXXI, p. 894. ED. — *Antiocho*. Longeruæus inseri vult

PROLOGUS LIBRI XVIII.

Octavo decimo volnmine continentur res a Pyrrho Epi- 1
rota in Italia gestæ contra Romanos : Postque id bellum, 2
transitus ejus in Siciliam adversus Carthaginienses. Inde 3
origines Phœnicum, et Sidonis, et Veliæ; Carthaginien-
siumque res gestæ in excessu dictæ.

PROLOGUS LIBRI XIX.

Undevicesimo volumine continentur res Carthaginien- 1
sium in Africa per rubellum annorum gestæ : et in Sicilia,
quum Selinuntem, et Agrigentum, et Camarinam, et Gelam
ceperunt : quo bello Dionysius Syracusanus Siciliæ regnum
occupavit. Bellum, quod cum eo Pœni per Himilconem 2
gesserunt, qua obsidione Syracusarum exercitum et classem
amisit.

PROLOGUS LIBRI XX.

Vicesimo volumine continentur res gestæ Dionysii Siculi 1
patris. Ut, pulsis Pœnis, Italica bella sit molitus. Inde repe- 2
titæ origines Venetorum, et Græcorum, et Gallorum, qui
Italiam incolunt. Deductisque Dionysii rebus ad interitum 3
ejus, dictæ quas Hanno magnus in Africa gessit.

ex Plutarcho in vita Pyrrbi *Antigono*. Tres enim ille Ptolemæus Seleuci interfectur adversarios habuit regni scelere occupati æmulus, *Antiochum*, Seleuci interfecti filium, *Antigonum* Gonatam Demetrii (lib. XVI) filium, et *Pyrrhum*.

XVIII. 3. *Sidonis*. Duo codd. *Sidoniorum*, quod Longeruæo et A. Gronovio probatum ut melius antecedenti convenit, sic vulgatum sequenti. — *Veliæ*. Huic Lucaniæ urbi quum hic nullus sit locus, apte sane post Bongarsium Longeruæus correxit *Uticæ*, quod recepit A. Gronovius. Confer Justinum XVIII, 4, 2; et cap. 5, 12.

XIX. 1. *Per rubellum annorum*. In his verbis aperte corruptis latet lectio, quam cod. Pithæanus habet adscriptam, quamque ipsam Colbertini codices habent et plures aliæ editiones *per Hasdrubalem, Hamilcarem et Hannonem*; vel, quod alii ediderunt, *per numerum multorum annorum*. — *Et Agrigentum*. Hanc Bongarsii conjecturam recepi cum Modio pro aperte corrupto *Temetegantum*.

2. *Qua obsidione*. *Qua* dedi pro vulg. *quod*; unde Modius effinxit *quoad*. Gronov. avus correxit *qui*. Illud autem latere mihi videbatur in codd. Fuld. lectione *quadsidione*.

PROLOGUS LIBRI XXI.

1 Uno et vicesimo volumine continentur hæc : Ut in Sicilia
2 Dionysius filius, patre amisso, tractavit imperium. Ut, per
Dionem ejectus, bellum cum Siculis gessit ; donec, amissis
liberis et fratribus, Corinthum secessit : ut, a Timoleonte
Carthaginiensium bello sit liberata Sicilia : mortuoque
Sosistrato iterum facta seditione, arcessiti ad bellum Carthaginienses obsederunt Syracusas : quo bello Agathocles
nactus imperium est.

PROLOGUS LIBRI XXII.

1 Secundo et vicesimo volumine continentur hæc : Res
gestæ Agathoclis : ut a Pœnis nactus imperium, bellum
cum ipsis gessit, primum in Sicilia; dehinc victus, trajecit
in Africam, ubi, possessa provincia, Ophellam, regem Cyre-
2 narum, interfecit. Ut rursus in Siciliam reversus, occupata
totius insulæ dominatione, quum revertisset in Africam,
amissis copiis, solus inde profugit in Siciliam : belloque ibi
repetitus, et cum Pœnis pacem composuit, et dissidentes
a se Siculos subjecit.

PROLOGUS LIBRI XXIII.

1 Tertio et vicesimo volumine continentur hæc : Ut Agathocles, domita Sicilia, bellum in Italia Bruttiis intulerit.
2 Repetitæ inde Bruttiorum origines. Omnibus subactis, rex,
3 seditione filii exheredati ac nepotis oppressus, interiit. Inter
peregrinos deinde milites ejus et Siculos bellum motum :

XXI. 2. *Ut per Dionem ejectus.* Sic bene correxit Bongarsius et recepit Modius pro corrupto *per Dionysius jectus.* Ex lectione duorum codicum *perinde ejectus* Longeruæus elicuit *per Dionem inde ejectus*, quod recepit Gron. — *Fratribus.* Aut potius *fratre.* — *Secessit : ut a Timoleonte.* Sic bene correxit Bongarsius corruptum *statim oleonte.* — *Sosistrato.* Hoc nomen ita correxi cum Longeruæo pro manifeste corrupto *Pisistrato*, ex Diodoro, XIX, 3. Præterea Gronovius avus ita hunc locum correxit : *mortuoque eo, ab Sosistrato iterum facta seditione arcessiti*, cum Hannibale *Carthaginienses obsederunt Syracusas.* Nec male ut nobis videtur

XXII. 2. *Subjecit. Sibi* scilicet subjecit. Unus codex non inepte *ejecit.*

quæ caussa Pyrrhum, regem Epiri, in Siciliam adduxit: bella, quæ Pyrrhus cum Pœnis et Mamertinis ibi gessit: et a Sicilia reversus in Italiam, victusque prælio a Romanis, revertit in Epirum.

PROLOGUS LIBRI XXIV.

Quarto et vicesimo volumine continetur bellum, quod 1
inter Antigonum Gonatam, et Antiochum Seleuci filium,
in Asia gestum est. Bellum, quod Ptolemæus Ceraunus in 2
Macedonia cum Monio Illyrio et Ptolemæo, Lysimachi
filio, habuit: utque Arsinoen, sororem suam, imperio
Macedonicarum urbium exuit. Ipse, cum Belgio, Gallo- 3
rum duce, congressus, interiit. Repetitæ inde Gallorum 4
origines, qui Illyricum occuparant; atque ut ingressi Græ-
ciam, Brenno duce, Delphis victi deletique sunt.

PROLOGUS LIBRI XXV.

Quinto et vicesimo volumine continentur hæc: Ut Anti- 1
gonus Gallos delevit: deinde cum Apollodoro, Cassandreæ
tyranno, bellum habuit. Ut Galli transierint in Asiam, bel- 2
lumque cum rege Antiocho et Bithynio gesserunt: quas
regiones Felini occuparunt. Ut Pyrrhus ex Italia reversus, 3
regno Macedoniæ Antigonum exuerit, Lacedæmonem ob-
sederit; Argis interierit: filiusque ejus Alexander Illyricum
cum Mytilo bellum habuerit.

PROLOGUS LIBRI XXVI.

Sexto et vicesimo volumine continentur hæc: Quibus in 1
urbibus Græciæ dominationem Antigonus Gonatas consti-

XXIII. 3. *Bella, quæ*. Hanc Modii lectionem confirmat unus codex Parisiensis vulg. *bellaque*.

XXIV. 2. *Monio*. Cod. Paris. *Mytilo:* quod recep. Gron. Conf. XXV, 3.

XXV. 2. *Antiocho*. Hoc nomen recepi e duobus codd. pro *Antigono;* ut jam monuerat Longeruæus. In Asia enim non cum hoc Macedoniæ rege bellum gesserunt, sed Nicomedis, Bithyniæ regis, socii mercede conducti, Antiochum I, Syriæ regem, b lo petierunt. Vid. excerpta Memnonis et Livium lib. XXXVIII. — *Bithynio*. Scil. rege, *Zypoete*, Nicomedis illius antecessore, cujus nomen hic inseri volebat Longeruæus. Freinsh. correx. *Bithynis*. — *Felini*. Alii codd. *Selini*. Longeruæus conjicit *Galli;* coll. Strab. et Liv. loc. laud.

XXVI. 1. *Antigonus Gonatas*. Tangit hæc Polyb. Hist. IX, 23.

2 tuerit. Ut defectores Gallos Megaris delevit; regemque
3 Lacedæmoniorum Area Corinthi interfecit. Dehinc cum
4 fratris sui Crateri filio Alexandro bellum habuerit. Ut princeps Achaiæ Aratus Sicyonem, et Corinthum, et Megara
5 occuparit. Ut in Syria rex Antiochus, cognomine Soter, altero filio occiso, altero rege nuncupato Antiocho, deces-
6 serit. Ut in Asia filius Ptolemæi regis, socio Timarcho,
7 desciverit a patre. Ut frater Antigoni Demetrius, occupato
8 Cyrenis regno, interiit. Ut, mortuo rege Antiocho, filius ejus Seleucus Callinicus regnum acceperit.

PROLOGUS LIBRI XXVII.

1 Septimo et vicesimo volumine continentur hæc: Seleuci
2 bellum in Syria adversus Ptolemæum. Item in Asia adversus fratrem suum Hieracem: quo bello Ancyræ victus est a
3 Gallis. Utque Galli, Pergamo victi ab Attalo, Zyelam Bithy-
4 nium occiderint. Ut Ptolemæus eum denuo captum interfecerit: et Antigonum Andro prælio navali Oprona vicerit: et a Callinico fusus, in Mesopotamia Antiochus insidiantem
5 sibi effugit Ariamnem. Dein postea custodes Tryphonis, quo a Gallis occiso, Seleucus quoque frater ejus decesserit, majoremque filiorum ejus Apaturius occiderit.

2. *Area.* Recte, quum græcum sit Ἄρευς. Hine non est, cur cum Modio et Gronov. ex aliis eodicibus reeipias *Arean.*

8. *Antiocho.* Ut supra XXV, 2, sic et hic Longeruæi emendationem cum Gronov. recepi. Seleucus enim Callinicus (Καλλίνικος, non, ut omnes MSS. et edd. præter Gronov. habent, *Gallinicus*) successit *Antiocho* Θεῷ A. U. 508, non *Antigono.*

XXVII. 1. *Ptolemæum. Tryphonem* addunt MSS. tres; recep. Gron.

3. *Attalo, Zyelam Bithynium.* Prava distinctione vulg. corrupta legebantur hæc verba: *Atalosiæ lumbitunum.* Illam Freinsh. emendationem confirmarunt deinde duo codd.

4. *Eum.* Quem? Hinc Longeruæus conjicit *Ptolemæum.* — *Ariamnem.* Hoc nomen dedi ex codd. Vaticanis; in cæteris est *Artamenem;* Is. Vossii conjecturam *Ariamenem* recep. Gron.

5. *Custodes Tryphonis.* Sic exhibet codex Lugd., ut jam conjecerat Freinsh. pro corrupto *custode Stryponio.* — *Apaturius.* Hoc nomen, quod cum Gronov. recepi, debetur ingenio Freinsh. et Longeruæi, qui hoc pro corrupt. *Epacorios*, *Epatorius*, *Epicarium*, restituerunt ex Arriano in Syr. et Polyb. IV, 58. *Apaturius* enim cum Nicatore Seleucum III Ceraunum veneno interfecit A. U. 531. Minor autem Seleuci II Callinici (XXVI, 8) filio-

PROLOGUS LIBRI XXVIII.

Octavo et vicesimo volumine continentur hæc : Ut mor- 1
tuo rege Epiri Alexandro, Laodamiam Epirotæ occiderint.
Dictique in excessu Bastarnici motus. Ut ex Macedonia 2
Demetrius sit a Dardanis fusus; quo mortuo tutelam filii
ejus Philippi suscepit Antigonus, qui Thessaliam, Mœsiam,
Dardaniam subjecit : et adjutis Achæis contra regem Spartanum
Cleomenem, cepit Lacedæmona : amissoque regno
Cleomenes Spartanus confugit Alexandriam, atque ibi interiit.
Dictum in excessu bellum Illyricum, quod Romani 3
gessere cum Teuta.

PROLOGUS LIBRI XXIX.

Undetricesimo volumine continentur hæc : Res gestæ 1
Philippi regis adversus Dardanos et Ætolos. Repetitæque
inde Creticæ origines : Post cujus insulæ societatem, Phi- 2
lippus cum Illyriis, et Dardanis, et rursus Ætolis bello congressus
est, adjuvantibus Ætolos Romanis. Quo finito, intulit
Ætolis bellum.

PROLOGUS LIBRI XXX.

Tricesimo volumine continentur hæc : Ut, mortuo Pto- 1
lemæo Tryphone, filius ejus Philopator Antiochum regem

rum fuit Antiochus Magnus, qui fratri an. 531 succedens regnavit ad annum usque 567.

XXVIII. 1. *Bastarnici.* Seu Bastarnarum, ut edid. Modius.

2. *Ex.* Modius edid. *rex.* Certe non ex Macedonia fuderunt Dardani Demetrium (Antigoni Gonatæ filium, regem per an. 512-522). Hinc Longeruæus emendabat *exiens e Macedonia;* Burm. edid. *ex Macedonica.* — *Qui... Dardaniam.* Sic hoc loco restituit Bongarsius prave in codicibus distinctum indeque corruptum *que Thessaliæ in Asiam, Cariam:* pro quo posteriore correx. Is. Vossius alio modo *Daciam.*

XXIX. 1. *Dardanos.* Duo codd. *Romanos*, prob. Longeruæo; Romani enim, non Dardani, contra Philippum regem Macedonum fuerunt in bello socii Ætolorum. — *Intulit Ætolis.* Idem emendabat *Atheniensibus.*

XXX. 1. *Tryphone.* Conf. XXVII, 1, not. et §. 5. Nomen ipsum in codd. depravatum *Utrusphonæ*, recte autem a Romanis codd. et uno Lugd. servatum conjectura jam eruerat Rutgers. var. V, 7. — *Rapi ei... Agathocleæ.* Lege cum duobus codd. Lugd., quos Gronov. sequitur, *Raphiæ ipse amore*, ut jam conjecerat Vales. ad Polyb. excerpt.

vicit, rapi ei pœamare Agatocleæ corruptus decessit, re-
licto filio pupillo : in quem cum Philippo rege Macedo-
2 num consensit Antiochus. Philippi deinde gesta in Asia,
quum movisset Ætola bella. A quibus reversus bellum ha-
buit cum ducibus Romanis Sulpicio et Flaminino, a quibus
3 victus, pax. Transitus deinde ad res Antiochi, qui, post
regnum acceptum, persequutus defectores in Media Molo-
nem, in Asia Achæum, quem obsedit Sardibus : pacata su-
periore Asia Bactris tenus, in Romana bella descendit.

PROLOGUS LIBRI XXXI.

1 Uno et tricesimo volumine continetur bellum, quod
cum Lacedæmonio Nabide Titus Flamininus et Philopœ-
2 men, dux Achæorum, gessit. Item bellum, quod cum
Antiocho in Achaia per Acilium consulem, et in Asia per
3 Scipionem gestum est. Denique Hannibalis ad regem a
4 Carthagine fuga. Bellum cum Ætolis gestum per eundem
Acilium, qui Antiochum Græcia expulerat.

PROLOGUS LIBRI XXXII.

1 Secundo et tricesimo volumine continentur hæc : De-
fectio ab Achæis Lacedæmoniorum et Messeniorum, qua
2 Philopœmen interiit. Romanorum in Asia, duce Manlio,
3 adversum Gallos bellum. Regis Philippi, propter ablatas
sibi civitates, alienatus in Romanos animus; et ob hoc alter
filiorum Demetrius occisus : concitatique ab eo Bastarnæ,
4 transire conati in Italiam. Inde in excessu dictæ res Illyricæ :
ut Galli, qui occuparant Illyricum, rursus redierunt in

12. Is. Vossius autem hæc eruit : *turpique postea amore Agathocleæ.* Longeruæus denique ita hunc locum falsa distinctione manifeste depravatum restituere conatur : *rapiturque ipsi præmium Agathocleæ omore corrupto. Decessit...*

2. *Victus, pax.* Abrupte hæc dicta ita fere, ut opinor, erant dicenda : *a quibus victo pax fit;* vel *a quibus victus pacem petit et impetrat.*

3. *Achæum.* Corrupt. in *Maccheum* restituit ex duobus codicibus Gronovius. Idem jam Freinshemius et Longeruæus restituerant ex Polyb. excerpt. VIII, 12-18.

XXXII. 2. *Duce Manlio.* Sic post Bong. correx. Longeruæus, recep. *Mod.* et Gronov. Vulgo corrupte legitur ex prava distinctione : *ducem, ambo.* Conf. Liv. XXXVIII, 12; Flor. II, 2.

Galliam; originesque Pannoniorum, et incrementa Daco-
rum, per Ruboboston regem. In Asia bellum a rege Eumene 5
gestum adversus Gallum Ortiagontem, Pharnacem Ponti-
cum et Prusiam, adjuvante Prusiam Hannibale Pœno. Res 6
gestæ Hannibalis post victum Antiochum. Et mox, mortuo
Seleuco, filio magni Antiochi, successit regno frater An-
tiochus.

PROLOGUS LIBRI XXXIII.

Tertio et tricesimo volumine continentur hæc : Ut cum 1
Perse, Philippi filio, rege Macedonum, Romani bellum
gesserint : quo capto deleta est Epiros. Ætolicæ civitates ab 2
unitate corporis deductæ, inter Achæos et Lacedæmonios
certamine orto : bellum rursus in Macedonia gestum a
Romanis cum Pseudo-Philippo.

PROLOGUS LIBRI XXXIV.

Quarto et tricesimo volumine continentur hæc : Bellum 1
Achaicum, quod Romani per Metellum et Mummium ges-
sere : quo diruta est Corinthus. Bellum regis Eumenis cum 2
Gallo-Græcis, et in Pisidia cum Selgensibus. Res, quas gessit 3
Syriæ rex Antiochus, et rex Ægypti Ptolemæus. Repetitæ 4
inde origines regum Cappadocum. Ut, mortuo Ptolemæo,
relicti ab eo filii duo Philometor et Evergetes, primum
cum Antiocho habuere bellum, quod per Romanos finitum
est, deinde inter se, quo major est expulsus : restitutoque,
Romani inter fratres regna diviserunt. Ut, mortuo rege 5
Syriæ Antiocho, Demetrius, cognomine Soter, qui Romæ

XXXIII. 2. *Ætolicæ*. Bongars. emendat *Achaicæ*, recte. — *Deleta est Epiros*. De direpta Epiro, h. e. Epiri civitatibus, conf. Plutarch. Æmil., cap. 49; Eutrop. IV, 8; Polyb. fragm. lib. VII; Liv. XLV, 33; et alibi passim.

XXXIV. 3. *Ptolemæus*. Epiphanes, quod nomen hic addi vult Bongarsius, alieno loco post *Cappadocum* positum, ubi delevi.

4. *Ptolemæo*. Epiphane, quod nomen addi vult Longeruæus, et addidit Gronovius. Verba autem præcedentia, *repetitæ... Cappadocum* alieno plane loco posita, collocanda sunt in fine §. 5. post *Cappadocum*.

5. *Ut mortuo* etc. Falsa hæc sunt; Antiocho enim Magno anno 567 mortuo successit Seleucus IV Philopator : cui per Heliodorum purpuratum necato successit frater minor Antiochus IV Epiphanes an. 578-590. Atque hujus demum filio,

fuerat obses, clam fugit; occupataque Syria, bellum cum
Timarcho, Medorum rege, habuit, et Ariarathe rege Cap-
6 padocum. Ut habita inter Ariarathem et Orophernem regni
7 certamina. Ut, mortuo rege Asiæ Eumene, suffectus Atta-
lus bellum cum Selgensibus habuit, et cum rege Prusia.

PROLOGUS LIBRI XXXV.

1 Quinto et tricesimo volumine continentur hæc : Bellum
piraticum inter Cretas et Rhodios : seditio Cnidiorum ad-
2 versum Ceramenses. Et adversus Demetrium Sotera subor-
natus est Alexander, tamquam genitus Epiphane Antiocho :
quo bello victus Demetrius, invisum stultitia Alexandrum
bello vicit, adjuvante Ptolemæo Philometore, qui eo bello
3 interiit. Ut deinde orta Demetrio bella sint cum Diodoto
Tryphone : expulsusque a Tryphone regno Syriæ Demetrius.
4 Repetit inde superioris Asiæ motus, factos per Aretam et
Arsacem Parthum.

PROLOGUS LIBRI XXXVI.

1 Sexto et tricesimo volumine continentur hæc : Ut Try-
pho, pulso Syria Demetrio, captoque a Parthis, bellum
gessit cum fratre ejus Antiocho cognomine Sedete : ut
2 Antiochus, interfecto Hyrcano, Judæos subegit. Repetita

Antiocho V Eupatori, Antiochi Magni nepoti eripuit vitam et regnum Demetrius Soter anno urbis 592, Seleuci IV filius, Antiochi Magni nepos.

XXXV. 2. *Demetrius*. Hic Demetrius (XXXIV, 5) quum in bello adversus Alexandrum illum periisset an. 604, illius filius, quatuor post annis Alexandro interemto, regnum paternum occupavit. Hinc Longeruæus lacunam hic statuens ita legi vult : *quo bello victus Demetrius* (Soter A. U. 604). *Filius ejus Demetrius* (II Nicator) *invisum*, etc.

3. *Diodoto*. Hoc nomen restituit Bongars. pro corrupto *Diotoro*.

4. *Aretam*. Sic dedi e conjectura Freinsh. vulg. Areteum. Longer. inde elicit *Ariarathem* (XXXIV, 6).

XXXVI. 1. *Ut Trypho*. Dedi hunc locum a Bongarsio correctum pro vulg. corrupto : *ut Cypro pulsus... captaque... sed*. Trypho enim, qui Demetrio Nicatore (XXXV, 2) pulso an. 610 regem substituerat Antiochum VI, θεὸν, Alexandri illius spurii (XXXV, 2) filium, ipse hoc interemto regnum occupavit an. 612-17 : quo anno interfectus est ab Antiocho VII, cognomine Sidete, sive Sedete. Hic autem Joannem Hyrcanum non adversarium habuit, sed contra socium. Hac de re autem confer Appianum et Josephum.

inde in excessu origo Judæorum. Ut rex Asiæ Attalus Ce- 3
nostracas subegit : successoremque imperii Attalum Philo-
metora reliquit. Mortuo denique Philometore, Aristonicus 4
regno Asiæ occupato, bellum cum Romanis gessit, quo
captus est.

PROLOGUS LIBRI XXXVII.

Septimo et tricesimo volumine continentur hæc : Repe- 1
titis regum Ponticorum originibus, ut ad ultimum Mithri-
datem Eupatora series imperii deducta sit : atque ut in- 2
gressus ille regnum subegit Pontum et Paphlagoniam,
priusquam in bella Romana descendit. Dictæque in excessu 3
regum Bosporanorum et Colchorum origines, et res gestæ.

PROLOGUS LIBRI XXXVIII.

Octavo et tricesimo volumine continentur hæc : Ut Mi- 1
thridates Eupator, occiso Ariarathe, Cappadociam occu-
pavit; victoque Nicomede et Malthino, Bithyniam. Ut, 2
mortuo Ptolemæo Philometore, frater ejus Physcon, ac-
cepto regno Ægypti seditione populi, deinde bellum cum
uxore sua Cleopatra, et cum rege Syriæ Demetrio habuit.
Inde repetitum, ut Demetrius captus sit a Parthis, et frater 3
ejus, victo in Syria Tryphone, bellum Parthis intulerit,
qui cum exercitu suo deletus est.

PROLOGUS LIBRI XXXIX.

Nono et tricesimo volumine continentur hæc : Ut, ex- 1
stincto a Parthis Antiocho Sidete, frater ejus Demetrius

3. *Cenostracas*. Nomen ex falsa distinctione certissime depravatum : unde elicit Longeruæus *Cænos, Thracas;* coll. Strab. lib. XIII, p. 624. Is. Vossius, *Thynos Thracas*.

4. *Aristonicus*. Hoc nomen addidi cum Bongarsio et Longeruæo : qui quidem posterior ex uno codice præterea post *Romanis* inserit *consulibus*. Eidem præterea illi Bongarsio debes hanc correctionem *quo captus est*, quam ego cum Modio et Gronovio recepi pro corrupto : *qua pactus est*.

XXXVIII. 2. *Seditione*. Freinsh. corrigit *seditionem*. Non enim seditione populi, sed successione fraterna accepit regnum. At *habuit* seditionem populi, ut deinde habuit bellum uxoris.

3 *Et frater ejus... Parthis*. Hæc verba pro quibus in vulg. legitur solum *bellumque*, addidi cum Gron. e codd. Vatic. et uno Lugd.

dimissus regnum Syriæ recepit; subornatoque in bellum adversum eum Alexandro Zebinna, interiit: filiusque An-
2 tiochus Grypos, victo Zebinna, regnum occupavit. Dehinc cum fratre suo Antiocho Cyziceno bellum in Syria Cilicia-
3 que gessit. Ut, Alexandriæ mortuo rege Ptolemæo Physcone, filius ejus Ptolemæus Lathurus accepto regno expulsus est a matre in Cyprum; et in Syria bello petitus ab eadem, suffecto in locum ejus Alexandro, donec, occisa per Alexan-
4 drum matre, recepit Ægypti regnum. Ut post Lathurum filius Alexander regnarit, expulsoque eo, suffectus sit Pto-
5 lemæus Nothus. Ut Syriam Judæi et Arabes terrestribus
6 latrociniis infestarunt: mari Cilices piraticum bellum moverunt, quod in Cilicia Romani per Antonium gesserunt.
7 Ut in Syria post mortem regis occuparint imperium.

PROLOGUS LIBRI XL.

1 Quadragesimo volumine continentur hæc: Ut, mortuo Grypo rege, Cyzicenus cum filiis ejus bello congressus,
2 interiit. Hi deinde a filio Cyziceni Eusebe interfecti: exstinctaque regum Antiochorum domo, Tigranes Armenius
3 Syriam occupavit. Cui mox victo Romani abstulere eam.
4 Ut Alexandriæ post interitum Ptolemæi Lathuri substituti sunt ejus filii: alteri data Cypros, cui P. Claudii rogatione

XXXIX. 2. *Cum fratre suo.* Antiochus hic IX, Philopator, Cyzicenus, non frater fuit Antiochi VIII Grypi. Cyzicenus enim Antiochi Sidetis filius fuit; Grypus autem Demetrii. Erant igitur fratres patrueles, quum Demetrius ille et Antiochus Sidetes, horum patres, fuissent ipsi fratres.

3. *Alexandro donec.* Sic bene hoc loco correxit Longeruæus pro corrupto *Alexandrone.* Duo codd. Lugd. addunt *fratre*, bene.

7. *Ut in Syria.* Longeruæus ex historia hunc locum ita restituit: *ut in Syria Antiocho* (XII, A. 667-669) *occiso, Arabes* etc. Coll. Justin. XXXIX, fin. et Joseph. XIII, 23.

XL. 4-5. *Ut Alexandriæ* etc. Res, quas epilogus attingit, Ægyptiacas Justinus ne verbo quidem attigit. Est autem Cyprus data Ptolemæo Notho, quo morte voluntaria an. 695 absumto, Romani hanc occuparunt, misso huc Catone rogatione a P. Clodio tribuno plebis lata; vide Vell II, 47. Alter (Ptolem. Auletes), post Ptolemæum Alexandrum II, an. 673 ab Alexandrinis occisum, et Ptolemæum Alexandrum III, qui Lathuri se filium ferens 673-688 regnarat, et pulsus in Tyro an. 689 obierat; Auletes, inquam, an. demum 690 per Cæsarem ingenti pe-

Romani abstulerunt eam; alter seditione exagitatus Alexandria Romam profugit: belloque per Gabinium gesto recepit imperium: quo mortuo successit filius, qui cum sorore Cleopatra certamine sumto, et Pompeium Magnum interfecit, et bellum cum Cæsare Alexandriæ gessit. Ut successit ejus soror regno Cleopatra, quæ illigato in amorem suum M. Antonio, belli Actiaci fine exstinxit regnum Ptolemaicorum.

PROLOGUS LIBRI XLI.

Uno et quadragesimo volumine continentur res Parthicæ 1
et Bactrianæ. In Parthis, ut est constitutum imperium, per 2
Arsacem regem. Successores deinde ejus Artabanus, et 3
Tigranes cognomine Deus: a quo subacta est Media et
Mesopotamia: dictusque in excessu Arabiæ situs. In Bac- 4
trianis autem rebus, ut a Diodoto regnum constitutum est:
deinde, quo rege pugnante, Scythicæ gentes, Sarancæ et 5
Asiani Bactra occupavere et Sogdianos. Indicæ quoque res 6
additæ, gestæ per Apollodorum et Menandrum reges eorum.

ennia corruptum (Suelon. in Cæs., LIV, 4) regno potitus pellitur an. 696; dinque regis caussa per factiones Romæ tracta (vid. Cic. Epist. ad div. I, iisque argumentum a me præmissum), tandem a Gabinio, Syriæ proconsule reducitur. Huic an. 703 mortuo, qui successit filius, Ptolemæus Dionysius Pompeium, qui pugna Pharsalica victus a Cæsare huc confugerat an. 705, occidit, ipse in Nilo periit (Cæs. de bell. Alex. XXXI, 6). Jam Cæsar victor an. 706 ejus fratri minori, Ptolemæo puero et hujus sorori Cleopatræ regnum tradit (Cæs. de bell. Alex. XXXIII); quæ hoc fratre an. 713 a se occiso, et Arsinoe sorore an 714 ab Antonio interemta, regnavit, ab an. inde 716 Antonii uxor post pugnam Actiacam, qua cum marito ab Octaviano an. 722 est victa, ipsa se an. 723 interemit, cui superstes esse noluit Antonius homo perditissimus.

XLI. 3. *Tigranes*. Rex ille Parthorum qui subegit Mediam et Mesopotaniam non appellatus est a Trogo *Tigranes*, sed *Mithridates*. Ergo ex historia Mithridates (580-617) est reponendus pro *Tigranes*.

5. *Sarancæ*. Longeruæus correx. *Saracancæ*. Saraca autem, Ptolemæo auctore, fuit Sarmatiæ Asiaticæ urbs. Plinius, libro VI, capite 16, mentionem facit de populo, cui nomen *Sarangæ*: in Herod. autem, lib. III, Σαραγγαῖοι; lib VII, Σάραγγαι. ED. — *Asiani*. Modius recep. Bongarsii conjecturam *Arriani*. Ariaces autem sunt populus et Indiæ et Scythiæ.

6. *Indicæ quoque... reges eorum*. Locus depravatissimus. Nam Appolodorus, rex Græcorum, Bactrianæ

PROLOGUS LIBRI XLII.

1 Secundo et quadragesimo volumine continentur Par-
2 thicæ res. Ut præfectus Parthis Apræteus Mesenis bellum
intulit : utque in Babylonios et Seleucienses sæviit, utque
Phraati successit rex Mithridates cognomine Magnus, qui
3 Armeniis bellum intulit. Inde repetitæ origines Armenio-
4 rum, et situs. Ut varia complurium regum in Parthis suc-
cessione, imperium accepit Orodes, qui Crassum delevit et
5 Syriam per filium Pacorum occupavit. Illi succedit Phraa-
tes, qui et cum Antonio bellum habuit, et cum Tiridate.
6 Additæ res Scythicæ. Reges Tocharorum Asiani, interitus-
que Sarducarum.

PROLOGUS LIBRI XLIII.

1 Tertio et quadragesimo volumine continentur origines
[priscorum] Latinorum, situs urbis Romæ : et res usque

nullus fuit. Imno Apollodorus celeberrimus fuit et antiquus historicus, quem laudat Strabo, scripseratque Indica et Bactra, fuseque enarraverat gesta Menandri et Eucratidæ regum Bactrianorum, ut narrat Strabo. Recte igitur Longeruæus, historia duce, ita hoc loco corrigit et supplet : ex *Apollodoro, gestæ per Menandrum et Eucratidam reges eorum.* ED.

XLII. 2. *Apræteus.* Vales. in Diod. excerpt. pag. 58, et Longeruæus ex hoc nomine corrupto eruunt : *a Phraate Himerus :* ut Himerus a Phraate Parthis præfectus, intulit bellum Mesenis (Meseniis): Mesene autem, Stephano auctore, est et insula a Tigride flumine formata, et regio inter Tigridis ostia. — *Seleucienses sæviit, utque Phraati.* Ita ex conjectura Longeruæus et ex MS. Vales. loc. laud. hoc loco restituerunt, qui vulgo prave distinctus et corruptus sic legitur : *Seleucinisse, victusque Phyrotis.* Pro Phraati autem, legendum fortasse *Phrahati* conjecit Bongarsius. ED.

4. *Ut varia... Orodes.* Ex his verbis patet error Justini qui Mithridatis Magni fratrem Orodem fuisse asserit lib. XLII, cap. 4. ED.

6. *Tocharorum.* Ita correx. Longeruæus pro *Thoclarorum.* A *Tocharis* enim dicta fuit regio quæ postea appellata fuit *Tocharistan.* Idem supra XLI, 5, hoc loco vult *Saracancarum.*

XLIII. 1. *Et res usque ad Priscum Tarquinium.* Hoc loco Longeruæus emendat et legit ut habet secundus codex vaticanus *et reges* (Romanorum videlicet) *usque ad Priscum Tarquinium.* Neutra lectio altera prorsus pejor est; quumque Longeruæus unius Codicis auctoritate nitatur, nihil nobis mutandum videtur. ED.

ad Priscum Tarquinium. Origines [deinde] Liguriæ et [2] Massiliensium res gestæ.

PROLOGUS LIBRI XLIV.

Quarto et quadragesimo volumine continentur res Hispanicæ et Punicæ.

2. *Liguriæ* et *Massiliensium*. Legendum fortasse, ut idem habet codex Vaticanus *Ligurum* et *Massiliensium*.

FINIS PROLOGORUM.

PRÆFATIO JUSTINI.

1 Quum multi ex Romanis, etiam consularis dignitatis viri, res Romanas Græco peregrinoque sermone in historiam contulissent, sive æmulatione gloriæ, sive varietate et novitate operis delectatus, vir priscæ eloquentiæ *Trogus Pompeius*, Græcas et totius orbis historias Latino sermone composuit, ut, quum nostra Græce, Græca quoque nostra lingua legi possent, prorsus rem magni et animi

1. *Multi... viri.* In his A. Albinus, cons. A. U. 602, de quo plura dixi ad Cic. Brut. XXI, 2; L. Cincius, de quo Dionys. Halic. I, 6; C. Julius senator, de quo Liv. Epit. 53; L. Lucullus, cons. A. U. 679, de quo Cic. Acad. II, 1; atque Cicero, qui commentarium consulatus sui (A. U. 690) græce compositum ad Atticum suum misit an. 693, ut ipse scribit ad Att. I, 19. — *Peregrinoque.* Ergo peregrino, non Romano. — *Æmulatione gloriæ.* Supple ex seq. *delectatus*, simile participium *ductus*, *impulsus*, sive illorum gloriam æmulatus. — *Pompeius.* De quo proleg. Cap. I. — *Adgressus.* Hoc participium cohæret cum præc. *composuit* ita: composuit historias, et ita adgressus est rem. Distinxi igitur *possent* commate, non, ut cæteri editores, colo. — *Magni.* Aptius hoc, quam quod plures edd. habent, *magnam*. Quamquam enim ut alibi *vir* dicitur *magnus*, *summus* domi bellique, sic et hoc loco *res* dici potest *magna* animi; res tamen hoc loco non ipsa ostendit animum suum, sed animum historici. Recte igitur dici potest scriptor adgressus rem magni *animi*, quæ significat magnum ipsius animum, et *corporis*, quæ ostendit, corpus quoque par fuisse huic oneri ferendo, tot tantisque voluminibus excerpendis. Hic igitur sensus commodus sane quum his verbis insit, *corpusque animo* recte opponatur; Herculea præterea audacia succreverit ex insigni corporis robore, non video, cur lectionem aliquot MSS. et edd. Junt. et Ald. *operis*, quæ et Gronovio avo in mentem venerat, Vorstius, Faber et Grævius prætulerint. Atque Gronovius quidem *rem magni operis* explicat rem, quæ vario et multo opere constat; opus autem *Bauwerk*, *Bau*; coll. Sueton. in Cæs. 28, Aug. 29, Tib. 47; spec. *Kriegsbaue*, *Belagerungswerke*; coll. Cæs. de Bell. Gall. VII, 70, 1, et cap. 69, 4. Sic et Sueton. in Cæs. 35, 1; Liv. XXI, 57, 6, ubi est: *Hostem maximis operibus obsidere, et emporium maximo opere munitum.* Hinc ut Curt. VII, 13, dicit: *magni operis est voraginem vastam explere*, sic Plinius lib. XXXV, 10, *corpora pingere est magni operis*, et Liv. præf. 4: *Res est immensi operis* eodem plane, quo

et corporis adgressus. Nam quum plerisque auctoribus, 2
singulorum regum vel populorum res gestas scribentibus,
opus suum ardui laboris videatur, nonne nobis Pompeius Herculea audacia orbem terrarum adgressus videri debet, cujus libris omnium sæculorum, regum, nationum, populorumque res gestæ continentur? Et quæ historici 3
Græcorum, prout commodum cuique fuit, inter sese gregatim occuparunt, omissis, quæ sine fructu erant, ea omnia Pompeius divisa temporibus, et serie rerum digesta composuit. Horum igitur quatuor et quadraginta volumi- 4
num (nam totidem edidit) per otium, quo in Urbe versabar, cognitione quæque dignissima excerpsi; et omissis his, quæ nec cognoscendi voluptate jucunda, nec exemplo erant necessaria, breve veluti florum corpusculum feci; ut haberent, et qui Græca didicissent, quo admone-

hoc loco rerum contextu, ergo *Arbeit, Mühe, Anstrengung;* coll. Quintil. I, 4, 5; Ovid. Pont. IV, 8, 74. Quæ quidem omnia loca ut lectionem *operis* per se non incommodam esse evincunt, sic hoc loco corporis aptiorem esse ostendit, ut dixi, oppositum *animus.* Eodem spectat §. 2, *arduus labor*, et, ut supra jam dixi, *Herculea audacia.*

2. *Nonne... debet.* Nonne, ut Hercules ille audacissimus terrarum orbem domuit, sic par est nos statuere, Pompeium orbem terrarum adgressum esse, id est, Herculis instar audacem totius terrarum orbis historiam amplexum esse. De illa verbi *debet* vi conf. Cic. ad Div. VI, 6, 12; IV, 5, 10.

3. *Gregatim.* Id est, *segregatim*, quam illius glossam habet ed. Rom. probatam Gronovio nepoti, ut *segregati*, quod e duobus MSS. dedit Bongars. — *Omissis... erant.* Ita ut, quæ sine fructu erant, omitterent. Referenda igitur sunt hæc verba ad historicos Græcorum, docente nos contextu, non, ut Ostertag. intellexit, ad Pompeium. Gronovius igitur avus recte illud statuens, simulque Græcos carpi putans, conjicit *admistis* pro *omissis*, laudans Ciceronis verba: *Græci ut ingenio excelluerunt, ita non semper adhibuerunt judicium.— Ea omnia* etc. Quæ *temporibus divisa* sunt, illa *Pompeius rerum serie* digessit et composuit: quod majori laudi est scriptori, quam quod aliæ edd. habent, *congesta.*

4. *Versabar.* Hoc prætuli alteri *versabamur*, quum sequatur singularis *excerpsi*, *feci.* — *Cognitione dignissima.* Tacit. Ann. XIII, 31: *Ex dignitate populi romani repertum est, res illustres memoriæ mandare.* Ammian. Marcell. *Historia discurrere per negotiorum celsitudines adsueta, non humilium minutias indagat caussorum.* Hujus præcepti Justinum ipsum non ubique memorem, passim lector attentus animadvertet. ED. — *Græca.* (Alii *græce*) *didicissent.* Inde-

5 rentur, et qui non didicissent, quo instruerentur. Quod ad te, non tam cognoscendi, quam emendandi caussa transmisi : simul ut et otii mei, cujus et Cato reddendam
6 [operam] putat, apud te ratio constaret. Sufficit enim mihi in hoc tempore judicium tuum, apud posteros, quum obtrectationis invidia decesserit, industriæ testimonium habituro.

que historias græca lingua conscriptas cognovissent.

5. *Ad te.* Addunt edd. Rom. et Ald. *Imperator Antonine*, quæ est sine dubio glossa eorum, qui Nostrum confundebant cum Justino Martyre. Vide proleg. cap. 1, nr. 18. — *Non tam.* MSS. aliquot addunt *non tam cognoscendi magis*, quod tuentur Vorstius et Vossius pater, deleto τῷ *tam.* Sensus utriusque lectionis est idem; non tam ut tu inde res tibi incognitas cognosceres, quam potius ut opus meum emendares. — *Operam.* Hanc vocem inclusi uncis. Quid enim sibi vult *operam reddere otii?* Hinc edd. Bongars. et Colon. dederunt *rationem*, probante Fabro. Idem autem vocabulum quum paullo post sequatur, temere hic inde repetitum videtur. Illud tamen Grævius ita explicat : *opera otii* est opus in otio elucubratum, quam bene auctor otio suo sit usus, declarans : *reddere* autem est *edere*. Sensus igitur, quem eruit Grævius, est hic : Cato putat edendum esse opus in otio elucubratum. Esse debet potius hic : simul ut constaret apud te (exstaret apud te a me constituta) ratio otii mei, quum et Cato ille censorius otii sui rationem reddendam putarit. Cato autem dixerat : *Clarorum virorum atque magnorum non minus otii, quam negotii rationem exstare oportet.* Aut si mavis, transpone cum Meinekio verba : *reddendam rationem* putat, apud te *opera* constaret.

6. *Judicium tuum.* Sententia tua eo mihi honorificentior, quo major est tua judicis auctoritas. — *Mihi... habituro.* Quum habiturus sim apud posteros testimonium industriæ, scilicet posteri sint testaturi, me non levem industriam adhibuisse in Trogo excerpto, quum vivo mihi sit verendum, ne quid obtrectatores invidi de hac laude mihi detrahant.

JUSTINI

HISTORIARUM PHILIPPICARUM*

EX TROGO POMPEIO

LIBER PRIMUS.

I. Principio rerum, gentium nationumque imperium penes reges erat: quos ad fastigium hujus majestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos mo-

* Historiarum philippicarum. Hanc ἐπιγραφὴν a Trogo esse vett. librorum consensus arguit. *Philippicas* autem quare inscripserit, diversa est apud doctos sententia. Ego putaverim *Philippicam* historiam, Trogo *Macedonicam* esse, princeps nempe hujus operis argumentum: nam a lib. VII ad XLI, regnum Macedonicum describit: cujus a Philippo, Alexandri patre, dignitas cœpit; ita ut id Græciæ et Asiæ, velut jugum servitutis imponeret, ut extr. lib. VI Justinus. Φιλιππικὰ Theopompi citantur ab Athenæo passim; quibus historiam Philippi libris LVIII complexus est, ut Diodor. refert lib. XI. Quinque autem libros eum inseruisse a Philippi historia alienos, idem Diodorus auctor est. Non est autem adspernanda P. Pithei conjectura, Trogum Pompeium Theopompi æmulatione historias suas, ut Demosthenis exemplo Tullius Orationes suas in Antonium, *Philippicas* inscripsisse. ED.

I. 1-3. *Principio rerum*, etc. Hausit Noster ex Ctesia apud Diodor. 1-28, et quidem de Nino cap. 1-3; de Semiramide cap. 4-20; de Ninya et Sardanapalo cap. 21-28.

1. *Reges.* Qualis enim in singulis familiis paterfamilias fuit, talis in pluribus familiis congregatis rex fuit. Qui quam pusillus ab initio rerum fuerit, ostendunt plura exempla, verbi caussa, Gen. cap. 14, 8-16; Judicea, I, 5-7; Sam. I, 6, 4; atque ipsa Peloponnesus Trojani belli temporibus decem regibus parens auctore Strabone, IX, p. 658. Totum autem hunc locum transcripsit August. IV, 6, Civit. Dei. Compara etiam hæc cum iis, quæ initio Catilin. Sallust. cujus studiosum fuisse Justinum, aut Trogum ipsum, et hic locus et alii satis indicant. Videndi insuper Cic. Leg. II et XI; Offic. XII; Arist. Polit. I; Tacit. Ann. III. ED. — *Provehebat.* Quod quidem vides in Nimrode, Noachi pronepote, quem venato-

2 deratio provehebat. Populus nullis legibus tenebatur:
3 arbitria principum pro legibus erant. Fines imperii
tueri magis, quam proferre, mos erat: intra suam cui-
4 que patriam regna finiebantur. Primus omnium Ninus,
rex Assyriorum, veterem, et quasi avitum gentibus
5 morem, nova imperii cupiditate mutavit. Hic primus
intulit bella finitimis, et rudes adhuc ad resistendum
6 populos, ad Libyæ terminos usque perdomuit. Fuere
quidem temporibus antiquiores, Sesostris Ægypti, et
Scythiæ rex Tanaus: quorum alter in Pontum, alter

rem validum, indeque fortiter suos a feris defendentem, primum regnasse tradit Moses Gen. 10, 8; nec non in Dejoce, quem justitia et prudentia excellentem a Medis suis regem circa A. U. 53 electum fuisse tradit Herodotus, I, 96-98.

2. *Arbitria... erant.* Vides hoc, ut solum hos tres, cæteris missis, proferam, tum in Spartanorum et Atheniensium civitatibus, quibus ante Lycurgum (ante U. C. 130) et Solonem (A. U. 161) paullo post Draconem (A. U. 131) nullæ erant leges certæ (infra II, 7, 3), tum in Romanorum republica, quæ anno demum 300 legum tabulas duodecim accepit, Liv. III, 31-33.

4. *Primus omnium* etc. Auctor noster quum cap. II, 13, Assyrios imperium Asiæ 1300 annis tenuisse dicat, ergo a Nino hoc ad Sardanapalum usque, ultimum Assyriorum, sive Arbacem, primum Medorum regem totidem annos numeret; hic autem Medus adsignandus sit anno mundi 3108, sive an. 122 ante U. C.: Nini initium ponendum est A. M. 1808. Quo fere eodem modo Gattererus a Nimrode initium capiens Assyriorum imperium profert Alexandrum usque, ab an. inde mundi 1800, ad an. usque 3600, per 1800 annorum spatium. Herodotus contra (I, 95) Assyrios Asiæ superioris imperium non nisi per annos 520 tenuisse tradit, ergo ab anno fere 39 post Trojam eversam, ad annum usque U. C. 42. Atque hujus quidem Semiramis non nisi quinque generationibus floruit ante Nitocrin, uxorem Labyneti a Cyro devicti, I, 184-185, (conf. cap. 77); ergo Romulo æqualis. — *Gentibus.* Avitum gentibus, id est, ab avis inde gentibus solitum. Sic firmiter stat *gentibus* a Bongars. e codd lect. *gentilibus* emendatum. Vulgo legitur *gentium.* — Anno mundi 1808.

5. *Ad Libyæ terminos usque.* Hunc verborum ordinem constitui, sequutus Bongars. et Ald. pro vulg. *terminos usque Lybiæ*, omisso *ad.*

6. *Antiquiores.* Sesostrim quidem 1500 annis antiquiorem Nino facit Noster infra II, 3, 18; coll. §. 8. Ætas autem ipsius non minus quam res gestæ fabulis involutæ certo definiri non possunt, quamquam Userus ad A. M. 2594 statuit hunc filium Amenophis illius, qui in mari Rubro periit, ergo A. M. 2513 regnare cœpit; *Reiz* contra ad Herod. II, 102 (ubi ad caput usque 110 de hoc rege auctor exponit) mortuum hunc regem statuit A. M. 2713 (87

usque Ægyptum excessit. Sed longinqua, non finitima 7
bella gerebant; nec imperium sibi, sed populis suis
gloriam quærebant; contentique victoria, imperio
abstinebant. Ninus magnitudinem quæsitæ domina-
tionis continua possessione firmavit. Domitis igitur 8
proximis, quum accessione virium fortior ad alios
transiret, et proxima quæque victoria instrumentum
sequentis esset, totius Orientis populos subegit. Postre- 9
mum illi bellum cum Zoroastre, rege Bactrianorum,
fuit, qui primus dicitur artes magicas invenisse, et
mundi principia, siderumque motus diligentissime
spectasse. Hoc occiso, ipse decessit, relicto impubere 10
adhuc filio Ninya, et uxore Semiramide.

II. Hæc nec immaturo puero ausa tradere imperium, 1
nec ipsa palam tractare, tot ac tantis gentibus vix pa-
tienter uni viro, nedum feminæ parituris, simulat se

ante Trojam eversam). Longe autem seriorem eundem fecit *Marsham* in Can. Chr. pag. 22, sequutus Josephum (Antiq. VIII, 4), eundem hunc statuens cum Sesako, qui, Hierosolymis captis, templum expilavit, Reg. I, 14, 26, anno Rehabeami quinto, id est A. M. 3013 (213 post Trojam captam). Diodorus autem, de hujus rebus gestis exponens (I, 53-58), non magis certam hujus regis ætatem constituit, dicens multis ætatibus post hujus filium regnasse Amasim cap. 60, a cujus successore Mende cap. 61, quinque ætates numerat ad Protea, Trojanis temporibus æqualem cap. 62. Tanaus autem idem forsan est cum Targitao, quem Herod. IV, 5 primum Scytharum regem facit, circa A. M. 2470 (330 ante Trojam eversam). — Anno mundi 300.

7. *Imperio*. Id est imperio (gentium devictarum) abstinebant; gentibus devictis imperare nolebant.

8. *Instrumentum sequentis*. Quum via esset ducens ad sequentem victoriam. Proximos autem illos nominat Diod. (II, 1-2) Babylonios, Armenios, Medos et intra 17 annos omnes Asiæ populos ad Tanaim usque et Nilum. Zoroastrem ipsum adgressus est, Ctesia apud Diodorum (II, 5) referente, 1,910,000 militibus, 10,600 curribus falcatis.

9. *Cum Zaroastre*. De *Zoroastre* adi scriptores historiæ philosophiæ. Diodoro II, 6, dicitur 'Οξυάρτης. Conf. etiam Plin. XXX, 1; August. de Civit. Dei, XXI, 14. ED.

10. *Uxore*. Filiam dicit Conon apud Photium pag. 427; coll. not. ad §. 1. Vid. Plut. in 'Ερωτικῷ. — Annu mundi 1860.

II. 1. *Tractare*. Tacit. Ann. II, 67: *Qui regnum interim tractaret*; et Lucret V, v. 930, *Tractare vitam*. ED. — *Patienter uni viro*. MSS. *parentibus viro*, quod præfert Schefferus.

2 pro uxore Nini, filium; pro femina, puerum. Nam et
statura utrique mediocris, et vox pariter gracilis, et
3 lineamentorum qualitas matri ac filio similis. Igitur
brachia ac crura velamentis, caput tiara tegit; et ne
novo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu
et populum vestiri jubet: quem morem vestis exinde
4 gens universa tenet. Sic primis initiis sexum mentita,
5 puer credita est. Magnas deinde res gessit: quarum
amplitudine ubi invidiam superatam putat, quæ sit
6 fatetur, quemve simulasset. Nec hoc illi dignitatem
regni ademit, sed admirationem auxit; quod mulier
non feminas modo virtute, sed etiam viros anteiret.
7 Hæc Babyloniam condidit, murumque urbis cocto la-
tere circumdedit, arenæ vice, bitumine interstrato: quæ
materia in illis locis passim e terra exæstuat. Multa et
8 alia præclara hujus reginæ fuere. Siquidem non con-
tenta adquisitos a viro regni terminos tueri, Æthiopiam
9 quoque imperio adjecit. Sed et Indiæ bellum intulit;
quo præter illam et Alexandrum Magnum nemo intra-
10 vit. Ad postremum quum concubitum filii petisset, ab
eodem interfecta est, duo et quadraginta annos post

4. *Puer [esse] credita est. Esse* quod deest in quinque edd. antiquioribus, et recep. Gron., omisi ob ingratum, quem efficit sonum: *esse* credita *est*.

7. *Hæc Babyloniam condidit*. De vero hujus urbis conditore conf. Strab. XVI, init.; Diodor. II, 17; Curt. V, 1, 42; Euseb. in Princ. Chronic.; Hieronym. in cap. 11 Oseæ; Herodot. I, 184; Ammian. Marcell. XXIII, 20. ED. — Babylonem ipsam, ejusque magnitudinem, pulchritudinem, fossam, murum, domos, vias, templa adcuratius describit Herodot. I, 178-187; coll. Diodor. II, 7-10. Ninum autem, sive Niniven Ninus antea jam condiderat, Diodor. II, 3, extr.

8. *Æthiopiam*. Conf. Diodor. II, 14, qui idem satis fuse de hac terra exponit III, 1-48.

9. *Indiæ*. Adi ind. et conf. Diod. II, 16-19, qui idem de hac terra exponit II, 35-42. — *Quo præter... intravit*. Expeditionem Herculis et Bacchi hic Noster oblitus est. ED.

10. *Quum concubitum filii* etc. Conone autem apud Photium pag. 427 referente quum clam et ignara coiisset cum illo, re cognita nupsit ei: et ex eo inde tempore licitum Medis ac Persis fuisse ille addit commisceri matribus. Aliter Diodorus II, 20. — Anno mundi 1902.

Ninum regno potita. Filius ejus Ninyas contentus ela- 11
borato a parentibus imperio, belli studia deposuit, et veluti sexum cum matre mutasset, raro a viris visus,
in feminarum turba consenuit. Posteri quoque ejus 12
id exemplum sequuti, responsa gentibus per internuntios dabant. Imperium Assyrii, qui postea Syri dicti 13
sunt, mille trecentis annis tenuere.

12. *Posteri*. Quorum nomina hæc:

1. Ninus regnavit	52.
2. Semiramis	42.
3. Ninyas	38.
4. Arius	30.
5. Aralius	40.
6. Bal-æus	30.
7. Armamithres	38.
8. Bel-ochus	35.
9. Bal-æus	52.
10. Altadas	32.
11. Mamythus	30.
12. Manchaleus	30.
13. Sphærus	20.
14. Mamylus	30.
15. Sparæthus	40.
16. Ascatades	40.
17. Amyntes	45.
18. Bel-ochus	25.
19. Bellepares	30.
20. Lamprides	32.
21. Sosares	20.
22. Lampares	30.
23. Panyas	45.
24. Sosarmus	19.
25. Mithræus	27.
26. Tautanes	32.
27. Teutæus	40.
28. Thineus	30.
29. Dercylus	40.
30. Eupales	38.
31. Laosthenes	45.
32. Pertiades	30.
33. Ophratæus	20.
34. Ophratenes	50.
35. Ocrazapes	42.
36. Sardanapalus	20.

Quorum regum nomina nobis ex Cast. Rhodio servavit Eusebius, simul computans quot annos quisque regnaverit, ita ut ex horum omnium regnorum computatione, appareat, Assyriorum principum 1239 annos imperium duravisse; aut, ut ipse vult, 1240, quum Noster numerum ponat rotundum annorum 1300: Ctesias autem apud Diodor. II, 21, non nisi 30 reges numerans regnum durasse tradit annos 1360; Velleius Paterculus (I, 6, 1-2) alios auctores sequutus 33 reges numerans regni finem statuit anno ante U. C. 88, id est A. M. 3142. Idem quum regnum annos 1070 stetisse tradat, hujus initium adsignandum statuit A. M. 2071: Xanthus denique apud Laert. præf. §. 2, quum Zoroastrem (cap. 1, 9) 600 annis ante Xerxem vixisse referat, Ninum huic æqualem apponit anno M. 2900. Herodotus contra (I, 95) Assyrios Asiæ superioris imperium ad Medorum defectionem per annos 520 tenuisse tradit; ergo ab A. M. 2839 (sive 39 annis post Trojam eversam) ad annum usque 3272 (42 A. U.): annis autem aliquot præterlapsis regem a Medis electum fuisse Dejocem, prudentia et justitia illustrem. Conf. not. ad cap. 1, 4 et 6, 15. Cætera autem vide ad cap. 4, 1.

13. *Assyrii... Syri*. Utrosque et a Græcis et a Latinis sæpius confundi,

1 III. Postremus apud eos regnavit Sardanapalus, vir
2 muliere corruptior. Ad hunc videndum (quod nemini
ante eum permissum fuerat) præfectus ipsius, Medis
præpositus, nomine Arbaces, quum admitti magna
ambitione ægre obtinuisset, invenit eum inter scorto-
rum greges purpuram colo nentem, et muliebri ha-
bitu, quum mollitia corporis, et oculorum lascivia
omnes feminas anteiret, pensa inter virgines partien-
3 tem. Quibus visis, indignatus tali feminæ tantum viro-
rum subjectum, tractantique lanam ferrum et arma
portantes parere; progressus ad socios, quid viderit
refert : negat, « Se ei parere posse, qui se feminam
4 malit esse, quam virum. » Fit igitur conjuratio : bel-
lum Sardanapalo infertur : quo ille audito, non, ut vir,
regnum defensurus, sed, ut metu mortis mulieres so-
5 lent, primo latebras circumspicit : mox deinde cum
6 paucis et incompositis in bellum progreditur. Victus
in regiam se recipit; ubi exstructa incensaque pyra et
se et divitias suas in incendium mittit, hoc solo imi-
7 tatus virum. Post hunc, rex constituitur interfector ejus
Arbaces, qui præfectus Medorum fuerat. Is imperium
ab Assyriis ad Medos transfert.

multi ostenderunt; *Syrorum* autem nomen longe recentius esse, innuit ipsum nomen huic genti inditum, quum Homero (Il. II, 783) nominentur *Arimi*, a metropoli Tyro, Hebræis *Zur*, Occidentalibus pronuntiata tum *Zuros*, *Syros*, tum *Turos*, *Tyros*. *Assyrii* autem a Mose appellantur filii (posteri) *Assuris*, qui Semi filius est, Noachi nepos. Hac de re conf. Gen. cap. 10, 22. — Anno mundi 1808-3108.

III. 1. *Sardanapalus*. Exstat in hunc virum effeminatum mollitieque diffluentem nobile Chœrili epigramma in Anthol. Gr. vol. I, p. 117 ed. Jacobs; coll. Cic. Tusc. V, 35; Fin. II, 32, 7; Plutarch. de Fort. Alex. cap. 3. Conf. et Diodor. II, 23. — Anno ante Urbem conditam 122.

2. *Arbaces*. Hoc nomen recepi e margine edit. Colón., quum ita hoc nomen a cæteris scriptoribus scribatur, in MSS. autem et edd. varietur *Arbacus*, *Arbatus*, *Arbactus*.

6. *Ubi*. Pro *et* dedi cum Grævio et Abrahamo Gronovio ex tribus codicibus et editione Juntina. — *Ingenti*. Ita pro *incensa* MSS. et editiones plures : quod etiam apud Diodor. II, 27 : πυρὰν κατασκευάσας ὑπερμεγέθη. ED.

IV. Post multos deinde reges, per ordinem succes- 1
sionis, regnum ad Astyagen descendit. Hic per som- 2
num vidit ex naturalibus filiæ, quam unicam habebat,
vitem enatam, cujus palmite omnis Asia obumbrare-
tur. Consulti harioli, « Ex eadem filia nepotem ei fu- 3
turum, cujus magnitudo prænuntietur, regnique ei
amissionem portendi, » responderunt. Hoc responso 4
exterritus, neque claro viro, neque civi filiam, ne pa-
terna maternaque nobilitas nepoti animos extolleret,
sed ex gente, obscura tunc temporis, Persarum, Cam-
bysi, mediocri viro, in matrimonium tradidit. Ac ne 5
sic quidem somnii metu deposito, gravidam ad se filiam
arcessit, ut sub avi potissimum oculis partus necare-

IV. 1. *Per ordinem successionis.* *Dejoci* autem illi (vid. ad cap. 2, 12) Herodoto auctore, (I, 95-129) successit, quum ille annos 53 regnasset ab anno inde U. C. 53-106. — 2. Filius *Phraortes* regnavit an. 22; ergo A. U. 106-128. — 3. Filius *Cyaxares* regnavit an. 40; ergo A. U. 128-168. — 4. Filius *Astyages* regnavit an. 35; ergo A. U. 168-203. Stetit igitur Medorum regnum per an. 150; aut, ut ille vult cap. 130, per an. 128; quibus si addideris annos Scytharum imperii 28, cap. 106, efficiuntur an. 156. At non eadem est omnium scriptorum hac de re sententia; et Ctesias, quem secutus est Diodorus (II, 24-28; 32-34) de Medorum rebus, *Arbaci* (A. M. 3108, cap. 2, 13) successisse tradit post regnum 28 an. *Mandaucen* qui regn. 50 an.; *Sosarmum* qui regn. 30; *Artycam* qui regn. 50; *Arbianen* qui regn. 22; *Artæam* qui regn. 40; *Artynen* qui regn. 22; *Astibaram* qui regnavit 40, cujus filius fuerit *Aspadas* seu Astyages. Annorum autem summa, inde ab Arbaee ad hunc usque 286 superiori illi anno 3108 addita, efficit annum 3394, sive A. U. 164, quo Astyages regnare cœperit. Conf. infra cap. 6, 15. — Anno Urbis 166.

2. *Hic per somnum* etc. Confer Herodotum latius suo more de his exponentem I, 107-129, cum Nostri breviore narratione cap. 4-6. Filiam idem ille nominat Mandanen I, 107. Ctesias negat ex Astyagis sanguine fuisse Cyrum. ED.

4. *Mediocri viro.* Mediocris conditionis viro, aut potius Persarum præfecto, sive satrapæ (cap. 3, 2), quum esset e gente Achæmenidarum (Herodot. I, 125). Atque hic ipse auctor nominat hunc virum bonæ familiæ, morum autem lenium I, 107: unde apud Diodor. IX, fragm. 14, format filium *βασιλίκως παιδεύων*. Cambysen vilioris sortis virum fuisse, quam vulgo existimatur, Dio Chrysost. si ei credendum, ostendit; qui Orat. XV, de servitute, tradit, Cyrum ante regnum fuisse hominem, qui candelis faciendis quæstum fecerit. Alii tamen historici Cambysen fuisse ex genere Achæmenidarum tradunt, nobilis-

6 tur. Natus infans datur occidendus Harpago, regis
7 amico et arcanorum participi. Is veritus, si ad filiam,
mortuo rege, venisset imperium, quia nullum Astyages
virilis sexus genuerat, ne illa necati infantis ultionem,
quam a patre non potuisset, a ministro exigeret, pas-
8 tori regii pecoris puerum exponendum tradit. Forte
9 eodem tempore et ipsi pastori filius natus erat. Ejus
igitur uxor, audita regii infantis expositione, summis
precibus rogat, « Sibi adferri ostendique puerum. »
10 Cujus precibus fatigatus pastor, reversus in silvam,
invenit juxta infantem canem feminam, parvulo ubera
11 præbentem, et a feris alitibusque defendentem. Mo-
tus et ipse misericordia, qua motam etiam canem vi-
derat, puerum defert ad stabula, eadem cane anxie
12 prosequente. Quem ubi in manus mulier accepit,
veluti ad notam puer adlusit: tantusque in illo vigor,
et dulcis quidam blandientis risus apparuit, ut pasto-
rem uxor ultro rogaret, « [Quo suum partum pro illo
exponeret] permitteret [que] sibi, sive fortunæ ipsius,
13 sive spei suæ puerum nutrire. » Atque ita permutata
sorte parvulorum, hic pro filio pastoris educatur; ille
14 pro nepote regis exponitur. Nutrici Spaco postea
nomen fuit, quia canem Persæ sic vocant.

simæ apud Persas familiæ, ut auctor est et Herodotus loco laudato. ED. — Anno Urbis 181.

6. — Anno Urbis 182.

12. *Ut pastorem uxor* etc. Uxor rogat pastorem, *ut* sibi *uxori* permittat puerum nutrire, sive fortunæ ipsius pueri, id est in spem fortunæ hujus pueri, quum, quod postea vere evenit, speraret, fore, ut ad fortunam, qua natus erat, regiam revocaretur; *sive spei suæ*, sive quod ipsa sperare posset optima quævis a puero ad fastigium regium evecto. Quæ autem uncis includuntur quidam omittenda putant, quod non verisimile sit, matrem, suum pro alieno partum exposuisse. Herodotus ait infantem pastoris, mortuum fuisse natum; unde in solatium orbitatis permutatio ista vivi pueri loco defuncti non temere expetebatur. ED.

14. *Persæ*. Aut potius Medi. Herodotus enim I, 110, tradit huic mulieri nomen fuisse Spaco *κατὰ τὴν Μηδικὴν γλῶσσαν· τὴν γὰρ κύνα καλέουσι Μῆδοι σπάκα*, Confer ibidem cap. 122.

V. Puer deinde quum inter pastores esset, Cyri 1
nomen accepit. Mox rex inter ludentes sorte delectus, 2
quum per lasciviam contumaces flagellis cecidisset,
a parentibus puerorum querela est regi delata, indig-
nantibus, a servo regio ingenuos homines servilibus
verberibus adfectos. Ille arcessito puero et interrogato, 3
quum, nihil mutato vultu, « Fecisse se ut regem, » res-
pondisset, admiratus constantiam, in memoriam som-
nii responsique revocatur. Atque ita quum et vultus 4
similitudo, et expositionis tempora, et pastoris con-
fessio convenirent, nepotem agnovit. Et quoniam 5
defunctus sibi somnio videretur, agitato inter pastores
regno, animum minacem duntaxat in illo fregit. Cæ- 6
terum Harpago amico suo infestus, in ultionem servati
nepotis, filium ejus interfecit, epulandumque patri
tradidit. Sed Harpagus ad præsens tempus dissimulato 7
dolore, odium regis in vindictæ occasionem distulit.
Interjecto deinde tempore, quum adolevisset Cyrus, 8
dolore orbitatis admonitus, scribit ei : « Ut ablegatus
in Persas ab avo fuerit : ut occidi eum parvulum avus
jusserit : ut beneficio suo servatus sit : ut regem offen-
derit : ut filium amiserit. » Hortatur, « Exercitum pa- 9
ret, et pronam ad regnum viam ingrediatur, » Medo-

V. 1. *Esset.* Edd. Ald. et Junt. addunt *imperiosus*, et MS. Angl. *quum imperio usus esset*, bene, ut caussa reddatur, cur *Cyri* nomen acceperit, quum aliod antea nomen gessisset, referente Herodoto I, 113. Kores aotem, notante Ctesia atque etiam Plutarcho, Persis est Sol.

3. — Anno Urbis 192.

5. *Defunctus.* Conf. ind. in *defungi*, et de re Herodot. I, 120, obi Magi regem booo animo esse jobeot et securum de Cyro, qui inter pastores *regnarit*, scilicet regnom agitarit, regnom egerit, rex fuerit. — *Animum... fregit.* Id est explicante Grævio, iram soam minacem si non erga Harpagum, saltem erga Cyrum compressit; ant potius, explicante Dresigio, fregit tantummodo animom minacem io Cyro, id est Cyri; coll. Herodot. I, 115.

7. *Odium regis.* Quæ quidem constructio Græcismus est, pro *odium in regem.* ED.

8. *Ablegatus.* Edd. antiquiores *relegatus*, probante Vorstio, bene. Confer enim Cæs. Bell. Gall. V, 30, 3; Cic. Off. III, 31, 6; Ovid. Trist. II, 137.

10 rum transitionem pollicitus. Epistola, quia palam ferri
nequibat, regis custodibus omnes aditus obsidentibus,
exenterato lepori inseritur, lepusque in Persas Cyro
ferendus fido servo traditur: addita retia, ut sub specie
venationis dolus lateret.

1 VI. Lectis ille epistolis, eadem somnio adgredi jussus
est: sed præmonitus, ut, quem primum postera die
2 obvium habuisset, socium cœptis adsumeret. Igitur,
antelucano tempore, ruri iter ingressus obvium habuit
servum de ergastulo cujusdam Medi, nomine
3 Sœbarem. Hujus requisita origine, ut in Persis genitum
audivit, demtis compedibus, adsumptoque comite,
4 Persepolim regreditur. Ibi convocato populo, jubet
omnes præsto cum securibus esse, et silvam viæ cir-
5 cumdatam excidere. Quod quum strenue fecissent,
6 eosdem postera die adparatis epulis invitat. Deinde,
quum alacriores ipso convivio factos videret, rogat,
« Si conditio proponatur, utrius vitæ sortem legant,
hesternine laboris, an præsentium epularum? præsentium,
» ut acclamavere omnes, ait: « Hesterno
similem labori omnem vitam acturos, quoad Medis
7 pareant; se sequutos, hodiernis epulis. » Lætis omni-
8 bus, Medis bellum infert. Astyages meriti sui in Harpagum
oblitus, summam belli eidem committit: qui

10. *Exenterato lepori*. Maluit Bongars. *exinterato*. Placet magis vulgata lectio: est enim sine dubio *exenterare* a græco Ἐξεντερίζειν formatum, et apud Plautum invenitur, Epid. II, 2 et V. 2; Hygin. fab. XXX; Plin. Hist. Natur. XXX, 5. De re autem confer Herodotum I, 123; Polyæn. VII; Frontin. III, 13, 3; et alibi. ED.

VI 2. *Sœbarem*. Sic dedi cum Is. Vossio, pro vulg. *Sybarem*, quum sit græce Οἰβάρης Ctesiæ apud Phot. pag. 107, et hujusmodi nominibus præponi soleat litera scilicet, ut Androcottus, Merdis, Osthanes, quos alii pronuntiant Sandrocottus, Smerdis, Sosthanes.

4. *Ibi convocato* etc. Confer Herodot. I, 125 et seq., Polyæn. VIII; Frontin. I, 2, 19. — *Adesse*. *Ad præ esse* ex suis MSS. restituerat Mod. et simplex composito rectius videtur, quia *præsto* antecedit. ED.

8. *Meriti sui* (cap. 5, 6-7) *oblitus... committit*. Quod ut minime est verisimile, ita Herodotus quoque refert I, 127.

exercitum acceptum statim Cyro per deditionem tra-
didit, regisque crudelitatem perfidia defectionis ulcis-
citur. Quod ubi Astyages audivit, contractis undique 9
auxiliis, ipse in Persas proficiscitur; et repetito ala-
crius certamine, pugnantibus suis, partem exercitus a
tergo ponit, et tergiversantes ferro agi in hostes jubet;
ac denuntiat suis : « Ni vincerent, non minus fortes
etiam post terga inventuros, quam a frontibus viros :
proinde videant, fugientibus hæc, an illa pugnantibus
acies rumpenda sit. » Ingens, post necessitatem pug- 10
nandi, animus exercitui et vis accessit. Pulsa itaque 11
quum Persarum acies paullatim cederet, matres et
uxores eorum obviam occurrunt : orant, in prælium
revertantur. Cunctantibus, sublata veste, obscœna cor- 12
poris ostendunt, rogantes, « Num in uteros matrum
vel uxorum velint refugere. » Hac repressi castigatione, 13
in prælium redeunt : et facta impressione, quos fugie-
bant, fugere compellunt. In eo prælio Astyages capi- 14
tur : cui Cyrus nihil aliud quam regnum abstulit;
nepotemque in illo magis, quam victorem egit : cum-
que maximæ genti Hyrcanorum præposuit : nam in
Medos reverti ipse noluit. Hic finis Medorum imperii 15
fuit. Regnaverunt annos CCCL.

VII. Initio regni, Cyrus Sœbarem cœptorum so- 1

9. *Quod ubi* etc. Conf. Diodor. IX, fragm. 15, qui paullo aliter rem istam narrat.

11. *Matres et uxores* etc. Refert et Plutarchus, de Virtute Mulierum, cap. 9; nec absimilia de Germanis Tacit. cap. 8, pr. xn.

15. *Annos* 350. Astyages quum regnare desierit A. U. 203 (not. ad cap. 4, 1); revolvimur ad annum 147 ante U. C., quo regnare cœperint Medi, quum ex Ctesiæ, quem Diodorus sequitur, rationibus (vid. not. ad cap. 4, 1) ab Arbace inde ad Astyagem usque non nisi 321 anni sint præterlapsi : ut his detractis ab A. U. 203 revolvaris ad annum ante U. C. 118, aut, ut Gatterus in Tabulis chronologicis cum Petaviu computat, annum 122, sive annum mundi 3108. Cæterum de *Medis*, quorum non nisi primum et ultimum regem Noster attigit, egerunt fusius Herodot. I, 95-129, et Diodor. II, 24-34.

VII. 1. — Anno Urbis 203.

cium, quem juxta nocturnum visum ergastulo liberaverat, comitemque in omnibus rebus habuerat, Persis præposuit, sororemque suam ei in matrimonium dedit.
2 Sed civitates, quæ Medorum tributariæ fuerant, mutato imperio, etiam conditionem suam mutatam arbitrantes, a Cyro defecerunt: quæ res multorum bello-
3 rum Cyro caussa et origo fuit. Domitis demum plerisque, quum adversus Babylonios bellum gereret, Babyloniis rex Lydorum Crœsus, cujus opes et divitiæ insignes ea tempestate erant, in auxilium venit; vic-
4 tusque jam ac desolatus, in regnum refugit. Cyrus quoque post victoriam, compositis in Babylonia rebus,
5 bellum transfert in Lydiam. Ibi, fortuna prioris prælii perculsum jam Crœsi exercitum nullo negotio fundit;
6 Crœsus ipse capitur. Sed quanto bellum minoris
7 periculi, tanto et mitior victoria fuit. Crœso et vita, et patrimonii partes, et urbs Barene concessa sunt: in qua etsi non regiam vitam, proximam tamen majestati
8 regiæ degeret. Hæc clementia non minus victori, quam
9 victo utilis fuit. Quippe ex universa Græcia, cognito, quod illatum Crœso bellum esset, auxilia velut ad commune exstinguendum incendium confluebant.
10 Tantus Crœsi amor apud omnes urbes erat: passurus-

3. *Babylonios.* De Babylone (I, 2, 7) ut fusius egit Herodotus, sic idem Babylonios ipsos eorumque regnum, quod Noster attingit, adcuratius describit I, 192-200, sicuti de urbis obsidione agit I, 188-191. — *Opes et divitiæ.* De quibus multus est Herodotus I, 29-33, et cap. 50, 51, 54, 92. De bello Persico ejusque caussis vid. I, 73-76, nec non 77-85. — *Desolatus.* Sic unus MS.; alibi *desolutus;* cæteri codd. *de se solicitus.* — Anno Urbis 223.

4. *Cyrus quoque post victoriam* etc. Herodotus post Lydium demum bellum susceptum tradit Babylonicum, I, 177 et 83.

5. *Nullo negotio.* Contra autem confer Herodotum I, 75, 78-83.

6. — Anno Urbis 215.

7. *Barene.* Hoc nomen pro vulg. *Barce* (quæ fuit urbs Cyrenes, quo Cyri arma nondum penetrarant) recep. ex conjectura Bongarsii et ex Ctesiæ auctoritate, qui hanc ipsam urbem prope Ecbatana sitam Crœso donatam tradit.

9. *Ex universa Græcia.* Falso. Crœsus quum ab oraculo admonitus Atheniensium et Lacedæmoniorum

que Cyrus grave bellum Græciæ fuit, si quid in Crœ-
sum crudelius consuluisset. Interjecto deinde tem- 11
pore, occupato in aliis bellis Cyro, Lydi rebellavere.
Quibus iterum victis arma et equi ademti; jussique 12
cauponias et ludicras artes, et lenocinia exercere. Et 13
sic, gens industria quondam potens, et manu strenua,
effeminata mollitie luxuriaque, virtutem pristinam
perdidit; et quos ante Cyrum invictos bella præstite-
rant, in luxuriam lapsos otium ac desidia superavit.
Fuere Lydis multi ante Crœsum reges, variis casibus 14
memorabiles: nullus tamen fortuna Candauli compa-
randus. Hic uxorem, quam propter formæ pulchritu- 15
dinem deperibat, prædicare omnibus solebat, non
contentus voluptatum suarum tacita conscientia, nisi
etiam matrimonii reticenda publicaret: prorsus quasi 16
silentium damnum pulchritudinis esset. Ad postre- 17
mum ut adfirmationi suæ fidem faceret, nudam sodali
suo Gygi ostendit. Quo facto, et amicum in adulterium 18
uxoris solicitatum, hostem sibi fecit: et uxorem, veluti
tradito alii amore, a se alienavit. Namque brevi post 19
tempore, cædes Candaulis nuptiarum præmium fuit;
et uxor mariti sanguine dotata, regnum viri et se
pariter adultero tradidit.

amicitiam petiisset, ex his Lacedæmonii in eo erant, ut auxilium regi ferrent. In itinere autem quum regem jam victum accepissent, redierunt in patriam, Herodot. I, 53, 69-70, 77, 82. Conf. et cap. 152-153.

11-13. *Interjecto deinde* etc. Conf. Herodot. I, 155, et Polyæn. Stratag. VII. Ad hunc modum Xerxes domuit Babylonios, apud Plutarch. Apophtegm. Reg. cap. 6; Aristodemus Cumanos, apud Dionysium Halic. VII, 8; Sesostris Ægyptios, referente scholiaste Sophoclis. Romanos voluptatibus plus adversus subjectos quam armis valuisse Tacit. adfirmat, Hist. IV, 64, et est exemplum in Agric. cap. 21. ED.

14. *Fuere Lydis* etc. Conf. de his Herodot. I, 6-25, et a cap. 26, inde de Crœso; de Candaule, cap. 8-13; coll. Ciceronis narratione, Off. III, 9, de Gygis annulo ex Platone de Rep. II, pag. 211, edd. Bip. hausta. — *Fortuna.* Fortuna (abl.) *comparandus Candauli* (dat.), scil. cum Candaule: aut, si mavis lege cum aliis codd. *fortunæ Candaulis.*

19. *Mariti sanguine dotata.* Sic etiam Virgilius:

1 VIII. Cyrus, subacta Asia, et universo Oriente in
2 potestatem redacto, Scythis bellum infert. Erat eo
tempore Scytharum regina Tomyris, quæ non mulie-
briter adventu hostium territa, quum prohibere eos
transitu Araxis fluminis posset, transire permisit, et
sibi faciliorem pugnam intra regni sui terminos rata,
3 et hostibus objectu fluminis fugam difficiliorem. Ita-
que Cyrus, trajectis copiis, quum aliquantisper in Scy-
4 thiam processisset, castra metatus est. Dein postera
die, quum simulato metu, quasi refugiens, castra dese-
ruisset, vini adfatim, et ea, quæ epulis erant neces-
5 saria, reliquit. Quod quum nuntiatum reginæ esset,
adolescentulum filium ad insequendum eum cum
6 tertia parte copiarum mittit. Quum ventum ad Cyri
castra esset, ignarus rei militaris adolescens, veluti ad
epulas, non ad prælium venisset, omissis hostibus,
7 insuetos barbaros vino se onerare patitur: priusque
8 Scythæ ebrietate, quam bello vincuntur. Nam cognitis
his, Cyrus reversus per noctem, securos opprimit,
9 omnesque Scythas cum reginæ filio interficit. Amisso
tanto exercitu, et, quod gravius dolet, unico filio,
Tomyris orbitatis dolorem non in lacrymas effudit,

Sanguine Trojano et Rutulo dotabere, virgo.
Æneid., VII, 316. ED.

— *Præmium*. Aut potius *pretium*, ut correx. Gronov. avus. Cædes enim non præmium nuptiarum fuit, sed nuptiæ præmium cædis. Cædes autem recte dicitur pretium nuptiarum, sive id, quo emit quasi et consequutus est nuptias reginæ Gyges. Quo eodem modo apud Flor. III, 1, 16, Bocchus, Jugurthæ proditor, hunc facit pretium fœderis, id est hujus traditione sibi conciliat fœdus. — Anno Urbis 37-75.

VIII. 1. *Subacta Asia*. Subacto regno *Lydorum*, quod totam fere Asiam minorem complectebatur (Herodot. I, 28); *Medorum* porro et *Babyloniorum* (cap. 6, 15; cap. 7, 3). — *Scythis*. Massagetis, Scythicæ genti, Herodot. I, 201-216.

6. *Insuetos barbaros etc*. Barbaros vino insuetos, vino non adsuetos, patitur se onerare vino.

8. *Securos*. Ita recep. ex edd. Ald., Colon. pro *saucios* inepto, pro quo Freinsh. acute conjiciebat *sopitos*: quamquam et infra XXIV, 8, 1 est *mero saucius*.

9. *Dolorem... effudit*. Dolorem, quem uno filio orbata sentiebat, non effudit in lacrymas, scilicet

sed in ultionis solatia intendit; hostesque recenti victoria exsultantes, pari insidiarum fraude circumvenit.
Quippe, simulata diffidentia propter vulnus acceptum, 10
refugiens, Cyrum ad angustias usque produxit. Ibi 11
compositis in montibus insidiis, ducenta millia Persarum cum ipso rege trucidavit. In qua victoria etiam 12
illud memorabile fuit, quod ne nuntius quidem tantæ
cladis superfuit. Caput Cyri amputatum, in utrem 13
humano sanguine repletum conjici regina jubet, cum
hac exprobratione crudelitatis : « Satia te, inquit, san-
« guine, quem sitisti, cujusque insatiabilis semper
« fuisti. » Cyrus regnavit annos xxx, non initio tantum 14
regni, sed continuo totius temporis successu, admirabiliter insignis.

IX. Huic successit filius Cambyses, qui imperio pa- 1
tris Ægyptum adjecit : sed offensus superstitionibus 2
Ægyptiorum, Apis, cæterorumque deorum ædes dirui
jubet. Ad Hammonis quoque nobilissimum templum 3
expugnandum exercitum mittit : qui tempestatibus et
arenarum molibus oppressus, interiit. Post hæc per 4
quietem vidit fratrem suum Smerdim regnaturum.

non studuit lenire flendo, sed intendit dolorem in ultionis solatia, id est acrius doluit, ut solatia ex ultione caperet, sive dolorem convertit in iram gravi vindicta exstinguendam. Quæ quidem sententia quum Freinshemio balbutire videretur, intelligi voluit *animum*, ita, ut intendere animum in ultionis solatia sit cogitare acrius de solatio doloris ex ultione capiendo.

10. *Produxit.* Porro duxit, passa est eum procedere (§. 3). Conf. Cæs. Bell. Civ. III, 100, 2. Cornel. XXIII, 5, 3, ubi, ut hoc loco hoc verbum commutatum est cum minus aptiore *perducere*.

13. *In utrem... jubet.* Sic et Herodot. I, 214; Diodor. autem rem aliter narrans II, 44 : *Cyrum in acie captum cruci adfixit.*

14. *Annos triginta.* Herodot. I, 214, autem habet 29.

IX. 1. *Cambyses.* Hoc loc. §. 1-8. Conf. Herodot. II, 1, nec non III, 1-38 et 61-66. — *Offensus superstitionibus.* Herodot. III, 27-29 et 37-38. — Anno Urbis 225.

2. *Apis.* De quo Herodot. III, 28; coll. II, 153; Diod. I, 21 et 85.

3. *Hammonis.* Cujus templum fuit in Marmarica, quæ hodie est Barca deserta, Herodot. II, 55 et 18; Paus. IV, 23, 5; III, 18, 2; IX,

5 Quo somnio exterritus, non dubitavit post sacrilegia
6 etiam parricidium facere. Erat enim difficile, ut parceret suis, qui, cum contemtu religionis, grassatus
7 etiam adversus deos fuerat! Ad hoc tam crudele ministerium, Magum quendam ex amicis delegit, nomine
8 Prexaspem. Interim ipse, gladio sua sponte evaginato, in femore graviter vulneratus, occubuit; pœnasque luit, seu imperati parricidii, seu sacrilegii perpetrati.
9 Quo nuntio accepto, Magus ante famam amissi regis occupat facinus, prostratoque Smerde, cui regnum
10 debebatur, fratrem suum subjecit Orospasten. Erat enim et oris et corporis lineamentis persimilis; ac nemine subesse dolum arbitrante, pro Smerde rex
11 Orospasta constituitur. Quæ res eo occultior fuit, quod apud Persas persona regis sub specie majestatis occu-
12 litur. Igitur Magi, ad favorem populi conciliandum, tributa et militiæ vacationem in triennium remittunt;

16, 1. — *Interiit*. Herod. III, 26.

4. *Smerdim*. Herod. III, 30, qui Ctesiæ est Tanyoxarces; Xenoph. (Cyr. VIII, 7, 11) Tanaoxares.

7. *Prexaspem*. Recepi ex Ald., Junt. et Col. et Herodot. III, 30 pro *Cometem*, *Comarim*, quod est in cæteris.

8. *Interim ipse* etc. Conf. Herod. III, 61-66, quum regnasset 7 annos, 5 menses, cap. 66 et 67. — *In femore*. MSS. Bong. quum habeant *in femur*, omisso *in* mavult legere *femur* Gronov. avus græca constructione, quæ et apud alios obvia est, v. c. Liv. XXI, 7, 10, *femur tragula ictus;* Sueton. Aug. XX, 2, *genu dextrum lapide ictus;* Valer. Max. III, 2, 23; *femur tragula trajectus*, *ora saxi pondere contusus;* Cæs. Bell. Afr. 78, 8, *caput pilo ictus;* et cap. 85, 8, *brachium gladio percussus*. — Anno Urbis 232.

9. *Magus*. Non ille, quem §. 7 nominaverat, ut auctor innuere videtur, sed *Smerdis* quidam Magus, Smerdi interfecto (§. 7) simillimus, adjutus a fratre *Patizithe* Mago, Herodot. III, 61. Nostro autem alios auctores sequuto idem est ille *Prexaspes*, cujus fratrem nominat *Oropasten*, pro quo edd. Bong. et Col. substituunt *Smerdim*.

10. *Et oris*. Grævius mavult *ei;* Gronovius contra avus legebat: *erant... persimiles*.

11. *Occulitur*. Respic. I, 2, 12, et conf. Xenoph. Cyr. VII, 5, 37.

12. *Tributa*. Aptius, quod Faber conjicit et Boxhorn. probat, *tributi*, ut sit vacatio tributi et militiæ; ut non opus sit cum Gronovio avo corrigere: *tributa et militiam vacatione*. Comparat autem hoc loco *remittere militiam;* et infra XI, 1, 3, *remittere expeditionem;* et XXXVIII,

ut regnum, quod fraude quæsierant, indulgentia et 13
largitionibus confirmarent. Quæ res suspecta primo 14
Otani viro nobili, et in conjecturis sagacissimo, fuit.
Itaque per internuntios quærit de filia, quæ inter re- 15
gias pellices erat, an Cyri regius filius rex esset. Illa, 16
« Nec se ipsam scire, aït, nec de alia posse cognoscere :
quia singulæ separatim recludantur. » Tum pertractare 17
dormienti caput jubet; nam Mago Cambyses aures
utrasque præciderat. Factus deinde per filiam certior, 18
sine auribus regem esse, optimatibus Persarum rem
indicat, et in cædem falsi regis impulsos, sacramenti
religione obstringit. Septem tantum conscii fuere hujus 19
conjurationis : qui ex continenti, ne, dato in pœni-
tentiam spatio, res per quenquam narraretur, occul-
tato sub veste ferro, ad regiam pergunt. Ibi obviis 20
interfectis, ad Magos perveniunt : quibus ne ipsis qui-
dem animus in auxilium sui defuit : siquidem stricto 21
ferro duos de conjuratis interficiunt. Ipsi tamen corri- 22
piuntur a pluribus : quorum alterum Gobryas medium
amplexus, cunctantibus sociis, ne ipsum pro Mago
transfoderent, quia res obscuro loco gerebatur, vel
per suum corpus adigi Mago ferrum jussit : fortuna 23
tamen ita regente, illo incolumi Magus interficitur.

X. Occisis magis, magna quidem gloria recepti regni 1
principium fuit; sed multo major in eo, quod, quum

3, 9, *debita remittere*, sicuti apud Liv. XL, 28, 9, *remittere delectum*. Lectio autem aliquot codicum *permittunt* Grævio et Scheffero probata mihi quidem non probatur.

13. *Indulgentia et largitionibus*. Gronov. avus mavult ex codd. Bongars. *indulgentiæ largitionibus*, et comparat XVI, 1, 15, *stirps sobolis*.

14. *Quæ res* etc. Hac de re autem confer Herodotum III, 67-87, unde recep. *Otani* cum edit. Ald. et Col. pro *Ostani*.

19. *Septem*. Quos nominat Herodotus III, 70.

23. *Ita*. Non inepte edit. Rom, et unus MS. *ictum*, quod conjecerat Bongars. — *Interficitur*. post septem menses, Herodot. III, 67.

X. 1. *Principium*. Id est principum, septem illorum conjuratorum. — Anno Urbis 233.

2 de regno ambigerent, concordare potuerunt. Erant
enim virtute et nobilitate ita pares, ut difficilem ex his
3 populo electionem æqualitas faceret. Ipsi igitur viam
invenerunt, qua de se judicium religioni et fortunæ
4 committerent. Pactique inter se sunt, ut die statuta
omnes equos ante regiam primo mane perducerent :
et cujus equus inter Solis ortum hinnitum primus edi-
5 disset, is rex esset. Nam et Solem Persæ unum deum
6 esse credunt; et equos eidem deo sacratos ferunt. Erat
inter conjuratos Darius, Hystaspis filius : cui de regno
solicito equi custos ait : « Si ea res victoriam mora-
7 retur, nihil negotii superesse. » Per noctem deinde
equum, pridie constitutam diem, ad eundem locum
ducit, ibique equæ admittit, ratus, ex voluptate Ve-
8 neris futurum, quod evenit. Postera die itaque, quum
ad statutam horam omnes convenissent, Darii equus,
cognito loco, ex desiderio feminæ hinnitum statim
edidit : et, segnibus aliis, felix auspicium domino pri-
9 mus emisit. Tanta moderatio cæteris fuit, audito aus-
picio, ut confestim equis desilierint, et Darium regem
10 salutaverint. Populus quoque universus, sequutus ju-
11 dicium principum, eundem regem constituit. Sic reg-
num Persarum, septem nobilissimorum virorum vir-
tute quæsitum, tam levi momento in unum collatum
12 est. Incredibile prorsus, tanta patientia cessisse eo,
quod ut eriperent Magis, mori non recusaverint.
13 Quamquam præter formam, virtutemque hoc imperio
dignam, etiam cognatio Dario juncta cum pristinis

3. *Ipsi igitur* etc. Conf. Herodot. III, 79-87. — *Religioni.* Diis voluntatem suam auguriis significantibus.

5. *Nam et Solem* etc. Herodot. I, 131, et Ovid. Fast. I, 385.

6. *Erat... Darius* etc. Conf. Herodot. III, 85. At non equi hinnitu, sed generis nobilitate Darium regem factum esse, significat ejus genus ejusdem cum Cyro stirpis Achæmenidarum (not. ad I, 4, 4), hoc loco §. 13.

12. *Eo* Scil. regno : aliæ edd. *eos* (principes).

13. *Cognatio.* Quæ est hæc : 1, Achæmenes. — 2, Perses. — 3,

regibus fuit. Principio igitur regni, Cyri [regis] filiam 14
in matrimonium recepit, regalibus nuptiis regnum
firmaturus : ut non tam in extraneum translatum,
quam in familiam Cyri reversum videretur. Interjecto 15
deinde tempore, quum Assyrii descivissent, et Baby-
loniam occupassent, difficilisque urbis expugnatio
esset; æstuante rege, unus de interfectoribus Mago-
rum, Zopyrus domi se verberibus lacerari toto cor-
pore jubet : nasum, aures, et labia sibi præcidi; atque
ita regi inopinanti se offert. Attonitum, et quærentem 16
Darium caussas, auctoremque tam fœdæ lacerationis,
tacitus, quo proposito fecerit, edocet; formatoque
in futura consilio, transfugæ titulo Babyloniam
proficiscitur. Ibi ostendit populo laniatum corpus : 17
queritur crudelitatem regis, a quo in regni petitione,
non virtute, sed auspicio; non judicio hominum, sed
hinnitu equi superatus sit : jubet illos ex amicis exem- 18
plum capere, quid hostibus cavendum sit : hortatur, 19
ne mœnibus magis quam armis confidant, patiantur-
que se commune bellum recentiore ira gerere. Nota 20
nobilitas viri pariter et virtus omnibus erat : nec de
fide timebant, cujus veluti pignora, vulnera corporis
et injuriæ notas habebant. Constituitur ergo dux om- 21
nium suffragio : et accepta parva manu, semel atque
iterum cedentibus consulto Persis, secunda prælia
facit. Ad postremum universum sibi creditum exerci- 22

Darius. — 4, Cyrus. — 5, Cambyses supra cap. 4, 4. — 6, *Cyrus* cap. 5; et 1, Achæmenes. — 2, Cambyses. — 3, Cyrus. — 4, Theaspes. — 5, Ariaramnes. — 6, Arsames. — 7, Hystaspes. — 8, *Darius*.

14. *Filiam*. Aut potius filias Atossam et Artystonen, Herodot. III, 88; et præter has Smerdis filiam Parmyn, ergo Cyri neptem, et Phædymam, Otanis (cap. 9, 14) filiam, ibidem; coll. cap. 68.

16. *Attonitum* etc. Conf. Herodot. III, 150-160, qui tamen III, 70 Zopyrum in septem illis conjuratis non numerat.

21. *Consulto*. Aliæ edd. et MSS. *ex consulto*.

22. *Ad postremum*. Sic Grævius e tribus edd. antiq. et aliquot MSS.,

tum Dario prodit, urbemque ipsam in potestatem ejus
23 redigit. Post hæc Darius bellum Scythis infert, quod sequenti volumine referetur.*

sed ob ingratum, quem syllaba finalis *um* ter repetita efficit, sonum, præfero lect. edit Bongars. *at postremo.*

* — Quæ fides in hoc primo libro Justino adhibenda sit, jam diximus, præfat. cap. I, pag. 2. Cæterum de Justini fide historica, et Ctesiæ in quo plurimum hausisse Nostrum patet, conf. *Bossuet, Discours sur l'hist. univers.* I *part. époque* VII; III *part. époque* IV. ED.

LIBER II.

I. In relatione rerum a Scythis gestarum, quæ satis 1
amplæ magnificæque fuerunt, principium ab origine
repetendum est. Non enim minus illustria initia, quam 2
imperium habuere : nec virorum imperio magis, quam
feminarum virtutibus claruere : quippe quum ipsi 3
Parthos Bactrianosque, feminæ autem eorum Amazo-
num regna condiderint : prorsus ut res gestas viro- 4
rum mulierumque considerantibus incertum sit, uter
apud eos sexus illustrior fuerit. Scytharum gens anti- 5
quissima semper habita : quamquam inter Scythas et
Ægyptios diu contentio de generis vetustate fuit :
Ægyptiis prædicantibus, « Initio rerum, quum aliæ 6
terræ nimio fervore solis arderent, aliæ rigerent fri-
goris immanitate, ita ut non modo primæ generare
homines, sed ne advenas quidem recipere ac tueri

I. 1. *In relatione* etc. Eodem modo, quo Herodotus, Noster a bello Scythico transit ad gentem ipsam describendam. Nam et ille expeditioni illi Babylonicæ (apud Justin. I, 10, 15-22) lib. III, cap. 150-160 narratæ adjungit gentis Scytharum descriptionem lib. IV, 1-82, nec non 99-119. Diodorus quoque de Scythis et Amazonibus agit II, 43-46; de Amazonibus Afris III, 52-55. Amazones autem Strabo II, pag. 348, et Arrian. VII, pag. 156, hoc genus mulierum haud temere unquam exstitisse negant. ED.

2. *Nec virorum imperio magis.* Vossian. MS. et Gronov. editio ignorant *imperio*, nec male. ED.

3. *Parthos, Bactrianos... Amazonum.* Conf. ind. in his nom.

5. *Inter Scythas... fuit.* Ejusmodi de generis antiquitate certamen Phrygas inter et Ægyptios commemorat Herodotus II, 2. Conf. Diodor. I, 10, qui Ægyptiorum rationes profert.

6. *Ita ut non modo... homines. Non modo generare...* pro *non modo non generare.* Cic. de Offic. II, 13, *Non modo illi invidetur ætati, verum etiam favetur.* — *Generare homines.* Existimabant Ægyptii, hominum genus,

possent, priusquam adversus calorem vel frigus velamenta corporis invenirentur, vel locorum vitia, quæ-
7 sitis arte remediis mollirentur : Ægyptum ita temperatam semper fuisse, ut neque hyberna frigora, nec
8 æstivi solis ardores incolas ejus premerent; solum ita fœcundum, ut alimentorum in usus hominum nulla
9 terra feracior fuerit. Jure igitur ibi primum homines natos videri debere, ubi educari facillime possent. »
10 Contra, Scythæ cæli temperamentum nullum esse
11 vetustatis argumentum putabant : « Quippe naturam, quum primum incrementa caloris ac frigoris regionibus distinxit, statim ad locorum patientiam animalia
12 quæque generasse : sed et arborum atque frugum, pro
13 regionum conditione, apte genera variata. Et quanto Scythis sit cælum asperius quam Ægyptiis, tanto et
14 corpora et ingenia esse duriora. Cæterum si mundi, quæ nunc partes sunt, aliquando unitas fuit; sive illuvies aquarum principio rerum terras obrutas tenuit : sive ignis, qui et mundum genuit, cuncta possedit, utriusque primordii Scythas origine præstare.

a Nilo, benigna quadam caloris humorisque temperie, productum. ED.

7. *Ægyptum*. De Ægypto disserit Herodotus II, 6-34. Hinc Augustus apud Tacit. Annal. II, 59, 4 : *inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu Principis, ingredi senatoribus aut equitibus Romanis illustribus, seposuit Ægyptum : ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam, claustraque terræ ac maris, quamvis levi præsidio adversum ingentes exercitus insedisset.*

11. *Animalia quæque*. Junt. sic recte : quod et Oxonienses probaverunt. Vulgo, *quoque*. ED.

13. *Quanto... duriora*. Curt. VIII, 9, 26 : *Ingenia hominum ubique locorum situs format;* Tacit. Agric. cap. 2 : *Positio cæli corporis dat habitum;* et alibi. ED.

14. *Illuvies*. Gronovius avus ad Liv. I, 4, et hic et infra cap. 6, 10, et apud Tacit. Ann. XII, 51, 4, corrigit *eluvies*, i. e. exundatio, inundatio, quum *illuvies* sordes sint exterius adspersæ. Lactant. autem, VII, 16, hæc jungit verba : *Interibunt* (civitates) *non modo ferro et igni, verum etiam terræ motibus et eluvie aquarum*. ED. — De re ipsa prius statuit Moses, Gen. cap. 1, 2; posterius Stoici apud Cic. Nat. deor. II, 46, 3; utrumque conjungit *Buffon* in epochis naturæ non minus audax, quam ingeniosus; *mundi partes fuerunt unitas* in chao, de quo Ovid. Met. I, 5-31. — *Sive*

Nam si ignis prima possessio rerum fuit, qui paullatim 15
exstinctus, sedem terris dedit; nullam prius, quam
Septemtrionalem partem, hyemis rigore ab igne secretam: adeo ut, nunc quoque, nulla magis rigeat frigoribus. Ægyptum vero et totum Orientem tardissime 16
temperatum: quippe qui etiam nunc torrenti calore
solis exæstuet. Quod si omnes quondam terræ sub- 17
mersæ profundo fuerunt, profecto editissimam quamque partem, decurrentibus aquis, primum detectam; humillimo autem solo eandem aquam diutissime immoratam: et quanto prior quæque pars terrarum sic- 18
cata sit, tanto prius animalia generare cœpisse. Porro 19
Scythiam adeo editiorem omnibus terris esse, ut cuncta flumina ibi nata, in Mæotim, tum deinde in
Ponticum et Ægyptium mare decurrant. Ægyptum 20
autem, quæ tot regum, tot sæculorum cura impensaque munita sit, et adversus vim incurrentium aquarum tantis structa molibus, tot fossis concisa, ut, quum his arceantur, illis recipiantur aquæ, nihilominus coli, nisi excluso Nilo, non potuerit, non posse

ignis. Hæc sententia fuit Heracliti, quem Stoici sequuti sunt. ED. — *Utriusque primordii origine Scythas præstare.* I.e antiquiores sunt Scythæ Ægyptiis, sive igni, sive aqua terrarum orbem ortum esse statuas. Non erat igitur, cur Faber mallet *ratione* pro *origine*.

15. *Nam si ignis* etc. Scil. si ignis primo possedit res (mundum §. 14, ut §. 6 initio rerum).

17. *Eandem aquam.* Ex conjectura Abr. Gronov. *stantem* pro *eandem*: audacter forsan et male. ED.

19. *Scythiam editiorem.* Virg. Georg. II, vers. 240:

Mundus ut ad Scythiam, Riphæasque arduus arces
Consurgit, Libyæ premitur devexus in Austros.

ED.

20. *Structa.* Edd. antiquiores, quibus adsentitur Grævius, *instructa.* — *Excluso* (terra). I. e. in alveum redacto. — *Non posse:* Ut constructio inter longioris periodi ambages sibi constet, revoca ex initio periodi, *Ægyptum autem... non posse.* ED. — *Exaggerationibus regum.* Edit. Græviau. *ex aggerationibus*; Gronovius *aggerationibus* sine *ex*: quæ quidem lectiones melius placent nostra. ED. — De re ipsa autem *aggerationibus*, i. e., aggeribus per reges exstructis. — *Exaggerationibus Nili.* I. e. terræ aggeribus a Nilo exundante relictis. — *Nili trahentis limum* Est id ipsum quod Diodor. de hoc flumine dicit, τοῦ Νείλου τὴν ἐξ Αἰθιοπίας ἰλὺν καταφέροντος. ED.

videri hominum vetustate ultimam, quæ sive exaggerationibus regum, sive Nili trahentis limum terrarum
21 recentissima videatur. » His igitur argumentis superatis Ægyptiis, antiquiores semper Scythæ visi.

1 II. Scythia autem in Orientem porrecta, includitur ab uno latere Ponto, ab altero montibus Rhipæis : a
2 tergo Asia et Phasi flumine. Multum in longitudinem
3 et latitudinem patet. Hominibus inter se nulli fines : neque enim agrum exercent : nec domus illis ulla, aut tectum, aut sedes est, armenta et pecora semper pascentibus, et per incultas solitudines errare solitis.
4 Uxores liberosque secum in plaustris vehunt, quibus, coriis imbrium hyemisque caussa tectis, pro domibus
5 utuntur. Justitia gentis ingeniis culta, non legibus.
6 Nullum scelus apud eos furto gravius : quippe sine tecto munimentoque pecora et armenta inter sylvas
7 habentibus quid salvum esset, si furari liceret? Aurum et argentum perinde adspernantur, ac reliqui mortales
8 adpetunt. Lacte et melle vescuntur. Lanæ iis usus ac vestium ignotus : quamquam continuis frigoribus urantur; pellibus tamen ferinis aut murinis utuntur.

II. 1-2. *Scythia autem* etc. Confer Scythicas terras describentem Herod. IV, 46-82. — *Phasi.* Ita legendum contra libros qui habent *Ithasi.* — *Rhipæis.* Hoc nomen dedi e græco Ῥιπαίων, quamquam et *Riphæis* scribi potest, ut trophæum e græco τρόπαιον. — *Asia* Minore.

4. *In plaustris.* Ἀμαξόβιοι. Plaustra ait coriis tecta, pro quo Marcellinus XXXII habet *corticibus*; nescio an recte. ED. — *Nomades.* Autem, quales Noster hoc loco describit, non omnes erant Scythæ, sed longe major eorum pars. Hac de re vid. Herodot. IV, 17, 20.

5. *Justitia... legibus.* De Germ. Tacit, cap. 19 : *Plus ibi boni mores valent, quam alibi bonæ leges.* Idem Annal. III, cap. 26 : *Quum honesta suopte ingenio peterentur.* ED.

6. *Quid salvum esset.* Ita vett. edd. manuscriptorum traduces. Melius opinor quam quod Bongars. edidit, *quid inter silvas superesset.* ED.

7. *Aurum... adpetunt.* Quinta Leidensis edit. et Bongarsiana habent *Aurum et argentum non perinde ac reliqui mortales adpetunt.* Quart. Leid. habet *perinde ut.* De re autem conf. Tacit. de Germanis cap. 5, *Possessione et usu* (auri) *haud perinde adficiuntur.* ED.

8. *Lanæ iis... utuntur.* Locus sine

Hæc continentia illis morum quoque justitiam edidit, 9
nihil alienum concupiscentibus. Quippe ibidem divi- 10
tiarum cupido est, ubi et usus. Atque utinam reliquis 11
mortalibus similis moderatio, et abstinentia alieni fo-
ret! profecto non tantum bellorum per omnia sæcula 12
terris omnibus continuaretur; neque plus hominum 13
ferrum et arma, quam naturalis fatorum conditio ra-
peret. Prorsus ut admirabile videatur, hoc illis naturam 14
dare, quod Græci longa sapientium doctrina, præcep-
tisque philosophorum consequi nequeunt; cultosque
mores incultæ barbariæ collatione superari. Tanto plus 15
in illis proficit vitiorum ignoratio, quam in his cognitio
virtutis.

III. Imperium Asiæ ter quæsivere: ipsi perpetuo ab 1

dubio corruptus. *Quamquam* cuim et *tamen* non bene hic opponuntur. Bongars. ex edit. Rom. pro *tamen* rescripsit *tantum*. Male, judice Boxhorn. qui aliam proponit conjecturam, sic legens, mutata interpunctione, et *est* pro *et* subjecto: *Lanæ iis usus ac vestium ignotus est, quamquam continuis frigoribus urantur: pellibus tamen*... Qua quidem lectione a Cl. Salmasio quoque proposita non abhorreo. — *Felinis*. Pro *felinis* Ald. et Junt. *Ferinis*. Per *mures* autem intelligi solet genus ferarum minorum, ut felium, marturum, melium, cuniculorum, leporum, vulpium. Nam Hesych. σίμωρ, inquit, παρὰ Πάρθοις καλεῖταί τι μυὸς ἀγρίου εἶδος, οὗ ταῖς δοραῖς χρῶνται πρὸς χιτῶνας. Videtur igitur Salmasio fuisse *Zobel*, et murem Ponticum Plinii X, 73, interpretantur *Hermelin*. De re Ammian. Marcell. XXXI, 2: *Hunni indumentis operiuntur linteis, vel ex pellibus silvestrium murium consarcinatis*. ED.

9. *Edidit*. Effecit, quod cum illo conjungit Cic. in his: *nihil isti possunt dignum hominum auribus efficere atque edere*. Quod autem ad Scytharum *continentiam* pertinet, non tam ad historiæ veritatem, quam ad Scytharum laudem hæc scripsit Justinus. Longe aliter de Scytharum rapacia, avaritia, sævitia, retulerunt vett. scriptores, quibus auctoribus, *Bossuet* de Scythis dixit, postquam occupata Media expulsi sunt: *Ces nouveaux conquérans n'y régnèrent que vingt-huit ans; leur avarice et leur brutalité la leur firent perdre. Disc. sur l'hist. univers.* III *part. sect.* 3. ED.

14. *Cultos... superari*. Mores culti (exculti, Græcorum Romanorumque excultorum) superantur collatione barbariæ (barbarorum, Scytharum) incultæ, scilicet inferiores sunt, pejores, collati cum barbarorum incultorum moribus. De re conf. Horat. Carm. III, 24, 9-24.

III. 1. *Ter quæsivere*. Unius tantum expeditionis meminit Herodotus. Vid. infra cap. 4, 18 not.

2 alieno imperio aut intacti, aut invicti mansere. Darium, regem Persarum, turpi ab Scythia submoverunt
3 fuga : Cyrum cum omni exercitu trucidaverunt :
4 Alexandri Magni ducem Zopyriona pari ratione cum
5 copiis universis deleverunt : Romanorum audivere,
6 non sensere arma. Parthicum et Bactrianum impe-
7 rium ipsi condiderunt. Gens laboribus et bellis aspera : vires corporum immensæ : nihil parare, quod amittere timeant : nihil victores præter gloriam concupiscunt.
8 Primus Scythis bellum indixit Sesostris rex Ægyptius, missis primo lenonibus, qui hostibus parendi legem
9 dicerent. Sed Scythæ jam ante de adventu regis a fini-
10 timis certiores facti, legatis respondent : « Tam opulenti populi ducem stolide adversus inopes occupasse bellum, quod magis domi fuerit illi timendum : quod
11 belli certamen anceps, præmia victoriæ nulla, damna
12 manifesta sint. Igitur non exspectaturos Scythas dum ad se veniatur, quum tanto sibi plura in hoste con-
13 cupiscenda sint; ultroque prædæ ituros obviam. » Nec dicta res morata : quos quum tanta celeritate venire rex addidicisset, in fugam vertitur, exercituque cum

2. *Darium* etc. Conf. infra cap. 5.

3. *Cyrum* etc. Respice I, 8.

4. *Zapyriana*. Vide indicem in *Zopyrion*.

6. *Parthicum... condiderunt*. Resp. cap. 1, 3 et infra 41, 1, 1-2. Hæc autem omnia verba : *Parthicum et Bactrianum imperium condiderunt*, Tan. Fabro delenda videntur existimanti, ea ex primi libri initio repetita fuisse, ubi sic scriptum est, *quippe quum ipsi Parthos Bactrianasque condiderunt*, et ex nota in studiosi cujusdam codice hoc loco ad marginem adjecta, ab iis qui hoc codice usi sunt in operis contextum, sine judicio recepta fuisse. Quæ quidem audax conjectura quum nullis manuscriptis nitatur. ED.

7. *Labaribus et bellis*. I. e. laboribus bellicis, ut ipse loquitur infra XXIII, 1, 9; coll. Virg. Æn. XI, v. 126, *belli labores*. — *Părare* (solent, volunt). Fortius et aptius, quam quod alii ediderunt, *paravere*.

8. *Sesastris*. Hoc nomen recep. ex Ald.; coll. I, 1, 6. Cæteri variant in *Vexaris*, *Besoxis* etc. — *Lenonibus*. Vid. ind. Altera igitur lectio *legatis*, a Gronovio nepote prælata est hujus glossa. — *Legem dicerent*. Eodem modo Liv. lib. XXIII, 49, *neminem alium quam ipsas legem dicturum*. ED.

13. *Nec dicta res morata*. Res sc-

omni adparatu belli relicto, in regnum trepidus se
recepit. Scythas ab Ægypto paludes prohibuere: inde 14
reversi, Asiam perdomitam vectigalem fecere, modico 15
tributo, magis in titulum imperii, quam in victoriæ
præmium, imposito. Quindecim annis pacandæ Asiæ 16
immorati, uxorum flagitatione revocantur, per legatos
denuntiantium: « Ni redeant, sobolem se e finitimis 17
quæsituras, nec passuras, ut in posteritatem Scytharum genus per feminas intercidat. » His igitur Asia 18
per mille quingentos annos vectigalis fuit. Pendendi
tributi finem Ninus, Rex Assyriorum, imposuit.

IV. Sed apud Scythas medio tempore duo regii juve- 1
nes, Ylinos et Scolopitus, per factionem optimatum
domo pulsi, ingentem juventutem secum traxere;

qunta est dicta, ut loquitur Ovid. Met. IV, v. 549. — *Se recepit.* Herodotus contra, Diodorus et Dicæarchus produnt Scythas ab hoc fuisse subactos, qui omnium, quas adierit, gentium victor redierit.

16. *Denuntiantium.* Junt. et Gron. *denuntiantibus*, id est quum illæ denuntiarent; idque per ablativum absolutum, ut vocant. Melius placet vulg. Attamen quamquam ex regulis grammaticæ scribendum fuisse videtur *denuntiantibus*, sic quoque alibi loquutus Justinus, ut lib. XVIII, 1: *additis Samnitium et Lucanorum precibus, et ipsis auxilio indigentibus:* ubi manifeste dicere debuisset *indigentium*, si præcepta grammaticæ, quam judicium suum sequi maluisset. ED.

17. *Per feminas.* Feminarum culpa, scilicet quantum liceat per feminas.

18. *His igitur* etc. Scythæ, referente Herodoto I, 103-106, anno fere U. C. 73, Cimmerios, suis ad occidentalem Wolgæ partem sedibus pulsos, persequuti, quum via aberrantes, ad sinistramque deflectentes juxta mare Caspium, per Caspias fauces, delati essent in Mediam; hujus rege Cyaxare, qui Ninive, quam tum oppugnabat, decedens his obviam ierat, victo; tota fere Asia superiore sunt potiti, duce rege Madye, per annos fere 28, non, ut Noster hoc loco dicit, 1500. At hic hoc loco non cum Herodoto a Cyaxare demum A. U. 101, sive A. M. 3331 dicit illos pulsos et necatos, sed jam a Nino A. M. 1808: ut ab hoc numero annis illis 1500 detractis, revolvaris ad A. M. 308, quo Scythæ Asiam occuparint, et Sesostris vixerit. — Anno mundi 1808.

IV. 1. *Duo regii juvenes, Ylinos et Scolopitus* etc. Aliter narrat Herod. IV, 110-117; aliter Diodor. II, 45-46. Totum hunc locum confer cum Orosio I, 15; Ammian. XXII; Eusthat. in Dionys. Multa quoque et Strabo qui hæc fabulosa judicat, lib. II. ED.

2 et in Cappadociæ ora, juxta amnem Thermodonta con-
sederunt, subjectosque Themiscyrios campos occu-
3 pavere. Ibi per multos annos spoliare finitimos ad-
sueti, conspiratione populorum per insidias trucidan-
4 tur. Horum uxores, quum viderent exsilio additam
orbitatem, arma sumunt; finesque suos, submoventes
5 primo, mox etiam inferentes bella, defendunt. Nu-
bendi quoque finitimis animum omisere, servitutem,
6 non matrimonium appellantes. Singulare omnium
sæculorum exemplum ausæ, auxere rempublicam sine
viris: jam etiam cum contemtu virorum se tuentur.
7 Et ne feliciores aliæ aliis viderentur, viros qui domi
8 remanserant interficiunt. Ultionem quoque cæsorum
9 conjugum excidio finitimorum consequuntur. Tum
pace armis quæsita, ne genus interiret, concubitum
10 finitimorum ineunt. Si qui mares nascerentur, inter-
ficiebant. Virgines in eundem ipsis morem, non otio,
11 neque lanificio, sed armis, equis, venationibus exer-
cebant, inustis infantum dexterioribus mammis, ne
12 sagittarum jactus impediretur: unde Amazones dictæ
sunt. Duæ his reginæ fuere, Marpesia et Lampedo,
quæ in duas partes agmine diviso, inclytæ jam opibus,
vicibus gerebant bella, solæ terminos alternis defen-

2. *Cappadociæ ora.* Orosius, *Cappadociæ Ponticæ.* — *Thermodonta.* Hinc Ovid. Pont. IV, Epist. 10:

Et tu femineæ Thermodon cognite turbæ.

Et Propert. III, Eleg. 2:

Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis,
Thermodonteis turba lavatur aquis.

ED.

6. *Auxere.* Gronov. mavult ex aliquot codd. *agere*, aut hoc deleto ita legere: *exemplum ausæ, rempublicam sine viris, jam se tuentur.*

10. *Interficiebant.* Diodor. II, 45: *crura et brachia maribus debilitabant, eoque, bello inutiles reddebant.* Jornandes, Getic. VIII, *Quicquid partus masculini edidissent, patri reddebant* ED.

11. *Ne... impedirentur.* Ne mamma protuberante impedirentur, quo minus sagittas jacerent. — *Amazones.* Ἀ μαζῶν, sine mamma (μαζὸς), sive a mamma dextra inusta. Confer Diodor. II, 45.

12. *Solæ terminos.* Freinshem. et plures edd. *soli*, id est, regionis. Melius placet vulgatum. ED.

dentes : et ne successibus deesset auctoritas, genitas 13
se Marte prædicabant. Itaque majore parte Europæ 14
subacta, Asiæ quoque nonnullas civitates occupavere.
Ibi Epheso, multisque aliis urbibus conditis, partem 15
exercitus cum ingenti præda domum dimittunt. Reli- 16
quæ, quæ ad tuendum Asiæ imperium remanserant,
concursu barbarorum cum Marpesia regina interfi-
ciuntur. In hujus locum filia ejus Orithya regno suc- 17
cedit : cui, præter singularem belli scientiam, eximia
servatæ in omne ævum virginitatis admiratio fuit.
Hujus virtute tantum additum gloriæ et famæ Ama- 18
zonum est, ut Herculi rex, cui XII stipendia debebat,
quasi impossibile, imperaverit, ut arma reginæ Ama-
zonum sibi adferret. Eo igitur profectus longis novem 19
navibus, comitante principum Græciæ juventute, in-

13. *Et ne successibus... prædicabant.* Inde Alexandri votum apud Curt. VIII, 8, 28 : *utinam Indi deum esse quoque me credant! Fama enim bella constant.* Videndus omnino Div. August. de Civit. Dei, III, 4, ubi de sententia Varronis : *Utile esse ut se homines ex diis genitos mentiantur.* ED.

14. *Majore parte Europæ.* Aut potius minima parte Europæ tum maximam partem incognitæ, ne Thracia quidem tota; nam Diodor. II, 46 : *castris ultra Tanaim promotis, omnes populos continuos ad Thraciam usque sibi subjecerunt.*

17. *Orithya.* Sic est in omnibus libris scriptis et impressis. Vulgo *Otrera*, et apud Appollon. lib II. Orosius autem et Freculphus *Sinopen* legunt : atqui *Sinopen*, urbem juxta Pontum Euxinum quidam conditam volunt. ED.

18. *Rex.* Eurystheus, Mycenarum et Tirynthis rex, de quo Apollodor. II, 4, 12, atque Quintus Smyrnæus duodecim illos Herculis labores recensens hunc ita nominat; coll. Apollodor. II, 5, 9 :

Ἕκτον Ἀμαζόνιδος κόμισαι ζωστῆρα φαεινόν.

Jam quum Apollodorus (pag. 1085 ed. Heyn.) inter Herculis annum octavum et Trojam captam annos 83 numeret, indeque annos 101 ab Hercule inde nato ad Trojam usque captam præteriisse statuat; Velleius I, 2, 1, quoque 40 annis ante Trojam captam mortuum eum referat : margini adscripsi an. 2750 (10 ante mortem herois, 50 ante Trojam captam). Cui Thesei quoque ætas adstipulatur, qui Athenis regnavit A M. 2748-2778. — *Impossibile.* Hoc verbum seriorem latinitatem sapit, quamquam apud Quintilianum invenitur. ED. — Anno mundi 2750.

19. *Longis navibus.* *Longæ* naves erant naves bellicæ, et ab *onerariis* discernebantur. Liv. XXV, 22 : *Bomilcar, centum triginta navibus longis*

20 opinantes adgreditur. Duæ tum sorores Amazonum
regna tractabant, Antiope et Orithya : sed Orithya
21 foris bellum gerebat. Igitur quum Hercules ad litus
Amazonum applicuit, infrequens multitudo cum An-
22 tiopa regina, nihil hostile metuente, erat. Qua re
effectum est, ut paucæ, repentino tumultu excitæ,
arma sumerent, facilemque victoriam hostibus darent.
23 Multæ itaque cæsæ captæque : in his duæ Antiopæ
sorores, Menalippe ab Hercule, Hippolyte a Theseo.
24 Sed Theseus, obtenta in præmium captiva, eandem
in matrimonium adsumsit, et ex ea genuit Hippoly-
25 tum. Hercules post victoriam, Menalippen captivam
sorori reddidit, et pretium arma reginæ accepit. Atque
26 ita functus imperio, ad regem revertitur. Sed Orithya,
ubi comperit bellum sororibus illatum, et raptorem
esse Atheniensium principem, hortatur comites,
« Frustraque et Ponti sinum, et Asiam edomitam esse
dicit, si Græcorum non tam bellis, quam rapinis pa-
27 teant. » Auxilium deinde a Sagillo, rege Scythiæ, petit :
« Genus se Scytharum esse : cladem virorum, necessi-
tatem armorum, belli caussas ostendit : adsequutasque
virtute, ne segniores viris feminas habere Scythæ vi-
28 derentur. » Motus ille domestica gloria, mittit cum in-
29 genti equitatu filium Panasagoram in auxilium. Sed
ante prælium dissensione orta, ab auxiliis desertæ,

et onerariis profectus est. Cæsar. Bell. Gall. V, 25 : *naves longas paullulum removere ab onerariis navibus jussit.* ED.

20. *Duæ tum sorores Amazonum.* Edit. Bech., *Duæ ex quatuor :* quod seqq. satis est consentaneum. ED.

24. *Obtenta... captiva.* Placet Gronovio avo, quod habent plures codd. et tres edd. *obtentam... captivam :* recte quidem ex latinitatis constructione, quamquam in Nostro hujusmodi vitium me non certe offendit.

26. *Hortatur comites.* Edit. Rom. Ven. Flor. Paris. Ald. Junt. addunt *in ultionem :* quod prorsus genuinum videtur. ED.

27. *Cladem virorum.* Scilicet maritos trucidatos §. 3.

28. *Domestica gloria.* Gloria gentili, i. e. Amazonum, quæ erant genus Scytharum §. 27.

bello ab Atheniensibus vincuntur; receptaculum ta- 30
men habuere castra sociorum, quorum auxilio intactæ
ab aliis gentibus, in regnum revertuntur. Post Ori- 31
thyam, Penthesilea regno potita est, cujus Trojano
bello inter fortissimos viros, quum auxilium adversus
Græcos ferret, magna virtutis documenta exstitere.
Interfecta demum Penthesilea, exercituque ejus ab- 32
sumto, paucæ, quæ in regno remanserant, ægre se
adversus finitimos defendentes, usque tempora Alexan-
dri Magni duraverunt. Harum Minithya, sive Thales- 33
tris regina, concubitu Alexandri per dies XIII ad sobo-
lem ex eo generandam obtento, reversa in regnum,
brevi tempore cum omni Amazonum nomine inter-
cidit.

V. Scythæ autem tertia expeditione Asiana, quum 1
annis octo a conjugibus et liberis abfuissent, servili
bello domi excipiuntur. Quippe conjuges eorum longa 2
exspectatione virorum fessæ, nec jam teneri bello, sed
deletos ratæ, servis ad custodiam pecorum relictis nu-

31. — Anno mundi 2800.

32. *Interfecta*. Ab Achille, Diodor. II, 46: cujus tamen reginæ et rei nulla mentio apud Homerum, qui Amazonas bellantes producit tempore Bellerophontis et Priami Iliad. III, v. 189; VI, v. 186, in Lydia et Lycia. Ille autem hanc Amazonum ultimam virtute præstitisse narrat; gentemque, viribus et hoc bello Trojano, inprimis autem illo Herculeo vehementer deminutis, prorsus defecisse. Conf. et quæ *F. Schmieder* hac de re adnotavit in Curt. VI, 5, 24; et quæ ipse de his collegi *in meinem histor. Handworterbuch* sub hac voce; et *Heyne* ad Virg. Æn. I, v. 490. — *Usque tempora*. Edit. Periz. *usque in tempora;* Bech., Junt. *usque ad tempora*. Sed vulgatum auctori usitatum est, ut paullo post: *usque tempora Jancyri*. Adde infra I, 7, 7; V, 11, 11; VII, 1, 4. — *Harum Minithya sive Thalestris*. Edit. Ald., Junt. *harum Thalestris;* probante Grævio. De Thalestri lib. XII agemus. ED.

33. *Harum Minithya* etc. Conf. infra XII, 3, 5.

V. 1. *Scythæ autem* etc. Vide supra §. 1-7. Conf. Herod. IV, 1-4. — *Tertia expeditione*. *Ter* enim Scythas Asiæ imperium quæsivisse dixerat auctor cap. 3, 1; qui *primam* ponit cap. 3, 15; de *altera* quum, ipse sileat, quænam ex mente ipsius fuerit, equidem ipse scire nequeo; *tertia* hæc est, de qua ad cap. 3, 18, ab A. U. 73-101 per annos 28, non autem, ut hoc loco 8.

3 bunt : qui reversos cum victoria dominos, velut ad-
4 venas, armati finibus prohibent. Quibus quum varia
victoria fuisset, admonentur Scythæ mutare genus
pugnæ, memores, non cum hostibus, sed cum servis
præliandum; nec armorum, sed dominorum jure vin-
cendos : verbera in aciem, non tela adferenda; omis-
soque ferro, virgas ac flagella, cæteraque servilis me-
5 tus paranda instrumenta. Probato omnes consilio,
instructi sicut præceptum erat, postquam ad hostem
accessere, inopinantibus verbera intentant; adeoque
illos perculerunt, ut, quos ferro non poterant, metu
verberum vincerent; fugamque, non ut hostes victi,
6 sed ut fugitivi servi capesserent. Quicunque capi po-
7 tuerunt, supplicia crucibus luerunt. Mulieres quoque
male sibi consciæ, partim ferro, partim suspendio,
8 vitam finierunt. Post hæc pax apud Scythas fuit usque
9 tempora Jancyri regis. Huic Darius, rex Persarum,
sicut supra dictum est, quum filiæ ejus nuptias non
10 obtinuisset, bellum intulit : et armatis septingentis
millibus hominum Scythiam ingressus, non facientibus
hostibus pugnæ potestatem, metuens, ne, interrupto
ponte Istri, reditus sibi intercluderetur, amissis octo-
11 ginta millibus hominum trepidus refugit : quæ jactura,

4. *Dominorum*. Gronov. avus conjicit *dominiorum*, quo sensu apud Senec. Quæst. Nat. II, 32, *jus dominiumque*. Atque aptius sane opponuntur sibi *arma* et *dominia*, quam *arma* et *domini*. — *Tela*. Quæcunque arma, quibus eminus pugnatur, ut saxa, sudes, funda, Liv. XXXIV, 15, 5; XXXVIII, 29, 5. Hinc altera lectio *arma* est hujus glossa. — *Instrumenta metus servilis*. Quibus metus inicitur servis.

8. *Usque*. Supple *ad*, quod addunt edd. Bong. et Col., ut infra cap. 7, 7; præter illas quatuor aliæ idem *ad* addunt, et V, 11, 11, unus MS. Bongars.; VII, 1, 4 edit. Bongars. et Col. — *Jancyri*. Oxon. ex tribus codd. *Ianthyri*; Salm. et Vossius filius corrigunt *Idanthyri*, quum Herodoto IV, 76 et 120, sit *Idanthyrsus*.

9. *Supra*. I, 10, 23. — *Quum... obtinuisset*. Herodot. IV, 1 : *ulturus injurias a Scythis Mediæ illatas* : de quibus ad cap. 3, 18 dixi. De hac expeditione ipsa hoc loco §. 8-11 conf. Herodot. IV, 120-143. — Anno Urbis 241.

abundante multitudine, inter damna numerata non est. Inde Asiam et Macedoniam domuit: Ionas quoque 12
navali prælio superat. Deinde cognito, quod Athe- 13
nienses Ioniis auxilium contra se tulissent, omnem impetum belli in eos convertit.

VI. Nunc, quoniam ad bella Atheniensium ventum 1
est, quæ non modo ultra spem gerendi, verum etiam ultra gesti fidem patrata sunt, operaque Atheniensium effectu majora, quam voto fuere; paucis urbis origo repetenda est: quia non, ut cæteræ gentes, 2
a sordidis initiis ad summa crevere. Soli enim, præ- 3
terquam incremento, etiam origine gloriantur. Quippe 4
non advenæ, neque passim collecta populi colluvies originem urbi dedit: sed eodem innati solo, quod incolunt; et quæ illis sedes, eadem origo est. Primi, 5
lanificii, et olei, et vini usum docuere. Arare quoque, et serere frumenta, glande vescentibus monstrarunt.

12. *Asiam*. Minorem; Herodot. V, 26 seqq. Pro *Asiam*, Tan. faber legit *Thraciam*. ED. — Anno Urbis 242.

13. *Ioniis*. Ald. *Ionibus*, recte. Iones enim sunt, non Ionii. — *Deinde*. Pluribus post annis, anno demum U. C. 264, quum hoc factum sit an. 241-242. Atque Athenienses anno demum 254 Ionibus viginti naves auxilio miserunt. Conf. infra cap. 9, 7 not.

VI. 1. *Quæ non modo... fidem*. Quæ non tantum superarunt spem conceptam priusquam gererentur, sed etiam postquam gesta sunt, vix credi potuerunt. — *Patrata sunt*. Bongars. *peracta*. Melior vulgata lectio. Sallust. Catil. cap. 66, 5, *incœpta patrare*; Liv. XXV, *patrare facinus*; Tac. Ann. II, 82, *patrare necem*. ED. — *Urbis*. Edd. antiquiores *verbis*, bene. Commodius enim subauditur *eorum* ad *origo*, quum præcedat *Atheniensium*, et sequatur *crevere*. De re conf. Isocratem in panegyrico, ubi plura in laudem Atheniensium profert; Herodotum, qui I, 54-58, horum et Lacedæmoniorum originem et historiam antiquiorem paucia attingit; quibus adde Cic. Orat. I, 4, 1; Brut. VII, 2; ad div. VI, 1, 18; VI, 3, 6; Flacc. cap. 26.

4. *Innati solo*. Αὐτόχθονες, quales Aborigines Latii. — *Et quæ illis... origo est*. Cic. pro L. Flacco cap. 26: *Athenarum urbs vetustate ea est ut ipsa ex sese cives suos genuisse dicatur*. ED.

5. *Primi docuere usum lanificii et olei*. A Minerva edocti, ut fert fabula, quæ illam deam horum facit inventricem. De Atheniensium autem inventis, Lucret. VI, init.; Ælian. Var. Hist. III, 38; Cic. pro Flacco, cap. 36; Strabo XIX; Thucyd. I; Diodor. Sic. I; et alibi pas-

6 Literæ certe ac facundia, et hic civilis ordo disciplinæ,
7 veluti templum, Athenas habent. Ante Deucalionis
tempora regem habuere Cecropem : quem, ut omnis
antiquitas fabulosa est, biformem tradidere, quia pri-
8 mus marem feminæ matrimonio junxit. Huic successit
9 Cranaus, cujus filia Atthis regioni nomen dedit. Post
hunc Amphictyon regnavit, qui primus Minervæ ur-
10 bem sacravit, et nomen civitati Athenas dedit. Hujus
temporibus, aquarum illuvies majorem partem popu-
11 lorum Græciæ absumsit. Superfuerunt, quos refugia
montium receperunt, aut ad regem Thessaliæ Deuca-
lionem ratibus evecti sunt : a quo propterea genus
12 hominum conditum dicitur. Per ordinem deinde suc-
13 cessionis regnum ad Erechtheum descendit, sub quo

sim. — *Arare... monstrarunt.* Conf. §. 13 et ind. in *glans.* — *Biformis.* Διφυὴς, forma ex homine et serpente composita, Apollodor. III, 14, ubi vid. not. Heynii.

6. *Literæ... habent.* Quæ caussa Diodor. XIII, 27 Athenas vocat κοινὸν πάντων ἀνθρώπων παιδευτήριον; Thucyd. II, 8, 38, παίδευσιν τῆς Ἑλλάδος; Cic. de Orat. I, 4, *Doctrinarum omnium inventrices;* et Fam. Epist. IV, 12, *nobilissimum orbis terrarum gymnasium.* ED.

7. *Antiquitas fabulosa est.* Fabulosum hic certe non idem est quod falsum; sed id quod verum, fabulas tamen in se immistas habet. ED. — Anno mundi 2420.

8. *Atthis.* Dedi ex Ald. et Ven., non *Athis, Attis*, quum græce sit Ἀτθὶς, Apollodor. III, 14, 5, qui Ἀτθίδος, inquit, ἀποθανούσης ἔτι παρθένου τὴν χώραν Κραναὸς Ἀτθίδα προσηγόρευσε. Idem tamen §. 1 longe verisimilius Atticam derivat ab ἀκτὴ, litore, ut sit terra maritima; Pausan. contra I, 2, 5 ab Actæo, Cecropis socero et antecessore; coll. Apollodor. III, 14, 2. — Anno mundi 2476-2485.

9. *Regnavit.* Ejecto Cranao, ut ait Apollodor. III, 14, 6, Deucalionis filius. — *Nomen... dedit.* Herodot. VIII, 44, Athenienses olim Cranaos (§. 8), sub Cecrope Cecropidas, sub Erechtheo demum (§. 12) *Athenæos* nominatos fuisse dicit : quamquam ex nobili illo Minervæ quum Neptuno certamine hoc nomen referendum est ad Cecropis tempora, Apollodor. III, 14, 1.

10. *Illuvies.* Respice not. ad cap. 1, 14. Illud diluvium ad Amphyctionis tempora Oros. post Justinum; ad Cranai, Clem. Alex.; ad Cecropis, Euseb., Hyer., August. referunt. ED.

11. *Deucalionem.* Amphictyonis patrem, Promethei filium, Phthiotidis regem, Apollodor. I, 7, 2.

12. *Successionis.* Et quidem, Erichthonis, 2495-2545; Pandion 1, 2545-2585; Erechtheus, 2585-2635. Sub quo marmor quoque Parium

frumenti satio apud Eleusin a Triptolemo reperta est:
in cujus muneris honorem noctes Initiorum sacratæ.
Tenuit et Ægeus, Thesei pater, Athenis regnum : a 14
quo per divortium decedens Medea, propter adultam
privigni ætatem, Colchos cum Medo filio, ex Ægeo
suscepto, concessit. Post Ægeum Theseus, ac dein- 15
ceps Thesei filius Demophoon, qui auxilium Græcis
adversus Trojanos tulit, regnum possedit. Erant inter 16
Athenienses et Dorienses simultatum veteres offensæ:
quas vindicaturi bello Dorienses, de eventu prælii
oracula consuluerunt. Responsum, « Superiores fore, 17
ni regem Atheniensium occidissent. » Quum ventum 18
esset in bellum, militibus ante omnia, custodia regis
præcipitur. Atheniensibus eo tempore rex Codrus 19
erat : qui et responso Dei, et præceptis hostium co-

Cererem in Atticam pervenisse refert, quum Apollodorus I, 5, 1-3; coll. III, 14, 7, id ad Pandionem rejiciat. De Cerere autem confer Ovidium Fast. IV, v. 389-620; Diod. V, 3-5, et de Initiis *mein. histor. Handworterbuch* sub voce *Mysteria*. — Anno mundi 2585.

14 *Ægeus*. Erecththeo illi successit Cecrops II, 2635-2675; Paudion II, 2675-2700; Ægeus, 2700-2748. Medea autem, Æetæ, Colchorum regis, filia, cum Jasone, Argonautarum duce, aufugerat A. M. 2721 : ab hoc deinde Corinthi exsulante offensa aufugit Atheuas, Apollodor. I, 9, 28: nbi hujus ex Ægeo filius dicitur *Medus*, quam formam et hoc loco ex edd. antiquioribus recepi pro *Medio*, *Medeo*, ut infra XLII, 2, 12. — Anno mundi 2700.

15. *Theseus*. De quo supra cap. 4, 23-30, regnavit 2748-2778. Huic autem successit Menestheus, regnaus ad anuum usque 2801, stirpis regiæ juvenis, Hom. Il. II, v. 546-556; Plutarch. in Vita cap. 35. Huic demum successit Thesei filius, bello Trojano jam coufecto, Demophoon 2801-2834, cujus frater Oxyntes 2834-2846, cujus successorem Aphidanta 2847 occidit illius spurius Thymœtes, qui 2855 cedere cogitur Melantho, ab Heraclidis ex Messenia pulso, Pausan. II, 18, 7. Cui, quum regnasset 2855-2892, successit filius Codrus 2892-2913, §. 18. Dupliciter igitur peccat Noster, *tum* Demophoontem patri succedentem, *tum* eundem Trojanis auxilium ferentem narrans. — Anno mundi 2748-2801.

16. *Dorienses*. Heraclidas, qui quum Peloponesum sibi vindicassent, Atticam quoque adgressi sunt. Vid. *mein. Handworterburch* vol. I, pag. 279, ubi et pag. 164 potiora Veterum loca de Codro laudavi. — *De eventu prælii*. *De eventu belli* alii. Quod probo : nam aliud est vincere bello, aliud vincere prælio. EU.

19. — Anno mundi 2913.

20 gnitis, permutato regis habitu, pannosus, sarmenta collo gerens, castra hostium ingreditur: ibi in turba obsistentium, a milite, quem falce astu vulneraverat, interficitur. Cognito regis corpore, Dorienses sine præ-
21 lio discedunt. Atque ita Athenienses virtute ducis, pro salute patriæ morti se offerentis, bello liberantur.

1 VII. Post Codrum nemo Athenis regnavit: quod
2 memoriæ nominis ejus tributum est. Administratio
3 reipublicæ annuis magistratibus permissa. Sed civitati nullæ tunc leges erant, quia libido regum pro legibus
4 habebatur. Legitur itaque Solon, vir justitiæ insignis,
5 qui velut novam civitatem legibus conderet: qui tanto temperamento inter plebem senatumque egit (quum, si quid pro altero ordine tulisset, alteri displiciturum videretur), ut ab utrisque parem gratiam traheret.
6 Hujus viri inter multa egregia illud memorabile fuit:
7 inter Athenienses et Megarenses de proprietate Salaminæ insulæ, prope usque interitum armis dimicatum
8 fuerat. Post clades multas capitale esse apud Athenienses cœpit, si quis legem de vindicanda insula tu-
9 lisset. Solicitus igitur Solon, ne aut tacendo parum

VII. 1. — Anno mundi 2913.

2. *Annuis magistratibus*. Archontibus, non autem annuis, sed *perpetuis*, Medontidis dictis a Medonte, archonte primo, Codri filio, qui ab hoc inde an. 2913, qui est 113 post Trojam eversam, duodecim habuit successores ad annum usque 3227, qui est tertius ante Rom. cond., per 314 annorum spatium. His successerunt septem *decennales*, ergo per an. 70, indeque ab anno usque U. C. 67: a quo inde demum anno *annui* creari cœpti sunt: qualis et Dracon fuit, qui leges tulit A. U. 130, de quibus disserui *in meinem histor. Handworterbuch* vol. I, pag. 203. Ex iis igitur quæ supra dixi, locupletissimis testibus nitens, omnibus patet dupliciter et hic epitomatorem nostrum errasse. — Anno mundi 2913.

3. *Libido... legum*. Respice I, 1, 2.

4. *Justitiæ*. Plures aliæ edd. *justitia*, non minus latine. — A. U. 161.

7. *Salaminæ*. Aut, ut habet Ald., *Salaminis*. De re conf. Plutarchum in Solonem cap. 8-10.

8. *Capitale*. Gronov. *capital*; nec male. Curt. lib. VIII, cap. 9: *quas* (arbores) *violare capital est*; L. Seneca de Benef. IV, 38: *quo* (decreto) *cavetur, ne miseros juvare tecto capital sit*; et alibi passim. ED.

reipublicæ consuleret, aut censendo, sibi; subitam
dementiam simulat, cujus venia non dicturus modo
prohibita, sed et facturus erat. Deformis habitu, more 10
vecordium in publicum evolat; factoque concursu 11
hominum, quo magis consilium dissimularet, insolitis
sibi versibus suadere populo cœpit, quod vetabatur:
omniumque animos ita cepit, ut extemplo bellum 12
adversus Megarenses decerneretur, insulaque, devictis
hostibus, Atheniensium fieret.

VIII. Interea Megarenses, memores illati ab Athe- 1
niensibus belli, et veriti, ne frustra arma movisse
viderentur, matronas Atheniensium in Eleusiniis sa-
cris noctu oppressuri, naves conscendunt. Qua re 2
cognita, dux Atheniensium Pisistratus juventutem in
insidiis locat, jussis matronis solito clamore ac stre-
pitu, etiam in accessu hostium, ne intellectos se sen-
tiant, sacra celebrare: egressosque navibus Megaren- 3
ses inopinantes adgressus delevit: ac protinus classe
captiva intermixtis mulieribus, ut speciem captarum
matronarum præberent, Megara contendit. Illi quum 4
et navium formam, et petitam prædam cognoscerent,
obvii ad portum procedunt: quibus cæsis, Pisistratus
paullum a capienda urbe abfuit. Ita Megarenses suis 5

9. *Aut censendo sibi*. Plures edd. addunt *periculum adferret*; Thuan. *offenderet*. ED. — De re autem ipsa, *censendo*, conf. Liv. III, 40; Suet. Claud. 20; Plin. Epist. IV, 9.

11. *Versibus*. Carmine 100 versibus constante, *Salamis* inscripto, referente Plutarcho cap. 8, et Laert. I, 46-47.

VIII. 1. *Ab Atheniensibus*. Voculam *ab* recep. ex edd. antiq. — *Et veriti ne frustra*. Ed. Reg., Bodl., Leid., Periz., *et deserti; ne frustra*... quæ quidem lectio tolerari non potest. — *Eleusiniis sacris*. Ald., Junt. *Eleusinis*. ED.

2. *In insidiis locat*. Polyænus id Soloni tribuit; sed eos conciliat Plutarchus, dum id quidem Solonis consilio, sed etiam virtute Pisistrati peractum adfirmat. ED.

3. *Megara*. Edd. antiq. *Megarum*, non minus bene; utrumque enim dicitur: Megara, *-æ* et *-orum*.

4. *Abfuit*. Ed. Med., Leid., Bongars, *afuit*: quod quidem non insolens est. Cic. Fam. Epist IV, 3, *etsi enim afuit*.

6 dolis hosti victoriam dedere. Sed Pisistratus, quasi
sibi, non patriæ vicisset, tyrannidem per dolum oc-
7 cupat : quippe verberibus voluntariis domi adfectus,
8 lacerato corpore, in publicum progreditur : advocata
concione, vulnera populo ostendit : de crudelitate
principum, a quibus hæc se passum simulabat, que-
9 ritur : adduntur vocibus lacrymæ, et invidiosa ora-
tione multitudo credula accenditur : amore plebis in-
10 visum se senatui adfirmat : obtinet ad custodiam cor-
poris sui satellitum auxilium : per quos occupata
tyrannide, per annos XXXIII regnavit.

1 IX. Post ejus mortem Diocles, alter ex filiis, per vim
2 stuprata virgine, a fratre puellæ interficitur. Alter,
Hippias nomine, quum imperium paternum teneret,
3 interfectorem fratris comprehendi jubet : qui quum
per tormenta conscios cædis nominare cogeretur,
4 omnes amicos tyranni nominavit. Quibus interfectis,
quærenti tyranno, « An adhuc aliqui conscii essent :
neminem, ait, superesse, quem amplius mori gestiat,
5 quam ipsum tyrannum. » Qua voce ejusdem se tyranni
victorem, post vindictam pudicitiæ sororis, ostendit.
6 Hujus virtute quum admonita civitas libertatis esset,

6. *Sed Pisistratus*. Præter Plutarch. in Solone et Herodotum I, 59, lege Val. Max. I, 3; VIII, 9; Ælian. Hist. Var. VIII, 16. Qua autem ratione Pisistratidarum tyrannide liberati sint Athenienses docet Herodot. V, 63. ED. — Anno Urbis 195.

10. *Annos triginta tres*. Aut potius XVI; pulsus enim Megaclis factione, in exsilio vixerat annos 5 et iterum 11. Vide Herodot. I, 59-64. — Anno Urbis 195-227.

IX. 1. *Diocles*. Quem omnes cæteri historici nominant *Hipparchum*. — *Fratre*. *Harmodio*, quem ipsum, utpote juvenem eximiæ pulchritudinis ad stuprum compulerat, ejusque indignationem et iram eo deinde auxerat, ut ipsius sororem in publica pompa adficeret ignominia. Conf. de hoc et conjurationis socio *Aristogitone* quæ Veterum loca collegi *in meinem histor. Handworterbuch* vol. I, pag. 267 et 91. — Anno Urbis 227-241.

3. *Cædis*. Plures MSS. constanter abnuunt τὸ *cædis*. ED.

4. *Neminem ait... tyrannum*. In antiquioribus typis expressis codd. postrema sic leguntur : *Nemo ait, superest, quem amplius mori gestiam, quam ipsum tyrannum*. ED.

tandem Hippias regno pulsus, in exsilium agitur : qui
profectus in Persas, ducem se Dario, inferenti Athe-
niensibus bellum, sicuti supra significatum est, ad-
versus patriam suam offert. Igitur Athenienses, audito 8
Darii adventu, auxilium a Lacedæmoniis, socia tum
civitate, petiverunt. Quos ubi viderunt quatridui te- 9
neri religione, non exspectato auxilio, instructis de-
cem millibus civium, et Platæensibus auxiliaribus
mille, adversus sexcenta millia hostium, in campos
Marathonios in prælium egrediuntur. Miltiades et dux 10
belli erat, et auctor non exspectandi auxilii : quem
tanta fiducia ceperat, ut plus præsidii in celeritate,
quam in sociis duceret. Magna igitur in pugnam eun- 11
tibus alacritas animorum fuit, adeo ut, quum mille
passus inter duas acies essent, citato cursu ante jac-
tum sagittarum ad hostem venerint. Nec audaciæ ejus
eventus defuit. Pugnatum est enim tanta virtute, ut 12
hinc viros, inde pecudes putares. Victi Persæ in naves 13
confugerunt : ex quibus multæ suppressæ, multæ

6. *In exsilium*. Concessit autem Hippias cum suis in Sigeum, Herodot. V, 65 et 94. — Anno Urbis 245.

7. *Supra*. Cap. 5, 12. Antea eundem reducere conati fuerant Lacedæmonii, per quos eosdem adjuti Athenienses eum expulerant, Herodot. V, 91, seqq.; coll. 64 et 65. Aristagoras autem, Mileti procurator, quum Ioniam in libertatem vindicare statuisset (Herod. V, 30-38); in eamque rem frustra Spartanorum auxilium implorasset, cap. 49-55; ab Atheniensium autem populo 20 naves facile impetrasset, quibus juncti Iones, Sardes captas incendio delent an. 254 : Darius tandem his aliisque caussis ad iram provocatus, bellum Atheniensibus infert an. 264. Conf. Herodot. VII, 133.

8. *Igitur Athenienses*, etc. Seq. conf. Cornel. in Milt. 4-5.

9. *Religione quatridui*. Lex enim erat Spartæ : *Ante plenilunium exercitus Sparta ne exito* : qualis lex etiam apud Germanos fuit, referente Cæsare Bell. Gall. I, 50, 5; apud Hebræos : *sabbato ne pugnato*, Machab. I, cap. 2, 34. De illa conf. Herod. VI, 106 et 120; Pausan. I, 28, 4.

10. — Anno Urbis 264.

11. *Audaciæ ejus*. Pro *ejus*, quod non habet, quo referatur, corrige cum Acidalio ad Vell. II, 55, 2, et Burmanno hoc loco *suus*.

12. *Hinc... inde*. Aut potius ut quidam codices, *hic... illic*.

13. *Suppressæ*. Plures codd. habent *submersæ*, aut *summersæ*. Non displicet autem Vulg. Liv. XX, 9:

14 captæ sunt. In eo prælio tanta virtus singulorum fuit,
ut, cujus laus prima esset, difficile judicium videre-
15 tur. Inter cæteros tamen Themistoclis adolescentis
gloria emicuit, in quo jam tunc indoles futuræ impe-
16 ratoriæ dignitatis apparuit. Cynægiri quoque, militis
Atheniensis, gloria magnis scriptorum laudibus cele-
17 brata est : qui post prælii innumeras cædes, quum
fugientes hostes ad naves egisset, onustam navem
dextra manu tenuit, nec prius dimisit, quam manum
18 amitteret : tum quoque amputata dextra, navem sinis-
tra comprehendit : quam et ipsam quum amisisset, ad
19 postremum morsu navem detinuit. Tantam in eo vir-
tutem fuisse, ut non tot cædibus fatigatus, non duabus
manibus amissis victus, truncus ad postremum, et
20 veluti rabida fera, dentibus dimicaverit. Ducenta mil-
21 lia Persæ eo prælio, sine naufragio, amisere. Cecidit
et Hippias, tyrannus Atheniensis, auctor et concitor
ejus belli, diis patriæ ultoribus pœnas repetentibus.

1 X. Interea et Darius, quum bellum restauraret, in
ipso adparatu decedit, relictis multis filiis, et in regno,
2 et ante regnum susceptis. Ex his Artemenes maximus
natu, ætatis privilegio, regnum sibi vindicabat : quod
jus, et ordo nascendi, et natura ipsa gentibus dedit.

Duæ primo concursu captæ erant Punicæ naves, quatuor suppressæ. ED.

15. *Themistoclis.* Quem unum ex novem Miltiadis collegis, decem prætoribus fuisse refert Plut. in vita Arist. cap 5. De Cynægiro idem refert Herodot. VI, 114, ubi τὴν χεῖρα ἀποκοπεὶς πελέκεϊ πίπτει : unde vides, *manum* hoc loco §. 17, non cum Gronov. avo et Grævio uncis esse includendam, quum, hoc vocabulo deleto ad *amitteret*, ex præc. subaudiendum esset *novem*.

19. *Tantum... fuisse.* De hac infinitivi constructione in Nostro frequenti conf. not. ad cap. 14, 9.

21. *Cecidit et Hippias.* Hippiam prælio adfuisse, Herodot. quoque refert VI, 102 et 107; de mortis genere silet.

X. 1. *Bellum restauraret.* Recepit Gronov. cum Oxoniense editore *instauraret*, bene. Nam τὸ *restaurare* ignorant meliores latinæ linguæ auctores. ED.

2. *Artemenes. Artabazanes*, quod habet Herodot. VII, 2, est in edit. Col., sicut *Artabazanes*, in Ald. Filios Darii ex Gobryæ filia Herodot.

Porro Xerxes controversiam non de ordine, sed de 3
nascendi felicitate referebat. « Namque Artemenem 4
primum quidem Dario, sed privato provenisse : se
regi primum natum. Fratres itaque suos, qui ante ge- 5
niti essent, privatum patrimonium, quod eo tempore
Darius habuisset, non regnum sibi vindicare posse :
se esse, quem primum in regno jam rex pater sustu- 6
lerit. Huc accedere, quod Artemenes non patre tantum, sed et matre privatæ adhuc fortunæ, avo quoque
materno privato, procreatus sit : se vero et matre re- 7
gina natum, et patrem non nisi regem vidisse; avum
quoque maternum Cyrum se regem habuisse, non
heredem, sed conditorem tanti regni; et si in æquo
jure utrumque fratrem pater reliquisset, materno ta- 8
men se jure et avito vincere. » Hoc certamen concordi 9
animo ad patruum suum Artaphernem, veluti ad domesticum judicem, deferunt : qui domi cognita caussa, 10
Xerxem præposuit : adeoque fraterna contentio fuit, ut nec victor insultaverit, nec victus doluerit; ipsoque litis tempore invicem munera miserint; et jucunda quoque inter se, non solum credula convivia habuerint; judicium quoque ipsum sine arbitris, sine con-

loco laudato habet tres, ex Atossa quatuor. — *Quod jus.* Explica in accus. hoc sensu : ordo et natura dedit hoc jus gentibus, i. e. omnes gentes hanc legem succedendi sanxerunt in natura ipsa rei sitam, ut prior natu succedat patri. Conf. infra XVI, 2, 7; XXI, 1, 1-2; XXXIV, 3, 7. — Anno Urbis 268.

5. *In regno.* Isthæc verba delenda censet Faber, quum puerile et redundans sit dicere : *Pater meus, jam rex, in regno me primum sustulit.* Junt. autem et optimi plures codd. habent *in regnum*, quod valde placet : nam sublatus *in regnum*, est sublatus *propter regnum, regni caussa, ad regnandum.* ED.

7. *Matre regina... avum Cyrum.* Respice I, 10, 14. Mater autem erat Atossa, Herodot. VII, 2, qui non per Artaphernem (Darii fratrem, Sardibus præfectum V, 25), sed per Demaratum, Spartanorum regem exsulem, hanc litem diremtam esse refert. Tres filios natu majores susceperat Darius privatus ex Gobryæ filia, Herodot. VII, 2.

10. *Credula.* Duo MSS. *crebra*, quod probant Freinsh. et Scheffer. Vulgatum qui tuetur Grævius, pro ingenio, inquit, humano solent

11 vicio fuerit. Tanto moderatius tum fratres inter se
regna maxima dividebant, quam nunc exigua patri-
12 monia partiuntur. Igitur Xerxes bellum a patre cœp-
tum adversus Græciam, quinquennium instruxit.
13 Quod ubi primum didicit Demaratus, rex Lacedæmo-
niorum, qui apud Xerxem exsulabat, amicior patriæ
post fugam, quam regi post beneficia, ne inopinato
bello opprimerentur, omnia in tabellis ligneis magis-
tratibus perscribit, eademque cera superinducta delet:
14 ne aut scriptura sine tegmine judicium daret, aut
recens cera dolum proderet: fido deinde servo perfe-
rendas tradit, jusso, magistratibus Spartanorum tra-
15 dere. Quibus perlatis, Lacedæmone quæstioni res diu
fuit, quod neque scriptum aliquid viderent, nec frus-
tra missas suspicarentur, tantoque rem majorem,
16 quanto sit occultior, putabant. Hærentibus in conjec-
tura viris, soror regis Leonidæ consilium scribentis
17 invenit. Erasa igitur cera, belli consilia deteguntur.
18 Jam Xerxes septingenta millia de regno armaverat,
19 et trecenta millia de auxiliis: ut non immerito prodi-

competitores inprimis regni semper alteri *diffidere* et vereri, ne alter spem vultu simulet, premat altum corde dolorem. Quo sensu Tibull. II, 1, 1: *Credula spes fovet vitam;* et Ovid. Her. VII, 21: *Credula res amor est.* Sunt ergo *convivia credula*, qualia homines creduli non suspiciosi, non sibi invicem diffidentes habere solent. — *Convicio. Concissis* babet Vincent. Bellov. in Spec. Hist. III, 36, probante I. M. Hensingero in Emendatt. pag. 200, male. Qua enim re hoc vere est ab *arbitris* diversum?

12. *Quinquennium.* Herodot. VII, 20, *quadriennium;* Diodor. XI, 1, *triennium;* quorum hic cap. 3, numerat 800,000 copiarum pedestrium milites, 1200 naves longas; ille quot numeret, exposui ad Cornel. Themist. 2, 5.

13. *Demaratus.* De cujus exsilii caussis lege Herodotum exponentem VI, 6, 61 seqq. — *Eademque.* (Omnia, quæ scripserat, literas) delet; aut si mavis explicare *eademque* per ablativum cum Grævio: eademque cera (erasa, jamque iterum) superinducta; ergo vetere, quum *recens* dolum prodere potuisset. Dresig. conjicit *ora* (tabularum), scil. extremitas tabularum lignearum recens confectarum. De re conf. Herodot. VII, 239. Hoc autem loco, licet omnibus intacto, vitiatum cum Scheff. textum existimo. ED.

18. *Septingenta millia.* Variant in

tum sit, flumina ab exercitu ejus siccata, Græciamque
omnem vix capere exercitum ejus potuisse. Naves quo- 20
que mille ducentas numero habuisse dicitur. Huic 21
tanto agmini dux defuit. Cæterum, si regem spectes,
divitias, non ducem laudes : quarum tanta copia in 22
regno ejus fuit, ut, quum flumina multitudine con-
sumerentur, opes tamen regiæ superessent. Ipse au- 23
tem primus in fuga, postremus in prælio, semper
visus est; in periculis timidus; sicubi metus abesset,
inflatus; denique ante experimentum belli, fiducia 24
virium, veluti naturæ ipsius dominus, et montes in
planum ducebat, et convexa vallium æquabat, et quæ-
dam maria pontibus sternebat, quædam ad navigatio-
nis commodum per compendium ducebat.

XI. Cujus introitus in Græciam quam terribilis, 1
tam turpis ac fœdus discessus fuit. Nam quum Leoni- 2
das, rex Spartanorum, cum quatuor millibus militum
angustias Thermopylarum occupasset, Xerxes, com-

numero auctores. Conf. Herodot. VIII, 184; Diodor XI, 5; Isocrat. Panath; Plin. XXXIII, 10. ED. — *Flumina exsiccata.* Echedorus enim fluvius illis potantibus defecit. Conf. Herodot. VII, 127, et cap. 43, cap. 109, cap. 196; coll. Curt. III, 10, 8, hoc loco §. 22.

20. *Naves quoque mille ducentas.* Multi legunt *naves quoque decies centum millia.* Meræ nugæ. ED.

22. *Opes... regiæ superessent.* Gronov. legit *regi* : quam puto non contemnendam lectionem : nam *regi* melius respondet præcedenti *si regem spectet*, quam *regiæ*. ED.

24. *Montes in planum ducebat.* MSS. atque edd. complures *deducebat* : quod quidem verbum hoc sensu bonis scriptoribus acceptum est. Senec. Epist. III : *Philosophiam a fastigio deducit in planum.* Curt. VI, 1 : *et donec avidius sequentes in planum deduxere, multi cadebant.* De re autem, montes ducebat, ut Athon, de quo Herodot. VII, 22-23; Diodor. XI, 2. Ipse ille mons, ut prior dicit, ad mare pertingens, desinit ad continentem in speciem peninsulæ cum isthmo 12 stadiorum. — *Maria.* Hellespontum, Herodot. VII, 34-35, ponte ab Abydo ad ulteriorem Europæ continentem per septem stadia (875 passus) ducto. Conf. Potteri Archæol. II, 216.

XI. 2. *Nam quum Leonidas, rex Spartanorum*, etc. De celeberrima illa pugna adi notata a me ad Cornelium, cap. 2, 3, 1; et Diodor. XI, 4-11. — *Marathonia.* Cap. 9, 9. — Pugna Thermopylarum, anno Urbis 374. ED.

temtu paucitatis, eos pugnam capessere jubet, quo-
3 rum cognati Marathonia pugna interfecti fuerant: qui, dum ulcisci suos quærunt, principium cladis fuere: succedente deinde inutili turba, major cædes editur.
4 Triduo ibi cum dolore et indignatione Persarum dimi-
5 catum: quarta die, quum nuntiatum esset Leonidæ, a xx millibus hostium summum cacumen teneri, tunc hortatur socios, « Recedant, et se ad meliora patriæ tempora reservent: sibi cum Spartanis fortunam ex-
6 periendam; plura se patriæ, quam vitæ debere:
7 cæteros ad præsidia Græciæ servandos. » Audito regis imperio, discessere cæteri, soli Lacedæmonii reman-
8 serunt. Initio hujus belli sciscitantibus Delphis oracula responsum fuerat, aut regi Spartanorum, aut
9 urbi cadendum. Et idcirco rex Leonidas quum in bellum proficisceretur, ita suos firmaverat, ut ire se pa-
10 rato ad moriendum animo scirent. Angustias propterea occupaverat, ut cum paucis aut majore gloria vinceret, aut minore damno reipublicæ caderet.
11 Dimissis igitur sociis, hortatur Spartanos, « Meminerint, qualitercunque prœliantibus cadendum esse: caverent, ne fortius mansisse, quam dimicasse vi-
12 deantur; nec exspectandum, ut ab hoste circumvenirentur, sed dum nox occasionem daret, securis et
13 lætis superveniendum: nusquam victores honestius,
14 quam in castris hostium perituros. » Nihil erat difficile persuadere persuasis mori: statim arma capiunt, et sexcenti viri castra quingentorum millium irrumpunt;

5. *Teneri*. Quippe proditum ab Ephialte, Herodot. VII, 213-218.

7. *Audito regis* etc. Coll. §. 11 et 14, ubi 600 Spartanos numerat, quum Herodotus, Diodorus et Pausanias nonnisi 300 numerent; postremus autem hic præter hos remansisse addat 480 Mycenæos et Thespios; primus (VII, 222; coll. 202) Thespienses atque Thebanos 700.

8. *Oraculum*. Herodot. VII, 220.

11. *Prœliantibus*. *Prœliarentur* igitur, quod habent edd. antiq. probatum Vorstio, est illius glossa.

statimque regis prætorium petunt, aut cum illo, aut si 15
ipsi oppressi essent, in ipsius potissimum sede mori-
turi. Tumultus totis castris oritur. Spartani, postea- 16
quam regem non inveniunt, per omnia castra victores
vagantur; cædunt, sternuntque omnia: ut qui sciant
se pugnare non spe victoriæ, sed in mortis ultionem.
Prælium a principio noctis in majorem partem diei 17
tractum. Ad postremum non victi, sed vincendo fati- 18
gati, inter ingentes stratorum hostium catervas occi-
derunt. Xerxes, duobus vulneribus terrestri prælio
acceptis, experiri maris fortunam statuit.

XII. Sed Atheniensium dux Themistocles, quum 1
animadvertisset, Ionas, propter quos bellum Persarum
susceperant, in auxilium regis classe venisse, solici-
tare eos in partes suas statuit. Et, quum colloquendi 2
copiam non haberet, quo applicituri erant, symbolos
proponi, et saxis proscribi curat: « Quæ vos, Iones, 3
dementia tenet? quod facinus agitatis? bellum inferre
olim conditoribus vestris, nuper etiam vindicibus,
cogitatis? An ideo mœnia vestra condidimus, ut essent 4
qui nostra delerent? quid? si non hæc et Dario prius, 5
et nunc Xerxi, belli caussa nobiscum foret, quod vos

15. *Regis prætorium*. Diodor. XI, 9, τὴν τοῦ βασιλέως σκηνήν. Curt. III, 11, 38, *tabernaculum* vocat. ED.

18. *Victi*. Græv. cum Gron. avo mavult *vi victi*. — *Catervas*. Sic Lucan. II, v. 135: *Collina quoque porta tulit stratas catervas;* Stat. Theb. v. 12: *Tellus fervet innumeris catervis, atque una ruina exspirat gens;* Liv. VII, 26, 7: *Sternere hostium catervas*. Non erat igitur, cur Faber pro *hostium catervas* conjiceret *cadaverum acervos*.

XII. 1. *Themistocles*. Omisit Justinus repetitas ad Artemisium Eubœæ insulæ promontorium navales pugnas, in quibus Græci, Themistoclis consilio et fortitudine, victores exstiterunt. ED. — *Propter quos*. Respice not. ad cap. 5, 13.

2. De *symbolis* Adi ind.; collide re Herod. VIII, 22, ubi Themistocles ἐντάμνει ἐν τοῖσι λίθοισι γράμματα.

3 *Conditoribus*. Vid. mein *histor. Handb.* vol. I, pag. 279-280. — *Vindicibus*. §. 1; unde explica hoc loco §. 5: *hæc Dario... belli nobiscum caussa*.

5. *Quid? si... destituimus*. Cantel. et aliæ editiones sic legunt hoc loco: *Quid si...* sublato post *quid* et ad finem periodi, puncto interroga-

6 rebellantes non destituimus? Quin vos in hæc nostra
7 castra ex ista obsidione transitis? Aut si hoc parum
tutum est, at vos commisso prælio ite cessim, inhibete
8 remis, et a bello discedite. » Ante navalis prælii con-
gressionem miserat Xerxes quatuor millia armatorum
9 Delphos, ad templum Apollinis diripiendum: prorsus,
quasi non cum Græcis tantum, sed et cum diis im-
10 mortalibus, bellum gereret: quæ manus tota imbribus
et fulminibus deleta est, ut intelligeret, quam nullæ
11 essent hominum adversus deos vires. Post hæc Thes-
pias, et Platæas, et Athenas vacuas hominibus incen-
dit; et quoniam ferro in homines non poterat, in ædi-
12 ficia igne grassatur. Namque Athenienses, post pug-
nam Marathoniam, præmonente Themistocle, victo-
riam illam de Persis, non finem, sed caussam majoris
13 belli fore, cc naves fabricaverant. Adventante igitur
Xerxe, consulentibus Delphis oraculum, responsum
14 fuerat, « Salutem muris ligneis tuerentur. » Themisto-
cles navium præsidium demonstratum ratus, persuadet

tivo. Alii habent *Quod si...* neutrum mihi placet, inquit Schefferus: mallem scribere, *Quasi non hæc...* EN.

6. *Quin transitis?* Cur non transitis? transite! — *Ex ista obsidione.* Quum istic a Persarum classe tamquam hostes sitis obsessi. Adduxerant autem regi Iones in auxilium naves centum, auctore Herodot. VII, 94.

7. *Est, at.* Sic emendavit Gronovius pro *exstat*, aut, quod est in Col., *existat*. Illi adstipulatur edit. Junt. — *Remis.* Sic correx. Gronovius pro *remos*, quum *remis inhibere* sit navi non conversa retro remigare, quod faciebant aut appulsuri ad litus et portum, aut in prælio fugam capessentes. Conf. Cic. ad Att. XIII, 21; Liv. XXXVII, 30, 10.

8-10. *Ante navalis* etc. Conf. Diodor. XI, 12-14, et Herodot. VIII, 35-39; de §. 11, conf. Herod. VIII, 49-55. — *Ut intelligeret vires.* Periz., Bechar., Ven., Flor., Med., Paris., Ald., Junt. *ut intelligeret, quanto gravior offensa deorum esset, tanto nullas esse hominum adversus deos vires.* EN.

11. — Anno Urbis 274.

12. *Post pugnam Marathoniam.* Ergo ab an. inde 264, cap. 9, 9. De re conf. Corn. in Them. II; coll. hoc loco cap. 9, 15.

13. *Consulentibus.* (Atheniensibus) *consulentibus Delphis* (Delphicum) oraculum, de quo confer Cornelium in Them. 2, 6-8, et Herodot. VII, 139-144.

14. *Themistocles navium* etc. Demonstratur vobis ab oraculo præsidium navium, scil. jubemini ab ora-

omnibus, « Patriam municipes esse, non mœnia; civi-
tatemque non in ædificiis, sed in civibus positam.
Melius itaque salutem navibus, quam urbi commis- 15
suros. Hujus sententiæ etiam Deum auctorem esse. »
Probato consilio, conjuges liberosque, cum pretiosis- 16
simis rebus, abditis insulis, relicta urbe, demandant:
ipsi naves armati conscendunt. Exemplum Athenien- 17
sium et aliæ urbes imitatæ. Itaque quum adunata omnis 18
sociorum classis, et intenta in bellum navale esset;
angustiasque Salaminii freti, ne circumveniri a multi-
tudine posset, occupassent; dissensio inter civitatum
principes oritur. Qui quum, deserto bello, ad sua 19
tuenda dilabi vellent, timens Themistocles, ne discessu
sociorum vires minuerentur, per servum fidum Xerxi
nuntiat, « Uno in loco eum contractam Græciam ca-
pere facillime posse. Quod si civitates, quæ jam abire 20
vellent, dissipentur, majori labore ei singulas con-
sectandas. » Hoc dolo impellit regem signum pugnæ 21
dare. Græci quoque, adventu hostium occupati, præ-
lium collatis viribus capessunt. Interea rex, velut spec- 22
tator pugnæ, cum parte navium in litore remanet.
Artemisia autem, regina Halicarnassi, quæ in auxilium 23

culo præsidio navium uti. — *Mœnia.* proprie ædificia, οἰκοδομήματα. Idcirco Florus I, 14: *mœnia muro amplexus est.* — *Civitatem.* Thucyd. VII, 14, 22: ἄνδρες, πόλις, καὶ οὐ τείχη; Tacit. Hist. I, 84: *Quid? vos, pulcherrimam hanc urbem, domibus et tectis, et congestu lapidum stare creditis?* Cic. ad Atticum Epist. VII, 9: *non est in parietibus respubl.* ED. — Patria consistit in municipibus (civibus), non mœnibus (ædificiis).

16. *Insulis.* Trœzeni, Salamini, Æginæ. Vide Corn. in Them. 2, 8; Herodot. VIII, 41.

17. *Aliæ urbes.* Aut potius civitates ut, §. 20, quas ex Herod. (VIII, 1 seqq. et 43-48) nominavi ad Corn. Them. 2, 8: qui idem cap. 4, conferendus de hoc loco §. 19; coll. Herodot. VIII, 56-75.

18. *Adunata.* *Adunare* verbum Nostro valde frequentatum, alibi vero paullo rarius est, et seram latinitatem sapit. ED.

19. *Dilabi.* Pro *delabi* dedi cum Gronov. et Burm. ex edd. antiq. sensu postulante.

21-27. *Hoc dolo* etc. Conf. Herodot. VIII, 74-90; coll. 56-73, et Diodor. XI, 15-19. — A. U. 274.

23. *Artemisia.* Conf. Herod. VIII,

Xerxi venerat, inter primos duces bellum acerrime
24 ciebat: Quippe ut in viro muliebrem timorem, ita in
25 muliere virilem audaciam cerneres. Quum anceps
prælium esset, Iones juxta præceptum Themistoclis,
pugnæ se paullatim subtrahere cœperunt: quorum
26 defectio animos cæterorum fregit. Itaque circumspicientes fugam pelluntur Persæ, et mox prælio victi,
27 in fugam vertuntur. In qua trepidatione multæ captæ naves, multæ mersæ; plures tamen non minus sævitiam regis, quam hostem timentes, domum dilabuntur.
1 XIII. Hac clade perculsum, et dubium consilii Xer-
2 xem Mardonius adgreditur. Hortatur, « In regnum abeat, ne quid seditionis moveat fama adversi belli, in
3 majus, sicuti mos est, omnia extollens: sibi ccc millia armatorum lecta ex omnibus copiis relinquat: qua manu aut cum gloria ejus perdomiturum se Græciam: aut, si aliter eventus ferat, sine ejusdem infamia hos-
4 tibus cessurum. » Probato consilio, Mardonio exercitus traditur: reliquas copias rex ipse reducere in
5 regnum parat. Sed Græci, audita regis fuga, consilium ineunt pontis interrumpendi, quem ille Abydo veluti victor maris fecerat; ut, intercluso reditu, aut cum exercitu deleretur, aut desperatione rerum, pacem
6 victus petere cogeretur. Sed Themistocles, timens, ne interclusi hostes desperationem in virtutem verterent, et iter, quod aliter non pateret, ferro patefacerent, « Satis multos hostes in Græcia remanere, dictitans,

87. — *Halicarnassi*. *Alycarnasi*, vel *Halycarnasi* simpliciter exhibent meliores MSS. tam Orosii quam Justini. — *Inter primos duces*. Plures edd. *inter primores*. ED.

27. *Domum*. Orosius ex tribus MSS. Florent. et edit. Fabric. *domos*. ED.

XIII. 3. *Sibi triginta millia* etc. Conf. Herod. VIII, 113; coll. 100.

5. *Abydo*. Not. supra cap. 10, 24.

6. *Ne interclusi*. Vegetius III, 21: *Clausis ex desperatione crescit audacia; quum spei nihil est, sumit arma formido. Ideoque Scipionis laudata sententia est, viam hostibus, qua fugiant, muniendam.* — *In Græcia*. Plures MSS. habent *in Græciam*, optime utrumque apud Nostrum. ED.

nec augeri numerum retinendo oportere; » quum vin- 7
cere consilio cæteros non posset, eundem servum ad
Xerxem mittit, certioremque consilii facit; et occu-
pare transitum, maturata fuga, jubet. Ille perculsus 8
nuntio, tradit ducibus milites perducendos; ipse cum
paucis Abydon contendit. Ubi quum solutum pontem 9
hybernis tempestatibus offendisset, piscatoria scapha
trepidus trajecit. Erat res spectaculo digna, et æsti- 10
matione sortis humanæ, rerum varietate mirandæ, in
exiguo latentem videre navigio, quem paullo ante vix
æquor omne capiebat; carentem etiam omni servo-
rum ministerio, cujus exercitus propter multitudinem
terris graves erant. Nec pedestribus copiis, quas du- 11
cibus adsignaverat, felicius iter fuit: siquidem quoti-
diano labori (neque enim ulla est metuentibus quies)
etiam fames accesserat. Multorum deinde dierum 12
inopia contraxerat et pestem; tantaque fœditas mo-
rientium fuit, ut viæ cadaveribus implerentur, alites-
que et bestiæ, escæ illecebris solicitatæ, exercitum
sequerentur.

XIV. Interim Mardonius in Græcia Olynthum ex- 1

7. *Vincere consilio.* Liv. VI, 23, *patere te vinci consilio.* Herodot. IX, 41, Κρατεῖν γνώμῃ. — *Eundem servum.* Cap. XII, 19. Aliter tamen rem narrat Herodot VIII, 108-110. — *Consilii.* Græcorum §. 5.

8. *Abydon.* Aut potius Seston. Abydus enim Phrygiæ erat urbs, unde in Europam ante trajecerat. Vid. not. ad cap. 10, 24 et Herodot. VIII, 117.

10. *Erat res spectaculo* etc. Erat sane res digna, quam adcuratius spectares; quippe ex qua æstimare posses sortem humanam: cujus quanta sit quamque mirabilis varietas, vel rex ille ostendebat, quem videres, etc. Vides igitur Grævium sensu postulante recte *mirandæ* correxisse pro *miranda*, quod idem ferri dicit, si ex edd. antiq. legis *ad* æstimationem rerum, humanæ sortis varietate miranda (res). De re conf. Herodot. VIII, 113-120. — *Vix æquor omne.* Immensa hujus regis navium multitudine tectum. Vid. not. ad Corn. Them. 2, 5; coll. Herodot. VII, 101-104 et 89-100.

11-12. *Nec pedestribus copiis,* etc. Conf. Herodot. VIII, 114-115.

XIV. 1. *Interim* etc. Conf. Diod. XI, 27-28. — *In Græcia.* Aut potius *in Thracia.* Vid. ind. Olynthum tamen non ab hoc, sed ab Artabazo

2 pugnat. Athenienses quoque in spem pacis, amici-
tiamque regis solicitat, spondens incensæ eorum
3 urbis etiam in majus restitutionem. Posteaquam nullo
pretio libertatem videt his venalem, incensis, quæ
4 ædificare cœperant, copias in Bœotiam transfert. Eo
et Græcorum exercitus, qui centum millium fuit,
5 sequutus est: ibique prælium commissum. Sed fortuna
regis cum duce mutata non est. Nam victus Mardo-
6 nius, veluti ex naufragio, cum paucis profugit. Castra
referta regalis opulentiæ capta. Unde primum Græcos,
diviso inter se auro Persico, divitiarum luxuria cepit.
7 Eodem forte die, quo Mardonii copiæ deletæ sunt,
etiam navali prælio in Asia sub monte Mycale, ad-
8 versus Persas dimicatum est. Ibi ante congressionem,
quum classes ex adverso starent, fama ad utrumque
exercitum venit, vicisse Græcos, et Mardonii copias
9 occidione occidisse. Tantam famæ velocitatem fuisse,

expugnatam et Chalcidensibus traditam narrat Herod. VIII, 126-127.

2. *Solicitat.* Excitatus discordia Spartanos inter et Athenienses exorta, Diodor. XI, 27-28; coll. Herodot. VIII, 140-144. — *Incensæ urbis.* Conf. 12, 11.

3. *Incensis... cœperant.* Adi Herodot. IX, 1 seqq. — Anno Urbis 275.

4. *Græcorum exercitus.* Ducibus *Pausania* Spartano et *Aristide* Atheniense. Vid. Cornel. III, 2, 1; IV, 1, 2; coll. Herodot. IX, 25-85, qui singularum gentium numero recensito connumerat 108-200 milites Græcos, IX, 28-30; coll. Diod. XI, 29-33. — *Ibi.* Ad *Platæas* cap. 12, 11.

5. *Profugit.* Cecidit auctore Herodot. IX, 63; Diodor. XI, 31; Plut. in Arist. 19, et Corn. IV, 1, 2. Noster contra sequitur Ctesiam, qui Mardonium vulneratum aufugisse tradit, et postea demum, quum ad Apollinis templum diripiendum profectus esset, grandine oppressum periisse. Herodotus contra Artabazum (not. ad §. 1) cum 40,000 aufugisse tradit, 3000 captos; cæsos igitur fuisse 257,000. Vide illum IX, 70; coll. VIII, 113. — Anno Urbis 275.

6. *Castra referta*, etc. Conf. Herodot. IX, 80-83; coll. VIII, 121.

7. *Eodem die.* 22 Sept. — *Mycale.* Vid. ind. — *Dimicatum est.* Pugna commissa est ducibus Leotychide Spartano, et Xanthippo Atheniense, Diodor. XI, 34-36; Herodot. IX, 90-107. — Anno Urbis 275.

8. *Occidione.* Ven., Ald. et aliquot MSS. *occisione.* De fama illa miranda confer Herodot. IX, 100-101, et Diodor. XI, 35.

9. *Tantam... fuisse.* De infin. *fuisse* hoc modo posito, in quo subaudi *mirandum est*, conf. II, 9, 19; VIII,

ut, quum matutino tempore prælium in Bœotia commissum sit, meridianis horis in Asiam, per tot maria, et tantum spatii, tam brevi horarum momento, de
victoria nuntiatum sit. Confecto bello, quum de præ- 10
miis civitatum ageretur, omnium judicio, Atheniensium virtus cæteris prælata. Inter duces quoque The- 11
mistocles princeps, civitatum testimonio, judicatus gloriam patriæ suæ auxit.

XV. Igitur Athenienses aucti, et præmiis belli, et 1
gloria, urbem ex integro condere moliuntur. Quum 2
mœnia majora complexi fuissent, suspecti esse Lacedæmoniis cœpere, recte reputantibus, quibus ruina urbis tantum incrementi dedisset, quantum sit datura
munita civitas. Mittunt ergo legatos, qui monerent, 3
« Ne munimenta hostibus, et receptacula futuri belli
exstruant. » Themistocles, ut vidit spei urbis invideri, 4
non existimans abrupte agendum, respondit legatis, « Ituros Lacedæmona, qui de ea re pariter cum illis
consulant. » Sic dimissis Spartanis, hortatur suos, 5
« opus maturent. » Dein ipse, interjecto tempore, in 6
legationem proficiscitur; et nunc in itinere infirmitate simulata, nunc tarditatem collegarum accusans, sine quibus agi jure nihil possit, diem de die proferendo,

2, 12; XIV, 5, 7; V, 4, 12. — De re autem confer Diodor. XI, 35; Plutarch. in Æmilio, cap. 40. Hic ut Diod. notavit, deficit Herodoti historia.

10-11. *Confecto* etc. Conf. Diod. XI, 27; coll. locis a me ad Corn. II, 5, 3 laudatis, inprimis Herod. VIII, 123-124.

XV. 1. *Urbem ex integro condere.* Respice cap. 14, 2 et 12, 11. De re ipsa hoc loco §. 1-12 conf. Diodor. XI, 39-40; coll. Corn. II, 6, 1; Thucyd. I, 89-93.

2. *Suspecti esse* etc. De invidia Spartanorum ob victoriam Salaminiam in Athenienses conjecta, lege Diodor. XI, 27. — A. U. 276.

4. *Consulant.* Bongarsius et Col. *consultent.*

6. *In legationem.* Plerique *in legatione*, quod non Schefferus putat contemnendum : solent enim apud Nostrum ita casus permutari, quo modo cap. 13, ad verba *in Græcia* observavimus. — *Agi.* Sebisius mavult *agere :* nihil autem nobis mutandum videtur.

7 spatium consummando operi quærebat: quum interim
nuntiatur Spartanis, opus Athenis maturari; propter
quod denuo legatos mittunt ad inspiciendam rem.
8 Tum Themistocles per servum magistratibus scribit
Atheniensium, « Legatos vinciant, pignusque teneant,
9 ne in se gravius consulatur. » Adiit deinde concionem
Lacedæmoniorum : indicat, « Permunitas Athenas
esse, et posse jam illatum bellum non armis tantum,
10 sed etiam muris sustinere : si quid ob eam rem de se
crudelius statuerent, legatos eorum in hoc pignus
11 Athenis retentos. » Graviter deinde castigat eos, « Quod
non virtute, sed imbecillitate sociorum, potentiam
12 quærerent. » Sic dimissus, veluti triumphatis Sparta-
13 nis, a civibus excipitur. Post hæc Spartani, ne vires
otio corrumperent, et ut bis illatum a Persis Græciæ
bellum ulciscerentur, ultro fines eorum depopulantur.
14 Ducem suo sociorumque exercitui deligunt Pausa-
niam : qui, pro ducatu, regnum Græciæ adfectans,
proditionis præmium cum Xerxe nuptias filiæ ejus
paciscitur, redditis captivis, ut fides regis aliquo bene-
15 ficio obstringeretur. Scribit præterea Xerxi, « Quos-
cunque ad se nuntios misisset, interficeret : ne res

8. *Vinciant*. In custodia teneant, ut Clœlia, obses Etruscis data apud Virg. Æn. IX, v. 652, fluvium innat *vinclis* ruptis, ubi Servius : vincla pro *custodiis* accipimus, quia obsides non ligantur.

11. *Quod non virtute*. Ald., Junt. *quod non sua virtute;* nec male. ED.

13. *Bis illatum*. A Dario et Xerxe cap. 9 et 10, 12.

14. *Pausaniam*. Conf. Diodor XI, 44-47 et Corn. IV, 2, 1, ibique a me notata, coll. ibid. in Arist. 2, 2, hoc loco §. 16. — A. U. 278.

15. *Quoscunque ad se* etc. Oratione recta : *quoscunque ad te nuntios misero, interficito*. Hic autem τὸ *nuntios* ignorant melioris notæ MSS. variantque in *potios, pontios, pontion, nuncios pontios :* inde suspicatur Bongars. vocem hic aut barbaram, aut Justini ævo usurpatam, aut Persicam latere. Grævius autem a Bongarsio dissentiens existimat *pontios* se rectissime habere, sed de iis qui ex Ponto sunt, oportere accipi. Fuit nempe Pausanias in Hellesponto constitutus, quum scriberet ad Xerxem, ut ex Thucydide manifestum. Igitur qui mittebantur erant *Pontii*, græce Πόντιοι ut apud Stephanum est legere. ED.

loquacitate hominum proderetur.» Sed dux Athenien- 16
sium Aristides, belli socius, collegæ conatibus obviam
eundo, simul et in rem sapienter consulendo, proditionis consilia discussit. Nec multo post accusatus Pausanias, damnatur. Igitur Xerxes, quum proditionis 17
dolum publicatum videret, ex integro bellum instituit.
Græci quoque ducem constituunt Cimonem Athe- 18
niensem, filium Miltiadis, quo duce apud Marathonem pugnatum est, juvenem, cujus magnitudinem futuram pietatis documenta prodiderunt. Quippe pa- 19
trem ob crimen peculatus in carcerem conjectum, ibique defunctum, translatis in se vinculis, ad sepulturam redemit. Nec in bello judicium deligentium 20
fefellit: siquidem non inferior virtutibus patris, Xerxem terrestri navalique bello superatum, trepidum recipere se in regnum coegit.

16. *Socius.* Plures edd. et codd. addunt *electus.* — *In rem consulendo.* Adi ind. in *consulere.*

17. *Instituit.* Græv. ex II, 10, 12 mavult *instruit.* Illod certe, quod est anfangen, hoc loco est ineptum; nec melius, quod est in cod. Bodleiano, *restituit.*

18. *Pugnatum est.* Cap. 9, 9-10.

19. *Quippe patrem* etc. Conf. Cornel. I, 7, 5, et V, 1, 1.

20. *Xerxem superat.* Diodor. XI, 60-62; coll. Cornel. in Cim. 2, 2-3, ibique a me laudata; Thucyd. I, 100; Plut. in Cim. cap. 12, apud *Eurymedonta*, Pamphyliæ fluvium, ubi Phœnices et Cyprios pro Persis pugnantes vicit, non autem ipsum regem Persarum, qui *Xerxes* fuit, si hunc anno demum Urbis 289, olymp. 78, 4, interiisse statuis cum Diodor. XI, 69; *Artaxerxes* autem, si cum aliis id jam an. 280 accidisse statuis. — A. U. 284.

LIBER III.

1 I. Xerxes rex Persarum, terror ante gentium, bello
in Græciam infeliciter gesto, etiam suis contemtui esse
2 cœpit. Quippe Artabanus, præfectus ejus, deficiente
quotidie regis majestate, in spem regni adductus, cum
septem robustissimis filiis regiam vesperi ingreditur
(nam amicitiæ jure semper illi patebat), trucidatoque
rege, voto suo obsistentes filios ejus dolo adgreditur.
3 Securior de Artaxerxe, puero admodum, fingit regem
a Dario, qui erat adolescens, quo maturius regno
potiretur, occisum; impellit Artaxerxem parricidium
4 parricidio vindicare. Quum ventum ad domum Darii
esset, dormiens inventus, quasi somnum fingeret,
5 interficitur. Dein quum unum ex regis filiis sceleri suo
superesse Artabanus videret, metueretque de regno
certamina principum, adsumit in societatem consilii
Bacabasum: qui præsenti statu contentus, rem prodit
6 Artaxerxi, « Ut pater ejus occisus; ut frater falsa par-
ricidii suspicione oppressus; ut denique ipsi pararen-

I. 1. *In Græciam.* Plures MSS. et edd. *in Græcia.* ED. — *Terror gentium.* Respice II, 10, 18, cap. 11, 1. — *Contemtui.* Alias quoque ob caussas, Herodot. IX, 108-113.

2. *Præfectus.* Vid. ad §. 8. — *Trucidato rege.* De anno respice not. ad II, 15, 20. — A. U. 281.

3. *De Artaxerxe.* Cui cognomen *Longimano.* Alius est infra V, 11, 1, cui cognomen *Mnemon.*

5. *Bacabasum.* Quem eundem Μεγάβυζον appellat Ctesias. Pers. cap. 30. ED. — Aliter narrat rem Diodorus XI, 69. Primum enim nominat tertium quoque regis filium, *Hystaspem*, Bactrianorum satrapam; deinde Artabanus ille *solus*, conscio cubiculario et eunucho Mithridate, regem occidit; tum demum, adsumtis filiis, Artaxerxem gladio adgressus ab hoc vulnerato occiditur.

tur insidiæ.» His cognitis Artaxerxes, verens Artabani 7
numerum filiorum, in posterum diem paratum esse
armatum exercitum jubet, quasi recogniturus et nu-
merum militum, et in armis industriam singulorum.
Itaque quum inter cæteros et ipse Artabanus armatus 8
adsisteret, rex simulat se breviorem loricam habere:
jubet Artabanum secum commutare: exuentem se, ac
nudatum, gladio trajicit; tum et filios ejus corripi
jubet. Atque ita egregius adolescens et cædem patris, 9
et se ab insidiis Artabani vindicavit.

II. Dum hæc in Persis geruntur, interea Græcia 1
omnis, ducibus Lacedæmoniis et Atheniensibus, in
duas divisa partes, ab externis bellis, velut in viscera
sua, arma convertit. Fiunt igitur de uno populo duo 2
corpora; et eorundem castrorum homines in duos
hostiles exercitus dividuntur. Hinc Lacedæmonii com- 3
munia quondam civitatum auxilia ad vires suas tra-
hebant: inde Athenienses, et vetustate gentis, et gestis
rebus illustres, propriis viribus confidebant. Atque ita 4
duo potentissimi Græciæ populi, institutis Solonis et
Lycurgi legibus pares, ex æmulatione virium in bel-
lum ruebant. Namque Lycurgus quum fratri suo Poly- 5
dectæ, Spartanorum regi, successisset, regnumque

7. *Quasi*. Recepi, suadente I. M. Heusingero in Emend. pag. 200 ex Vincent. Bellov. Spec. Hist. III, 41.

8. *Armatus*. Erat autem præfectus prætorio, sive princeps satellitum: Diod. loco laudato.

9. *Patris*. Junt. addit *et necem fratris*. Diodorus autem solummodo, τὸν φονέα τοῦ πατρός. ED.

II. 2. *Eorundem.... dividuntur*. Græci, qui contra Persas iisdem castris egressi, iisdem ducibus dimicaverant, jam in duas partes divisi sibi invicem bellum inferunt. Caussam simultatis infra auctor adfert cap. 6.

3. *Hinc... inde*. Ut II, 9, 12; III, 5, 4. — *Vetustate gentis*. II, 6, 1 seqq. — *Gestis rebus*. II, 6, 1: inprimis pugna Marathonia et Salaminia, II, 9 et 12; cap. 14, 10-11.

4. *Institutis... pares*. Quorum legislatores, Solon et Lycurgus, utramque civitatem instituerant sapientissime.

5. *Polydectæ*. Ex Herodoto autem et Pausania Glareanus legit pro *Polydectæ*, *Echestrato*, et infra pro *Cha-*

sibi vindicare potuisset, Charilao, filio ejus, qui natus posthumus fuerat, quum ad ætatem adultam perve-
6 nisset, regnum summa fide restituit: ut intelligerent omnes, quanto plus apud bonos pietatis jura, quam
7 omnes opes, valerent. Medio igitur tempore dum infans convalescit, tutelamque ejus administrat, non habentibus Spartanis leges instituit, non inventione
8 earum magis, quam exemplo clarior. Siquidem nihil lege ulla in alios sanxit, cujus non ipse primus in se
9 documenta daret. Populum in obsequia principum,
10 principes ad justitiam imperiorum formavit. Parcimoniam omnibus suasit, existimans, laborem militiæ
11 adsidua frugalitatis consuetudine faciliorem fore. Emi singula non pecunia, sed compensatione mercium
12 jussit. Auri argentique usum, velut omnium scelerum materiam, sustulit.

rilao, *Labota*. ED. — De Lycurgo adi Plutarchum in vita satis copiose descripta, aliosque scriptores a me laudatos *in meinem histor. Handb.* vol. I, pag. 11. De Lycurgi autem institutis vide quoque *Bossuet*, *Disc. sur l'hist. univers.*, III *part.*, *sect* 5. ED.

6. *Pietatis*. Amoris in fratrem fratrisque filium.

7. *Ejus*. Elegantius dixeris: *hujus ipse*. Hoc enim pronomen posterius necessarium est, quum aliud subjectum insit verbo *administrat*, aliud præcedenti *convalescit*. — *Magis... clarior*. Contra grammaticos Canonas. Quamquam autem hæc constructio non est optimis scriptoribus usitata, Florus tamen, IV, 2, 72, *Minus admirabilior*; Plaut. Stich. v. 4: *magis dulcius*; Virg. in Culice, v. 7:

Quis magis optato queat esse beatior ævo?
ED.

— Ante Urbem conditam 130; anno mundi 3100.

8. *Documenta*. Plures MSS. habent *documentum*. ED.

9. *Principum*. Regum geminorum et ephororum, qui annui eligebantur quini, et senatorum perpetuorum, viginti octo numero, non infra 60 annos ætatis, cap. 3, 2. — *Justitiam imperiorum*. Justa imperia, sive ut nihil injusti a populo exigerent: quo fere modo Cato ille Censorius, proconsul Hispaniæ apud Liv. XXXIV, 18, 4, in neminem omnium gravius severiusque, quam in semet ipsum exercebat imperium.

10. *Parcimoniam omnibus suasit*, *existimans*, *laborem* etc Plerique MSS *parcimoniam omnibus Item existimans*. Quid sibi vult hæc lectio? Illud tamen *suasit* in nullis comparet libris, nisi in MS Leid. ED.

12. *Auri argentique usum*, *velut omnium scelerum materiam*, *sustulit*. Introduxit contra æs non signatum, sed ponderandum.

III. Administrationem reipublicæ per ordines divisit: regibus potestatem bellorum; magistratibus ju- 2
dicia per annuas successiones; senatui custodiam legum; populo sublegendi senatum, vel creandi quos vellet magistratus, potestatem permisit. Fundos om- 3
nium æqualiter inter omnes divisit, ut æquata patrimonia neminem potentiorem altero redderent. Con- 4
vivari omnes publice jussit, ne cujus divitiæ vel luxuria in occulto essent. Juvenibus non amplius una veste 5
uti toto anno permisit, nec quenquam cultius quam alterum progredi, nec epulari opulentius, ne imitatio in luxuriam verteretur. Pueros puberes non in forum, 6
sed in agrum deduci præcepit, ut primos annos non in luxuria, sed in opere et laboribus agerent. Nihil 7
eos somni caussa substernere, et vitam sine pulmento degere, neque prius in urbem redire, quam viri facti

III. 2. *Bellorum.* Gerendorum, scilicet bellorum reges duces esse voluit. — *Magistratibus. Ephoris*, qui quini legebantur anni, quibusque judicia attribuit, etsi non de omnibus, de potissimis tamen maximique momenti rebus. Quorum quanta potestas fuerit, vel unus Pausanias ostendit, quem regem ab his in vincula publica conjectum esse refert Corn. IV, 3, 5. — *Per annuas successiones.* Præpositio *per* in nullo codd. MS. invenitur. Plures edd. *et annuas successiones;* reliqui autem MSS. cum editione Rom. *et annuos successores.* ED. — *Populo sublegendi senatum.* Populus autem sublegit senatum, qui quum perpetuus esset viginti octo viris constans, sublegendus erat; magistratus contra, sive ephori creandi, quum ephori annui essent.

3. *Inter omnes.* Cives Spartanos 9000, inter quos Spartæ agros æqualiter divisit; reliquos totius regionis agros inter 30,000 domos.

4. *Convivari omnes publice jussit.* Συσσίτια instituit; de quibus adi Potteri Archæol. I, 394.

5. *Verteretur.* Bene: nec opus cur Sebisius conjiciat legendum esse *verteret.* Quoties enim dicunt *vertit* aut *convertit* pro *vertitur*, subaudiendum est *se.* ED.

6. *Non in forum.* Ut Romæ, ubi pueri, prætexta deposita, puramque togam induti, forum frequentabant. Cic. Læl. 1. — *Opere.* Rustico, quo exercentur laboribus, scilicet quod et ipsum est laboriosum, et perferre docet labores bellicos. Conf. Cic. Tusc. II, 14; V, 27; Corn. VII, 11, 4, ibique laud. Plut. in Alcib. 23, et Athen. XII, 9.

7. *Nihil eos somni caussa substernere, et... degere.* Nec ad dormiendum, lectis, nec ad vescendum, cibis conditis uti jussit. ED.

8 essent, statuit. Virgines sine dote nubere jussit, ut uxores eligerentur, non pecuniæ; severiusque matrimonia sua viri coercerent, quum nullis dotis frænis
9 tenerentur. Maximum honorem non divitum et potentium, sed pro gradu ætatis, senum esse voluit. Nec sane usquam terrarum locum honoratiorem senectus
10 habet. Hæc quoniam primo, solutis antea moribus, dura videbat esse, auctorem eorum Apollinem Delphicum fingit, et inde se ea ex præcepto numinis detulisse, ut consuescendi tædium metus religionis
11 vincat. Dein ut æternitatem legibus suis daret, jurejurando obligat civitatem, nihil eos de ejus legibus mutaturos, priusquam reverteretur: et simulat, se ad oraculum Delphicum proficisci, consulturum, quid
12 addendum mutandumve legibus videretur. Proficiscitur autem Cretam, ibique perpetuum exsilium egit, abjicique in mare ossa sua moriens jussit, ne relatis Lacedæmonem, solutos se Spartani religione jurisjurandi in dissolvendis legibus arbitrarentur.

1 IV. His igitur moribus ita brevi civitas convaluit, ut, quum Messeniis, propter stupratas virgines suas in

9. *Nec sane* etc. Exemplum habes apud Cic. in Caton. XVIII, 6: ideo Juvenalis, XIII, 53:

Credebant hoc grande nefas, et morte piandum,
Si juvenis vetulo non adsurrexerat..... ED.

10. *Apollinem Delphicum* Conf. Cic. Divin. I, 43; Pausan. III, 2, 4; Herodot. I, 65. — *Metus religionis.* Metus religionis (deorum) vincit tædium consuescendi, scil. cives, deum harum legum auctorem verentes, adsuescunt his quamvis durissimis.

11. *Ut æternitatem legibus suis daret.* Steterunt 700 annis ex Liv. XXXVIII, 34, 9; 500 ex Plutarcho, in Lycurgo, cap. 56. ED.

12. *Ibique perpetuum exsilium egit.* De loco mortis ac sepulturæ dissensum auctorum ostendit Plutarch. ED. — *Abjicique... arbitrarentur.* Simile infra cap. 4, 13-16.

IV, 1. *Propter stupratas virgines.* Adi Pausaniam IV, 4, 2, latius hæc narrantem; coll. Diod. VIII, fragm. 3. — *Messeniam.* Schefferus hic legi volt *Messenam* aut *Messenen*, bene. *Nam Messenia* est ager seu territorium Messeniorum; *Messena* autem vel *Messene* est urbs territorii princeps. Plin. IV Hist. Nat. 5: *Ibi regio Messenia... intus autem ipsa Messene.* ED. — *Spondentes.* Construe cum præc. *obstrinxerint* hoc sensu:

solenni Messeniorum sacrificio, bellum intulissent,
gravissima se exsecratione obstrinxerint, non prius,
quam Messeniam expugnassent, reversuros; tantum
sibi vel de viribus suis, vel de fortuna spondentes.
Quæ res initium dissensionis Græciæ, et intestini belli 2
caussa et origo fuit. Itaque quum contra præsumtio- 3
nem suam annis decem in obsidione urbis tenerentur,
et querelis uxorum post tam longam viduitatem re-
vocarentur: veriti, ne hac perseverantia belli gravius 4
sibi, quam Messeniis nocerent: quippe illis, quantum
juventutis bello intercidat, mulierum fœcunditate
suppleri; sibi et belli damna adsidua, et fœcunditatem
uxorum, absentibus viris, nullam esse: itaque legunt 5
juvenes ex eo genere militum, qui post jusjurandum
in supplementum venerant; quibus Spartam remissis
promiscuos omnium feminarum concubitus permi-
sere: maturiorem futuram conceptionem rati, si eam 6
singulæ per plures viros experirentur. Ex his nati ob 7
notam materni pudoris, Partheniæ vocati. Qui quum 8
ad annos XXX pervenissent, metu inopiæ (nulli enim
pater exsistebat, cujus in patrimonium successio spe-
raretur), ducem Phalanthum adsumunt, filium Arati,
qui auctor Spartanis fuerat juventutis ad generandam
sobolem domum remittendæ: ut, sicuti dudum patrem 9

obstrinxerunt se, quum spouderent, scil. quia spondebant. — *Brevi.* Non adeo brevi. Lycurg. enim quum leges tulisset ante U. C. 130; bellum hoc exarsit anno demum post U. C. 11; ergo post 141 annos. — A U. 11-31.

3. *Annis decem.* Strabo VI, p. 428.

4. *Quantum juventutis.* Quanta juventus, sive quot juvenes, ut I, 3, 3, *tantum virorum.* — *Suppleri.* Quo sensu legimus apud Senec. Hipp. v. 469: *Venus supplet ac restituit humanum genus.*

5. *Itaque.* Post longam parenthesin. Cohæret enim *veriti* cum *legunt*: quum vererentur, legunt.

6. *Rati.* Quia rebantur, feminas eo maturius (celerius cap. 1, 3) esse concepturas.

7. *Partheniæ.* Ita vett. et Græci non *Parthenii* ut vulgo. Ii sunt *Partheniæ* quos *spurios* auctor appellat XX, 1, 15. ED.

8. *Phalanthum.* Sic scripsi ex Pausan. X, 10, 3, non *Palantum*, ut nonnulli codices.

ejus nascendi auctorem habuissent, sic ipsum spei ac
10 dignitatis suæ haberent. Itaque nec salutatis matribus,
e quarum adulterio infamiam collegisse videbantur,
11 ad sedes inquirendas proficiscuntur; diuque et per
varios casus jactati, tandem in Italiam deferuntur; et
occupata arce Tarentinorum, expugnatis veteribus
12 incolis, sedes ibi constituunt. Sed post annos plurimos
dux eorum Phalanthus, per seditionem in exsilium
proturbatus, Brundisium se contulit, quo expulsi
13 sedibus suis veteres Tarentini concesserant. His mo-
riens persuadet, « Ut ossa sua, postremasque reliquias
conterant, et tacite spargi in foro Tarentinorum cu-
14 rent. Hoc enim modo recuperare illos patriam suam
15 posse, Apollinem Delphis cecinisse. » Illi arbitrantes
eum in ultionem sui, civium fata prodidisse, præceptis
16 paruere : sed oraculi diversa sententia fuerat. Perpe-
tuitatem enim urbis, non amissionem, hoc facto pro-
17 miserat. Ita ducis exsulis consilio, et hostium minis-
terio, possessio Tarentina Partheniis in æternum fun-
18 data. Ob cujus beneficii memoriam Phalantho divinos
honores decrevere.

1 V. Interea Messenii, quum virtute non possent, per
2 insidias expugnantur. Dein quum per annos LXXX

11. *Per varios casus.* Naufragium enim in mari Crissæo passum, a delphino in terram delatum refert Pausan. X, 13, 5. — *Tarentinorum.* Quos barbaros vocat Pausanias X, 10, 3 : quos Iapygas sive Messapios fuisse, Illyrici, quantum adsequi licet, generis, ex oraculo intelligitur, a deo Phalantho ante profectionem dato, apud Strab. VI ;

Σατύριόν τοι δῶκα, Τάραντά δὲ πίονα δῆμον
Οἰκῆσαι, καὶ πῆμα Ἰαπύγεσσι γενέσθαι.

— Anno Urbis 50.

V. 1. *Insidias.* De quibus vide Pausan. IV, 5, 3.

2. *Dein quum... perpessi essent.* Hunc locum ita distingui vult Vossius probante Grævio : *Dein quum per annos octoginta gravia servitutis, verbera plerumque et vincula, cæteraque captivitatis mala perpessi essent.* ED. — *Per annos octoginta.* Sic Euseb. in Chron. I, olymp. 35, 3, A. U. 116, quod confirmat Tyrtæi ætas, qui se tertia γενεᾷ post primum bellum, scil. 90 annis post, ab Atheniensibus missum esse ad Lacedæmonios canit, observante Valesio

gravia servitutis verbera, plerumque et vincula, cæteraque captivitatis mala perpessi essent, post longam pœnarum patientiam, bellum restaurant. Lacedæ- 3
monii quoque eo conspiratius ad arma concurrunt, quod adversus servos dimicaturi videbantur. Itaque 4
quum hinc injuria, inde indignitas animos acueret, Lacedæmonii, de belli eventu oraculo Delphis consulto, jubentur ducem belli ab Atheniensibus petere. Porro Athenienses, quum responsum cognovissent, 5
in contemtum Spartanorum Tyrtæum poetam claudum pede misere: qui tribus præliis fusus, eo usque 6
desperationis Spartanos adduxit, ut, ad supplementum exercitus, servos suos manumitterent, hisque interfectorum matrimonia pollicerentur: ut non nu- 7
mero tantum amissorum civium, sed et dignitati succederent. Sed reges Lacedæmoniorum, ne, contra for- 8
tunam pugnando, majora detrimenta civitati infligerent, reducere exercitum voluerunt; ni intervenisset 9
Tyrtæus, qui composita carmina exercitui pro concione recitavit, in quibus hortamenta virtutis, dam-

ad Diodori VIII, fragm. 3. Pausanias contra IV, 4, 3, non nisi unam ætatem numerat, et quidem magis definite IV, 15, 1, anno post primum trigesimo nono, olymp. 23, 4, i. e., A U. 69. — A. U. 31.

3. *Conspiratius*. Edit. Ald., Junt. *conspirantius*. Boxhornius legit *concitatius*; Sebisius *confirmatius*. Nil nobis mutandum videtur. — *Quod adversus*. *Quod* pro *quo* legit Acidalius, conjectura quam firmant edd. Ald. et Junt. et plures MSS. ED. — *Servos*. Ergo servilia, humilia, ignavi animi homines. Conf. II, 5, 4. — Anno Urbis 69-96.

4. *Hinc... inde*. Cap. 2, 3.

6. *Fusus*. Gronovius nepos cum avo recepit ex 4 codd. *fusos*. Jam enim ante quam Tyrtæus adveniret, fugati erant, ut vult Gronovius avus. Quod si est, cur ille dici potest Spartanos ad desperationem adduxisse?

8. *Infligere*. *Infligere* detrimenta, ut vulnera. Fortius igitur illud, quam quod Vorstius conjicit Grævio probatum *injungere*.

9. *In quibus hortamenta virtutis, damnorum solatia*, etc. In quibus milites hortabatur ad virtutem, consolabatur de damnis acceptis, consilia suppeditabat de bello fortiter prudenterque gerendo. Tres autem hujus poetæ elegiæ exstant: de quo Horatius, Arte Poetica, 402:

Tyrtæusque mares animos in martia bella
Versibus exacuit...

ED.

10 norum solatia, belli consilia conscripserat. Itaque
tantum ardorem militibus injecit, ut non de salute,
sed de sepultura soliciti, tesseras, insculptis suis et
11 patrum nominibus, dextro brachio deligarent: ut, si
omnes adversum prælium consumsisset, et temporis
spatio confusa corporum lineamenta essent, ex indicio
12 titulorum tradi sepulturæ possent. Quum sic animatum
reges exercitum viderent, curant rem hostibus nun-
13 tiari. Messeniis autem non timorem res, sed æmula-
14 tionem mutuam dedit. Itaque tantis animis concursum
15 est, ut raro unquam cruentius prælium fuerit. Ad
postremum tamen victoria Lacedæmoniorum fuit.

1 VI. Interjecto tempore, tertium quoque bellum
2 Messenii reparavere: in cujus auxilium Lacedæmonii,
inter reliquos socios, etiam Athenienses adhibuere.
3 Quorum fidem quum suspectam haberent, superva-
4 caneos simulantes, a bello eosdem dimiserunt. Hanc
rem Athenienses graviter ferentes, pecuniam, quæ
erat in stipendium Persici belli ab universa Græcia
collata, a Delo Athenas transferunt, ne, deficientibus
a fide societatis Lacedæmoniis, prædæ ac rapinæ esset.
5 Sed nec Lacedæmonii quievere: qui, quum Messenio-
rum bello occupati essent, Peloponnenses immisere,

10. *Tesseras*. Fuerunt tabulæ ligneæ quas Polyænus I, ea de re agens σκυταλίδας vocat. ED.

VI. 1. *Interjecto tempore*. Alterum quum A. U. 86 finitum esset, hoc tertium initium cepit anno demum 285. Conf. Diodor. XI, 63-64, qui initium hujus belli *decennis* ponit olymp. 77, 4, sive A.U. 285. — *Quartum*. His addit quartum bellum Diodorus XIV, 34, qui olymp. 94, 4, A. U. 353, Messenios sedibus suis, Cephallenia et Naupacto, a Spartanis ejectos, demigrasse narrat tum Syracusas, tum Cyrenen. — Anno Urbis 285-295.

3. *Fidem... suspectam haberent*. Scil. quum Athenienses ad Messenios inclinare suspicarentur, ut ait Diod. XI, 64; coll. Thuc. I, 102.

4. *Pecuniam... collata*. A. U. 278, cujus arbiter Aristides fuerat delectus, ut ait Corn. III, 3, 1, ubi vid. a me notata de summa hujus pecuniæ. — *Transferunt*. Non autem statim hoc tempore, sed sub initium demum belli Peloponnesiaci, anno Urbis 323.

qui bellum Atheniensibus facerent. Parvæ tunc tem- 6
poris, classe in Ægyptum missa, vires Atheniensibus
erant. Itaque navali prælio dimicantes facile superan-
tur. Interjecto deinde tempore, post reditum suorum 7
aucti et classis et militum robore, prælium reparavere.
Jam et Lacedæmonii, omissis Messeniis, adversus 8
Athenienses arma verterant. Diu varia victoria fuit: 9
ad postremum æquo marte utrinque discessum. Inde 10
revocati Lacedæmonii ad Messeniorum bellum, ne
medium tempus otiosum Atheniensibus relinquerent,
cum Thebanis paciscuntur, ut Bœotiorum imperium
his restituerent, quod temporibus Persici belli ami-
serant, ut illi Atheniensium bella susciperent. Tantus 11
furor Spartanorum erat, ut, duobus bellis impliciti,
suscipere tertium non recusarent, dummodo inimicis

5. *Qui... facerent*. A. U. 293, ergo duobus annis ante bellum finitum, Spartani auxilium miserunt Doriensibus, Parnassi accolis contra Phocenses; qui quum auxilium petiisseut ab Atheniensibus, hi cum Argivis et Thessalis coujuncti, a Spartanis sunt cæsi ad Tanagram Bœotiæ oppidum, Thuc. I, 107; Plut. in Cim. cap. 17; Diod. XI, 79 et 80, qui tamen hoc prælium pouit olymp. 80, 3, i. e. A. U. 296, ergo post bellum finitum.

6. *Parvæ tunc temporis*, etc. Hæc ita se habent secundum Diodor. XI, 71, 74, 75, 77; olymp. 79, 2, i. e., A. U. 291, Ægyptii quum a Persis defecissent rege electo *Inaro*, initaque cum Atheniensibus societate, anno insequente Persarum ducem Achæmenem vincunt, pace autem anno 294 cum novis ducibus Artabazo et Megabyzo composita, Athenienses ab Ægyptiis relicti reditum cum Persis paciscuntur.

7. *Aucti classis... robore*. Quod falsum esse demonstrat Diodorus, qui XI, 77, tradit classem ab ipsis Atheniensibus crematam fuisse in Ægypto. Præterea quæ sint illa duo prælia navalia, quæ Noster, fervente bello Messenio, commissa esse refert §. 6 et 7, nescio.

10. *Paciscuntur, ut* etc. Sic infra V, 3, 3; *sperans, ut dux belli ab omnibus legeretur:* quæ quidem constructio Nostro usitata est. ED. — De re autem ipsa Thebani Xerxis socii (Herod. IX, 15; VII, 232) graviter illo rege a Græcia submoto a cæteris Græcis plectuntur, Herod. IX, 86, 88. Jam igitur, referente Diod. XI, 81-83; coll. Thuc. I, 108, olymp. 80, 4, A. U. 297, ergo post bellum Messenium finitum, sibi Bœotiæ imperium paciscuntur, Spartanisque contra Athenienses auxilium pollicentur, gravi autem prælio a Myronide, Atheniensium duce, cæduntur.

11. *Duobus... tertium*. Notæ superiores ostendunt, de tempore Nostrum errare.

12 suis hostes adquirerent. Igitur Athenienses, adversus
tantam tempestatem belli duos duces deligunt, Peri-
clem spectatæ virtutis virum, et Sophoclem scripto-
13 rem tragœdiarum : qui, diviso exercitu, et Spartano-
rum agros vastaverunt, et multas Achaiæ civitates
Atheniensium imperio adjecerunt.

1 VII. His malis fracti Lacedæmonii, in annos xxx
pepigerunt pacem : sed tam longum otium inimicitiæ
2 non tulerunt. Itaque quinto decimo anno, rupto
fœdere, cum contemtu deorum hominumque, fines
3 Atticos populantur; et ne prædam potius, quam pug-
nam, expetiisse viderentur, hostes ad prælium provo-
4 cant. Sed Athenienses, consilio Periclis ducis, popu-
lationis injuriam differunt in tempus ultionis; super-
vacuam pugnam existimantes, quum ulcisci hostem
5 sine periculo possent. Deinde interjectis diebus, naves
conscendunt, et nihil sentientibus Lacedæmoniis,
totam Spartam deprædantur, multoque plura aufe-
6 runt, quam amiserant : prorsus ut, in comparatione

12. *Periclem*. Plures optimi codd. *Periclen* et infra *Sophoclen*, græco sono quem meliores MSS. in similibus nominibus propriis servant. xn. — Confusa et hæc ut superiora narrat, transiliens ab illo anno 297 ad hunc, quo Sophocles Periclis fuit collega, U. C. 317, silentioque plane præteriens Cimonis victoriam de Persis splendidissimam, A. U. 304 (Corn. V, 3, 4), nec non bellum Corcyræo-Corinthium, inde ab anno 316 gestum, neque bellum insequens, longe illud splendidissimum, simulque funestissimum definiens tempore, ne nominans quidem, nimirum *Peloponnesiacum* ab anno inde 323-350 gestum.

VII. 1. *His malis*. In bello in Bœotia (cap. 6, 10 not.), et Eubœa gesto, ab anno inde 297 ad hunc usque, quo hæ annorum 30 induciæ sunt initæ, A. U. 308, olymp. 83, 3, Diod. XII, 7. — A. U. 308.

2. *Quinto decimo anno*. Ergo anno 323, gestum per 27 annos, ad annum usque 350, Diodor. XII, 37; XIII, 42, sive ab olymp. 87, 2-94, 1 : cujus quidem belli, quod dixi, Peloponnesiaci annos priores 22 descripsit Thucydides, notante Diodoro loco laudato. — *Deorum*. Pacem enim qui rumpit, contemnit deos, quibus testibus adhibitis pax initur sacrificiis oblatis. — A. U. 323.

5. *Totam Spartam*. I. e. regionem Spartanam, agros Spartanos, ut XII, 2, 7, *in Troja* pro *agro Trojano*. De re conf. Thuc. II, 19-46; Diod. II, 42.

damnorum, longe pluris fuerit ultio, quam injuria.
Clara quidem hæc Periclis expeditio habita: sed multo 7
clarior privati patrimonii contemtus fuit. Hujus agros, 8
in populatione cæterorum, intactos hostes reliquerant, sperantes adquirere se illi posse aut periculum ex invidia, aut ex suspicione proditionis infamiam.
Quod ante prospiciens Pericles, et futurum populo 9
prædixerat, et ad invidiæ impetum declinandum,
agros ipsos dono reipublicæ dederat: atque ita, unde 10
periculum quæsitum fuerat, ibi maximam gloriam
invenit. Post hæc interjectis diebus, navali prælio 11
dimicatum est: victi Lacedæmonii fugerunt. Nec ces- 12
satum deinceps est, quin aut terra, aut mari, varia
præliorum fortuna, invicem se trucidarent. Denique 13
fessi tot malis, pacem in annos quinquaginta fecere,
quam non nisi sex annis servaverunt. Nam inducias, 14
quas proprio nomine condixerant, ex sociorum persona rumpebant: quippe quasi minus perjurii contra- 15
herent, si ferentes sociis auxilia, potius quam si ipsi
aperto prælio dimicassent. Hinc bellum in Siciliam 16
translatum: quod priusquam expono, de Siciliæ situ pauca dicenda sunt.

7. *Periclis.* MS. Bongars. *Pericli*, eadem genitivi terminatione, qua supra *Candauli* pro *Candaulis*; quaque utitur Cic. Orat. III, cap. 22: *Pericli succum*, et Corn. Nep. Alcib. cap. 2, ex MSS. *educatus est in domo Pericli*. ED.

8-10. *Hujus agros.* Reliquerat autem Periclis agros intactos Archidamus, Spartanorum dux, vel utpote illius hospes huic gratificaturus, vel jussus id facere a senatu suo ad invidiam huic conflandam, ut indicat Thuc. II, 13.

11. *Navali prælio.* Duobus præliis navalibus a Phormione Atheniensium duce hostes fusos esse narrat Diod. XII, 47-8, ad olymp. 87, 4, i. e., anno Urbis 325.

13. *Annos quinquaginta.* Anno belli decimo, U. C. 332, Diod. XII, 74. — *Sex annis.* Et sex mensibus.

15. *Ferentes.* Constructio non constat: si *ferentes* potius, quam si *dimicassent*. Arridet igitur Modii codd. lectio *ferrent*.

16. *Hinc bellum* etc. Confusum et hoc est tempore. Induciæ enim quum, ut dixi, anno demum 332 essent initæ, bellum hoc in Siciliam translatum, de quo infra IV, 3, 4, incidit jam in an. 328. — A. U. 328.

LIBER IV.

1 I. Siciliam ferunt angustis quondam faucibus Italiæ
adhæsisse; diremtamque velut a corpore, majore im-
petu superi maris, quod toto undarum onere illuc
2 vehitur. Est autem ipsa terra tenuis ac fragilis; et
cavernis quibusdam fistulisque ita penetrabilis, ut
3 ventorum tota ferme flatibus pateat; nec non et igni-
bus generandis nutriendisque soli ipsius naturalis
materia, quippe intrinsecus stratum sulphure et bitu-
4 mine traditur: quæ res facit, ut spiritu cum igne inter
interiora luctante, frequenter et compluribus locis nunc
5 flammas, nunc vaporem, nunc fumum eructet. Inde
denique Ætnæ montis per tot sæcula durat incendium.
6 Et ubi acrior per spiramenta cavernarum ventus in-
7 cubuit, arenarum moles egeruntur. Proximum Italiæ
promontorium Rhegium dicitur, ideo, quia Græce

I. 1. *Siciliam ferunt.* Vid. Thucyd. IV, 1; Melam II, 7; Plin. III, Hist. Nat. 8; Diod. V pr.; Strab. VI; Virg. Æneid. III, v. 418; Lucret. I; Claudian. lib. I de Raptu; de incolis Siciliæ vide Pausan. in Eliacis. ED. — *Diremtamque.* Ex pluribus MSS. dedi pro minus aptiori *direptam;* coll. Liv. XXII, 15, 4; Virg. Æneid. III, 417:

Hæc loca vi quondam et magna convulsa ruina
Dissiluisse ferunt, etc.

— *Majore impetu.* Quo fere sensu apud Cic. in Verrem 2, 33: *vis major* (fortunæ), *cui resisti non potest.* Non inepte tamen Scheff. conjungit *corpore majore* (Italia). — *Toto... vehitur.* Nic. Heins. corr *tota.. mole... deveh.*

3. *Generandis* Unus cod. habet. aliam hujus verbi formam *gignendis.* Ut enim Græci a *geno* formant *gigeno,* contr. *gigno,* sic Latini *genero* a *genere,* abl. nominis *genus.* — *Materia.* Venet., Boug. et Col. *vis.* Explica autem ita: nec non materia ipsius soli naturalis (est, natura apta est) ignibus generandis et nutriendis.

4. [*Et*] *compluribus locis.* Hoc loco *et* quod aberat restituendum putavi cum Abr. Gronov. colo post *frequenter* subjecto. Grævius suadet *ex* cum Junt. ED.

7. *Rhegium.* Ῥήγιον a ῥήγω, rumpo, abrumpo.

abrupta hoc nomine pronuntiantur. Nec mirum, si 8
fabulosa est loci hujus antiquitas, in quem res tot coiere miræ. Primum quod nusquam alias tam torrens 9
fretum, nec solum citato impetu, verum etiam sævo; neque experientibus modo terribile, verum etiam procul videntibus. Undarum porro inter se concur- 10
rentium tanta pugna est, ut alias veluti terga dantes in imum desidere, alias quasi victrices in sublime ferri videas: nunc hic fremitum ferventis æstus, nunc illic gemitum in voraginem desidentis exaudias. Accedunt 11
vicini et perpetui Ætnæ montis ignes, et insularum Æolidum, veluti ipsis undis alatur incendium. Neque 12
enim in tam angustis terminis aliter durare tot sæculis tantus ignis potuisset, nisi humoris nutrimentis aleretur. Hinc igitur fabulæ Scyllam et Charybdin pepe- 13
rere; hinc latratus auditi; hinc monstri credita simulacra, dum navigantes, magnis vorticibus pelagi desidentis exterriti, latrare putant undas, quas sorbentis æstus vorago collidit. Eadem caussa etiam Ætnæ montis 14
perpetuos ignes facit. Nam aquarum ille concursus 15
raptum secum spiritum in imum fundum trahit, atque ibi suffocatum tamdiu tenet, donec per spiramenta [terræ diffusus, nutrimenta] ignis incendat. Jam ipsa 16
Italiæ Siciliæque vicinitas, [jam] promontoriorum

9. *Procul videntibus.* Præferunt suadente Grævio *visentibus*, quod in MSS. et impressis quibusdam habetur, quum magis attentionem videntia insinuet, quæ hic innuitur. ED.

10. *Undarum porro* etc. Descriptio poetica, qualis Virgiliana Æn. I, v. 105-107, III, v. 421-423.

13. *Scyllam et Charybdin.* Adi *mein histor. Handb.*, ubi vol. II, p. 231, loca Veterum de his monstris, aut potius vorticibus laudavi, ubi, verbi caussa, ex Virg. Æn. III, v. 432, *cæruleis canibus resonantia saxa;* unde hoc loco *latratus* potest explicari, et *simulacra* monstri (Scyllæ), cujus utero canes inesse credebantur.

15. *Donec per... incendat.* Donec ignis per spiramenta incendat. Quid? Ex præc. suppl. esset *spiritum*. Uncis autem deletis, additis a Gronov. avo, unius cod. auctoritate, in quo hæc verba absunt, explica ita: aquæ absorptæ et per spiritum diffusæ incendunt nutrimenta ignis (sulphur et bitumen §. 3).

altitudo ipsa ita similis est, ut, quantum nunc admirationis, tantum antiquis terroris dederit, credentibus, coeuntibus in se promontoriis, ac rursum dis-
17 cedentibus, solida intercipi absumique navigia. Neque hoc ab antiquis in dulcedinem fabulæ compositum,
18 sed metu et admiratione transeuntium. Ea est enim procul inspicientibus natura loci, ut sinum maris, non transitum putes; quo quum accesseris, discedere ac sejungi promontoria, quæ antea juncta fuerint, arbitrere.

1 II. Siciliæ primo Trinacriæ nomen fuit; postea
2 Sicania cognominata est. Hæc a principio patria Cyclopum fuit; quibus exstinctis, Cocalus regnum insulæ
3 occupavit: post quem singulæ civitates in tyrannorum imperium concesserunt, quorum nulla terra feracior
4 fuit. Horum ex numero Anaxilaus justitia cum cæterorum crudelitate certabat; cujus moderationis haud
5 mediocrem fructum tulit. Quippe decedens quum filios parvulos reliquisset, tutelamque eorum Micytho, spectatæ fidei servo, commisisset, tantus amor me-

16. *Similis.* Junt. *sibi similis*, bene.

18. *Fuerint.* Correxi pro *fuerant*, sensu et latinitate postulante.

II. 1. *Trinacriæ.* Quæ habet τρία ἄκρα, scil. tria promontoria. Pindar. hanc *tricuspidem* vocat; *tricervicem* Licophron. ED.— *Sicania.* A Sicanis, gente Iberica, ut ait Dion. Halic. I, pag. 17. *Siculi* autem, unde Sicilia, sicut e græco *Siceli* fit *Sicelia*, ex Italia in insulam devenisse dicuntur.

2. *Cyclopum.* De quibus feris, ingentisque magnitudinis, immanisque roboris, incolis Siciliæ antiquissimis, lege Hom. Odyss. IX, v. 106; VI, 5; Theocr. Idyll. XI; Virg. Æn. III, v. 657. Thucyd. VI, 1, 3: Παλαιότατοι μὲν λέγονται ἐν μέρει τινὶ τῆς χώρας Κύκλωπες καὶ Λαιστρύγονες. ED. — *Cocalus.* Qui dolo Minoem, Cretæ regem, interfecit, quum Dædalum repetiturus veniasset, Diod. IV, 77-79; coll. Herodot. VII, 170: ergo circa A. M. 2750. Edd. autem 5 antiq. habent *Æolus*, obvius apud Hom. Odyss. X.

4. *Anaxilaus.* Qui cogn. Zancles, tyrannus fuit, referente Diodoro XI, 66; coll. Herodot. VII, 170, qui olymp. 78, 2, i. e. A. U. 287, hunc Micythum tutela posita, Rhegio omnium laudibus ornatum, Tegeas Arcadiæ delatum, ibi degisse vitam laudabilem, refert. Herodot. VII, 170, Μίκυθον vocat, Anaxilai οἰκέτην. Glarean. autem τὸ οἰκέτην interpretari mavult *familiarem*, quod quidem adprobo.

moriæ ejus apud omnes fuit, ut parere servo, quam deserere regis filios mallent; principesque civitatis, obliti dignitatis suæ, regni majestatem administrari per servum paterentur. Imperium Siciliæ etiam Car- 6
thaginienses tentavere; diuque varia victoria cum tyrannis dimicatum. Ad postremum, amisso Hamilcare 7
imperatore cum exercitu, aliquantisper quievere victi.

III. Medio tempore quum Rhegini discordia labora- 1
rent, civitasque per dissensionem divisa in duas partes esset, veterani ab altera parte ab Himera in auxilium vocati, pulsis civitate, contra quos implorati fuerant, et mox cæsis, quibus tulerant auxilium, urbem cum conjugibus et liberis sociorum occupavere; ausi facinus 2
nulli tyranno comparandum: quippe ut Rheginis melius fuerit vinci, quam vicisse. Nam sive victoribus 3
captivitatis jure servissent, sive amissa patria exsulare necesse habuissent; non tamen, inter aras et patrios lares trucidati, crudelissimis tyrannis patriam cum conjugibus ac liberis prædam reliquissent. Catinienses 4
quoque, quum Syracusanos graves paterentur, diffisi viribus suis, auxilium ab Atheniensibus petivere: qui, 5
seu studio majoris imperii, quo Asiam Græciamque

6. *Carthaginienses.* De quibus infra XVIII, 3, sicut de Hamilcare XIX, 2, 1. Illi autem quum A. U. 222 Sardiniam occupassent, ab hoc inde tempore Siciliæ vicinæ imperium adfectare cœperunt.

III. 1. *Rhegini.* Qui quidem narrante Polybio I, 7, impulsi metu Pyrrhi adventantis et Carthaginiensium, qui maris imperium obtinebant, Romanorum auxilium implorabant. Qui quum Decium Campanum 4000 militibus instructum misissent, hi non ita multo post a Mamertinis adjuti, pluribus civibus pulsis, aliis occisis, urbem sibi vindicarunt: cujus tamen sceleris pœnas paullo post Romani ab his repetierunt, urbemque civibus reddiderunt. Conf. Diod. XXII, 2. — A. U. 472.

2. *Nulli tyranno.* I. e. nulli tyrannorum sceleri. Conf. notata a me ad Cic. Orat. I, 4, 7.

4. *Catinienses.* Periz. *Cathenienses.* Ed. Bechar., Ven., Med., Ald., Junt. *Catanenses*, græce Καταναῖοι. ED. — *Quum Syracusanos.* Quum Syracusanorum imperium grave ac molestum sibi ferre amplius nollent.

5. *Quo Asiam... occuparent.* Bene, non ut vulgo, *quod Asiam... occupaverant.* ED. — *A Syracusanis.* Quorum

penitus occuparent, seu metu factæ pridem a Syracusanis classis, ne Lacedæmoniis illæ vires accederent,
Lamponium ducem cum classe in Siciliam misere, ut,
sub specie ferendi Catiniensibus auxilii, tentarent
6 Siciliæ imperium. Et quoniam prima initia, frequenter
cæsis hostibus, prospera fuerant, majore denuo classe,
et robustiore exercitu, Lachete et Chariade ducibus,
7 Siciliam petivere: sed Catinienses, sive metu Atheniensium, sive tædio belli, pacem cum Syracusanis,
remissis Atheniensium auxiliis, fecerunt.

1 IV. Interjecto deinde tempore, quum fides pacis a
Syracusanis non servaretur, denuo legatos Athenas
mittunt; qui sordida veste, capillo barbaque promissis,
et omni squaloris habitu ad misericordiam commo-
2 vendam adquisito, concionem deformes adeunt: adduntur precibus lacrymæ: et ita misericordem populum supplices movent, ut damnarentur duces, qui ab
3 his auxilia deduxerant. Igitur classis ingens decernitur: creantur duces Nicias, et Alcibiades, et Lamachus; tantisque viribus Sicilia repetitur, ut ipsis ter-

historiam opesque hucusque auctas lege *in meinem histor. Handb.* vol. II, pag. 265-266. — *Lamponium ducem. Lamathum* ducem nominat Thucyd. lib. V. EN. — *Tentarent.* Dux et classis, nisi malis cum Berneccero corrigere *tentaret*.

6. *Chariade.* Aut potius *Charœade*, ut est apud Thuc. III, 86, unde idem nomen Diodoro XII, 54, restituit Palmerius. — *Majore classe.* Thuc. 20, Diodorus 100 navibus. Uterque autem non Catinienses, sed *Leontinos* nominat, qui, pace composita, a Syracusanis in civitatem recepti, omnes Syracusas concesserunt, sua urbe deinde pro castello usi. De tota illa expeditione, A. U. 328, belli Peloponnesiaci sexto, suscepta, et A. U. 330, ejusdem belli octavo finita, adi Thucyd. III, 89-116; IV, 58-65, et Diod. XII, 53-59. — Anno Urbis 328.

7. — Anno Urbis 330.

IV. 1. *Interjecto deinde* etc. De re adi Thuc. VI, 1-6, et cap. 8-26; coll. VII, 42 seqq.; Diod. XII, 82-83; Plut. in Alcibiad. 17; coll. Corn. VII, 3. — *Sordida veste*, etc. qualis est supplicum §. 2. Conf. infra XXXVI, 4, 2; et Liv. V, 41; VI, 16. — *Adquisito.* Grævius mavult *conquisito*. — A. U. 339.

3. *Classis ingens.* 300 navium, 15,000 militibus armatarum. — Anno Urbis 339.

rori essent, in quorum auxilia mittebantur. Brevi post 4 tempore, revocato ad reatum Alcibiade, duo prælia pedestria secunda Nicias et Lamachus faciunt : muni- 5 tionibus deinde circumdatis, hostes etiam marinis commeatibus in urbe clausos interchudunt. Quibus 6 rebus fracti Syracusani auxilium a Lacedæmoniis petiverunt. Ab his mittitur Gylippus solus, sed in quo 7 instar omnium auxiliorum erat. Is, audito in itinere 8 belli jam inclinato statu, auxiliis partim in Græcia, partim in Sicilia contractis, opportuna bello loca occupat. Duobus deinde præliis victus, congressus 9 tertio, occiso Lamacho, et hostes in fugam compulit, et socios obsidione liberavit. Sed quum Athenienses 10 a bello terrestri in navale se transtulissent, Gylippus classem Lacedæmone cum auxiliis arcessit. Quo co- 11 gnito, et ipsi Athenienses in locum amissi ducis Demosthenem et Eurymedonta, cum supplemento copiarum mittunt : Peloponnesii quoque, communi civitatum 12 decreto, ingentia Syracusanis auxilia misere : et quasi Græciæ bellum in Siciliam translatum esset, ita ex utraque parte summis viribus dimicabatur.

V. Prima igitur congressione navalis certaminis, 1 Athenienses vincuntur. Castra quoque cum omni

4. *Revocato ad reatum Alcibiade*, etc. Conf. Corn. in vita Alcibiadis, cap. 3-4, et hoc loco infra V, 1, 1. Diod. lib. XIII, cap. 5 : Ἀπέστειλε (ὁ δῆμος) τὴν Σαλαμινίαν ναῦν εἰς Σικελίαν, κελεύων τὴν ταχίστην ἥκειν Ἀλκιβιάδην ἐπὶ τὴν κρίσιν. ED. — A. U. 340.

7. *In quo*. Aut potius *qui*, ut est in Colon., quo et Becharii editio te ducit, in qua est *quidem*, quod natum videtur ex *qui idem*. Sic Cic. Brut. 51, 5 : *Plato mihi unus instar omnium*; Virg. Æn. VII, 707 : *Clausus magni agminis instar*.

10. *Lacedæmone*. Plures edd. *a Lacedæmone*. ED.

11. *Cum supplemento copiarum*. Cum 75 navibus et 5000 militibus, Thuc. VII, 16 et 20.

12. *Auxilia*. Quæ recenset Thuc. VII, 58, ubi cap. 57 Atheniensium copiæ et auxilia recensentur.

V. 1. *Prima igitur congressione* etc. Hoc de certamine confer Thucydidem VII, 52-54.

2 publica ac privata pecunia amittunt. Super hæc mala,
quum etiam terrestri prælio victi essent, tunc Demos-
3 thenes censere cœpit, « Ut abirent Sicilia, dum res,
quamvis adflictæ, nondum tamen perditæ forent :
neque in bello male auspicato amplius perseverandum
esse; domi graviora et forsitan infeliciora bella, in quæ
4 servare hos urbis adparatus oporteat. » Nicias, seu
pudore male actæ rei, seu metu destitutæ spei civium,
5 seu impellente fato, manere contendit. Reparatur igi-
tur navale bellum, et animi a prioris fortunæ procella
6 ad spem certaminis revocantur : sed inscitia ducum,
qui inter angustias maris tuentes se Syracusanos ad-
7 gressi fuerant, vincuntur. Eurymedon dux, in prima
acie fortissime dimicans, primus cadit : triginta naves,
8 quibus præfuerat, incenduntur. Demosthenes et Ni-
cias, et ipsi victi, exercitum in terram deponunt,
9 tutiorem fugam rati itinere terrestri. Ab his relictas
centum triginta naves Gylippus invasit : ipsos deinde
insequitur : fugientes partim capit, partim cædit.
10 Demosthenes, amisso exercitu, a captivitate gladio et
11 voluntaria morte se vindicat : Nicias autem, ne De-
mosthenis quidem exemplo, ut sibi consuleret, admo-
nitus, cladem suorum auxit dedecore captivitatis.

2. *Super hæc mala*, etc. Conf. idem 59 seqq.

3. *Servare*. Plures edd. *reservare*. Supra II, 11, 5 : *se ad meliora patriæ tempora reservent*; et XXVIII, 4, 9; *ut se ad meliora reipublicæ tempora reservent*. ED. — Idem narrat Thuc. VII, 47. — *Domi... bella*. Denno enim interea exarserat bellum Peloponnesium, quum A. U. 340. Spartani, suadente Alcibiade, Deceliam muniissent, bellumque Atheniensibus ultro intulissent, V, 1, 3.

6. *Qui... fuerant*. Qui adgressi fuerant Syracusanos, qui inter maris angustias se tuebantur. — *Centum et triginta naves*. Oros. II, 14, totidem. At Thucyd. VII, 13, 24, Atheniensibus ex postrema clade septuaginta naves reliquas fuisse scribit. ED.

10. *Vindicat*. Captus potius una cum Nicia, quamvis nobilissimis Syracusanorum deprecantibus, occisus est a plebe tumultuante, ut refert Diod. XIII, 18-33, et Thuc. VII, 82 et 86.

LIBER V.

I. Dum Athenienses in Sicilia bellum per biennium 1
cupidius, quam felicius gerunt, interim concitor et
dux ejus Alcibiades absens Athenis insimulatur, mys-
teria Cereris Initiorum sacra, nullo magis quam silen-
tio solennia, enuntiavisse. Revocatusque a bello ad 2
judicium, sive conscientiam, sive indignitatem rei non
ferens, tacitus in exsilium Elidem profectus est. Inde, 3
ubi non damnatum se tantum, verum etiam diris per
omnium sacerdotum religiones devotum cognovit,
Lacedæmona se contulit; ibique regem Lacedæmonio- 4
rum impellit, turbatis Atheniensibus adverso Siciliæ
prælio, ultro bellum inferre. Quo facto, omnia Græciæ 5
regna, velut ad exstinguendum commune incendium,

I. 1. *Biennium*. A. U. 339-341. De Alcibiade respice not. ad IV, 4, 4, sacra mysteria (quæ sunt) Initiorum Cereris. Sed *sacra* quum desit in uno cod., Bernecc. et Faber *mysteria Cereris* tamquam glossema delere volebant. Satis enim est dixisse *Initiorum sacra*, quæ II, 8, 1, sunt Eleusinia sacra, coll. II, 6, 13, nisi malis cum Freinsh. distinguere : mysteria Cereris Initiorum sacra. Gronovius tamen avus vulgatum pleonasmum tuetur exemplo simili II, 6, 16, *simultatum offensæ*. — *Nullo magis quam silentio solennia*. Nulla re magis commeodanda quam silentio. Ideo Ovid. in Arte Am. lib. II, sub fin. 601 :

Quis Cereris ritus audet vulgare profanis?

Et Horatius Carmin. lib. III, Od. 2 :

..... Vetabo qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub iisdem
Sit trabibus, fragilemve mecum
Solvat phaselum....

2. *Ad judicium*. Ad caussam dicendam, ut ait Corn. VII, 4, 3, sive quod conscientiam (culpæ) non ferebat (culpæ sibi conscius erat), sive quod modo tam indigno ab inimicis peti et tractari graviter ferebat. — *Tacitus*. Scilicet caussa non dicta.

3. *Diris... devotum*. Conf. Corn. VII, 4, 5. Religiones igitur sunt ritus religiosi.

4. *Regem*. Agidem. — Anno Urbis 340.

5. *Regna*. Aut potius civitates.

6 concurrunt. Tantum odii Athenienses immoderati im-
7 perii cupiditate contraxerant. Darius quoque, rex Persarum, memor paterni avitique in hanc urbem odii, facta cum Lacedæmoniis per Tissaphernem, præfectum Lydiæ, societate, omnem sumtum belli
8 pollicetur. Et erat hic quidem titulus cum Græcis coeundi: re autem vera timebat, ne, victis Athenien-
9 sibus, ad se Lacedæmonii arma transferrent. Quis igitur miretur, tam florentes Atheniensium opes ruisse, quum ad opprimendam unam urbem, totius Orientis
10 vires concurrerent? Non tamen inerti, neque incruento cecidere bello; sed præliati ad ultimum, victores etiam interdum, consumti magis fortunæ varie-
11 tate, quam vi victi sunt. Principio belli omnes ab his etiam socii desciverant, ut fit: quo se fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat.

1 II. Alcibiades quoque motum adversus patriam bellum, non gregarii militis opera, sed imperatoris vir-

6. *Cupiditate*. Dedi hanc lectionem ex MS. Bongarsiano et margine ed. Col. pro *crudelitate*. Conf. I, 1, 5; coll. §. 1.

7. *Darius*. Nothus, scilicet qui ab anno inde 330, novem mensium imperio Xerxis II et Sogdiani interjecto, successerat patri Artaxerxi Longimano, III, 1, 4, cujus pater fuerat Xerxes, avus Darius, omnes Atheniensium hostes, II, 10, 1 et 12; coll. not. ad II, 15, 20. — *Facta societate*. Inprimis adnitente Alcibiade. Vid. Corn VII, 4, 7, ubi in nota simul loca Thucydidis indicavi de sumtu belli a Persis suppeditato. — *Tissaphernem*. Bene; vel *Tisaphernem*: utraque enim flexio apud Græcos auctores usitata est ED.

8. *Re autem vera* etc. Lacedæmoniorum igitur victoriis Siculis potentissimorum amicitiam malebat, quam bellum. — A. U. 341.

9. *Florentes... opes ruisse*. Metaphora non apta. Flos enim non *ruit*, sed flaccescit. — *Orientis*. Persarum imperii, I, 8, 1.

10. *Non tamen inerti*, etc. Ceciderunt Athenienses bello, quod gesserant strenui, non ignavi, non inertes, indeque non incruentum, multo antea suorum et hostium cruore profuso.

11. *Principio belli*. Non Peloponnesiaci, anno jam 323 incepti, sed per annos 332-339, per 6 annos et per 6 menses quiescentis, jam autem (vid. not. ad IV, 5, 3) vehementius recrudescentis.

II. 1. *Imperatoriis*. Sic Bong. et Ven.; cæteri omnes *imperatoris*, quæ est aptior antithesis *militis*. ED.

tutibus adjuvat. Quippe acceptis quinque navibus, in 2
Asiam contendit, et tributarias Atheniensium civita-
tes, auctoritate nominis sui, ad defectionem compel-
lit. Sciebant enim domi clarum, nec exsilio videbant 3
factum minorem; nec tam ablatum Atheniensibus
ducem, quam Lacedæmoniis traditum; partaque cum
amissis imperia pensabant. Sed apud Lacedæmonios 4
virtus Alcibiadis plus invidiæ quam gratiæ contraxit.
Itaque quum principes velut æmulum gloriæ suæ in- 5
terficiendum insidiis mandassent, cognita re, Alci-
biades per uxorem Agidis regis, quam adulterio co-
gnoverat, ad Tissaphernem, præfectum Darii regis,
profugit : cui se celeriter officii comitate, et obse-
quendi gratia insinuavit. Erat enim et ætatis flore, et 6
formæ veneratione, nec minus eloquentia, etiam inter
Athenienses, insignis : sed in conciliandis amicitia- 7
rum studiis, quam in retinendis, vir melior : quia
morum vitia sub umbra eloquentiæ primo latebant.
Igitur persuadet Tissapherni, « Ne tanta stipendia 8
classi Lacedæmoniorum præberet. Vocandos enim in 9
portionem muneris Ionios, quorum pro libertate,

2. *Quippe acceptis* etc. Conf. Corn. VII, 4, 8. — A. U. 342.

3. *Pensabant.* (Illæ civitates) pensabant *parta* imperia (dignitatem Alcibiadis imperatoriam apud Lacedæmonios) cum *amissis* (apud Athenienses). Hoc igitur pensantes sequebantur hunc ducem, non minus apud Lacedæmonios clarum futurum, quam apud Athenienses fuerit. Sin malis cum Ven., Ald., Juntt., Sicb. et marg. Col. et Grævio *pensantem*, ut hoc partic. pari constructione procedat cum *ablatum* et *traditum*; explica : videbant civitates Alcibiadem imperium acceptum pensantem cum amisso. Sic Liv. XXVII, 40, 2 : *adversa pensantur secundis*; XXXVII, 1, 2. *Ætoli nova maleficia pensant veteribus benefactis.* Conf. infra XXV, 3, 6.

4-5. *Apud Lacedæmonios* etc. Conf. Corn. VII, 5, 1-3. De Tissapherne respice, cap. 1, 7. — A. U. 343.

6-7. *Erat enim* etc. Conf. Corn. VII, 5, 3 et cap. 11. Agebat autem tunc Alcibiades annum ætatis fere trigesimum quintum. Vid. notata a me ad Corn. VII, 10, 6.

8. *Stipendia.* Respice cap. 1, 7.

9. *Muneris.* I. e. oneris bellici, quo sensu Liv. XXVII, 9, *detrectatio munerum militiæ et immunis.* Ergo non est, cur Persæ soli omnia

quum tributa Atheniensibus penderent, bellum sus-
10 ceptum sit. Sed nec auxiliis nimis enixe Lacedæmo-
nios juvandos; quippe memorem esse debere, alienam
se victoriam, non suam instruere; et eatenus bellum
11 sustinendum, ne inopia deseratur. Nam regem Persa-
rum, dissidentibus Græcis, arbitrum pacis ac belli
fore; et quos suis non possit, ipsorum armis victu-
rum; perfecto autem bello, statim ei cum victoribus
12 dimicandum. Domesticis itaque bellis Græciam atte-
rendam, ne externis vacet; exæquandasque vires par-
13 tium, et inferiores auxilio levandos. Non enim quie-
turos post hanc victoriam Spartanos, qui vindices se
14 libertatis Græciæ professi sint. » Grata oratio Tissa-
pherni fuit. Itaque commeatus maligne præbere; clas-
sem regiam non totam mittere; ne aut victoriam to-
tam daret, aut necessitatem deponendi belli im-
poneret.

1 III. Interea Alcibiades hanc operam civibus vendi-
2 tabat : ad quem quum legati Atheniensium venissent,
pollicetur his amicitiam regis, si respublica a populo
3 translata ad senatum foret : sperans, ut aut concor-
dante civitate, dux belli ab omnibus legeretur, aut

belli onera ferant, omnes sumtus Lacedæmoniorum classi suppeditent. Iones quoque potius partem horum suscipiant, quippe qui jam tributo Atheniensibus antea penso sunt liberati. Hac autem de forma *Ionios*, confer indicem.

10. *Ne inopia deseratur.* Lacedæmoniis, scil. ne Lacedæmonii inopia coacti bellum deserant.

11. *Dissidentibus.* Plures edd. *dissentientibus.* ED.

12. *Atterendam.* Angli Scheffero Grævioque adprobantibus, habent *obterendam.* ED. — *Vacet.* Operam det, tempus omne operamque omnem impendat.

13. *Quieturos.* Pacem acturos.

14. *Præbere... mittere.* Supple *cœpit.* — *Classem regiam.* Phœniciam 300 navium. Vide Diodor. XIII, 37, 38 et 41.

III. 1. *Interea Alcibiades* etc. De re conf. Corn. VII, 5, 3, et Thuc. VIII, 46-56, nec non 67-68.

2. *Si respublica... foret.* Id est democratia mutaretur in aristocratiam. Erat autem Alcibiades populi potentiæ non amicus, sed optimatum fautor, ut ait Corn. VII, 5, 3.

discordia inter ordines facta, ab altera parte in auxi-
lium vocaretur. Sed Atheniensibus, imminente peri- 4
culo belli, major salutis, quam dignitatis cura fuit.
Itaque, permittente populo, imperium ad senatum 5
transfertur. Qui quum insita genti superbia crudeliter 6
in plebem consuleret, singulis tyrannidis sibi impo-
tentiam vindicantibus, ab exercitu Alcibiades exsul
revocatur, duxque classi constituitur. Statim igitur 7
Athenas mittit, « Ex continenti se cum exercitu ven-
turum, recepturumque a quadringentis jura populi,
ni ipsi redderent. » Hac denuntiatione optimates ter- 8
riti, primo urbem prodere Lacedæmoniis tentavere:
dein, quum id nequissent, in exsilium profecti sunt.
Igitur Alcibiades, intestino malo patria liberata, 9
summa cura classem instruit; atque ita in bellum ad-
versus Lacedæmonios pergit.

IV. Jam Sesti Miudarus et Pharnabazus, Lacedæ- 1
moniorum duces, instructis navibus exspectabant.

4. *Major salutis quam dignitatis* etc. Liv. XIII, 14, 4: *Rebus extremis honesta utilibus cedunt.* ED.

5. *Ad senatum.* Ad quadringentos viros, qui, si ipsis luberet, quinque millia civium ditiorum in consilium adhiberent, Thucyd. VIII, 67-68, hoc loco §. 7.

6. *Genti.* Id est, *nobilibus:* quod adeo Fabro placuit, ut, refragante exemplarium consensu, in textum admitti contenderet. ED. — De re autem conf. Thuc. VIII, 69-70. — *Ab exercitu.* Apud Samum, Corn. VII, 5, 4; Diod. XIII, 41; Thuc. VIII, 47. — A. U. 343.

7. *Athenas mittit.* MSS. edit. Rom., Ald., Junt. *scribit. Mittere* autem nonnunquam est *scribere*, et sive nuntiis, sive literis significare; ut græce ἐπιστέλλειν, πέμπειν. ED.

8. *Urbem prodere Lacedæmoniis.* Miserunt legatos ad Agidem, Spartanorum regem, qui Deceliam obsidebat, de pace cum hoc acturos, non autem de urbe prodenda, Thuc. VIII, 70-71. Rei autem publicæ non nisi 4 menses præfuerunt, c. 97.

IV. 1. *Sesti Mindarus.* Corrupte vulgo ex prava distinctione legitur *Zestromindarus*, ex quo illam lectionem, duce historia, primus elicuit Is. Vossius, et recepit Vorstius, repertam deinde in MSS. Oxon. *Mindarus* autem est dux Spartanorum, Pharnabazus contra Persarum satrapa. Vorstius autem legit *Sesto*, quia non insolens est Nostro nomina urbium secundæ declinationis, si motus in loco notetur, casu sexto ponere. Ut, II, 13, 5: *Pons quem ille Abydo fecerat*; XVIII, 4, 3:

2 Prælio commisso, victoria penes Athenienses fuit. In
eo bello major pars exercitus, et omnes ferme hos-
3 tium duces cæsi : naves LXXX raptæ. Interjectis quo-
que diebus, quum bellum Lacedæmonii a mari in
4 terram transtulissent, iterato vincuntur. His malis
fracti, pacem petiere : quam ne acciperent, opera
eorum effectum est, quibus ea res quæstum præstabat.
5 Interea et Syracusanorum auxilia illatum a Carthagi-
6 niensibus Siciliæ bellum domum revocavit : quibus
rebus destitutis Lacedæmoniis, Alcibiades cum classe
victrici Asiam vastat : multis locis prælia facit : ubique
victor recipit civitates, quæ defecerant : nonnullas
7 capit, et imperio Atheniensium adjicit : atque ita
prisca navali gloria vindicata, adjecta etiam laude ter-
restris belli, desideratus civibus suis Athenas rever-
8 titur. His omnibus præliis ducentæ naves hostium, et
9 præda ingens capta. Ad hunc redeuntis exercitus
triumphum effusa omnis multitudo obviam procedit,
et universos quidem milites, præcipue tamen Alcibia-
10 dem mirantur : in hunc oculos civitas universa, in
hunc suspensa ora convertit : hunc quasi de cælo

quum interim rex Tyro decedit; XX, 3, 9 : *Corintho est nuntiata victoria.* ED. — De re ipsa conf. Diod. XIII, 40, 49-53, et Xenoph. Hell. I, 1.

2. *Bello.* Prælio. — *Duces.* In his Mindarus, fortissime pugnans, narrante et Diodoro, cap. 51, et Xenophonte §. 18 et 23. — A. U. 344.

4. *Eorum.* In quibus nominat Cleophontem Diod. cap. 53.

5. *Interea* etc. Diodoro (XIII, 43-44) narrante, olymp. 92, 3, scilicet anno Urbis 344, Egestanis, Atheniensium olim sociis, quos Selinuntii agrorum parte privaverant, auxilium tulerunt Carthaginienses, Syracusanis Selinuntios adjuvantibus. — Anno Urbis 344.

6. *Quibus rebus* etc. De his rebus ab Alcibiade ejusque collegis Theramene et Thrasybulo gestis adi Diod. XIII, 45-53 et 64-67 per annos 344-345, olymp. 92, 3-4; Xen. Hell. I, 2, coll. Corn. VII, 5, 4-7. *Quibus rebus* autem resolve : quibus rebus quum Lacedæmonii essent destituti.

8. *His omnibus præliis.* Quinque terrestribus, et tribus navalibus. ED. — Anno Urbis 346.

9. *Ad hunc redeuntis* etc. Conf. Corn. VII, 6, et Plutarch. in Vita Alcibiadis 32-33.

10. *Hunc quasi de cælo missum.*

missum, et ut ipsam Victoriam contuentur: laudant 11
quæ pro patria, nec minus admirantur quæ exsul
contra gesserit, excusantes ipsi, iratum provocatum-
que fecisse. Enimvero tantum in uno viro fuisse mo- 12
menti, ut maximi imperii subversi et rursum recepti
auctor esset; et unde stetisset, eo se victoria trans-
ferret; fieretque cum eo mira quædam fortunæ incli-
natio. Igitur omnibus non humanis tantum, verum 13
et divinis eum honoribus onerant; certant secum ipsi,
utrum contumeliosius eum expulerint, an revocave-
rint honoratius. Ipsos illi deos gratulantes tulere ob- 14
viam, quorum exsecrationibus erat devotus; et cui 15
paullo ante omnem humanam opem interdixerant,
eum, si queant, in cælo posuisse cupiunt. Explent 16
contumelias honoribus, detrimenta muneribus, exse-
crationes precibus. Non Siciliæ illis adversa pugna in 17
ore est, sed Græciæ victoria: non classes per illum
amissæ, sed adquisitæ; nec Syracusarum, sed Ioniæ
Hellespontique meminerunt. Sic Alcibiades nunquam 18
mediocribus, nec in offensa, nec in favore, studiis
suorum exceptus est.

Cic. Epist. I ad Q. fratrem: *Græci sic te ita viventem intuebuntur, ut e cælo divinum hominem in provinciam delapsum putent.* ED.

12. *Tantum... fuisse.* De hac infinitivi constructione vid. ad II, 14, 9. — *Et unde stetisset... transferret.* Sic Liv. lib. VI, 8, 5, de Camillo: *Quocumque se intulisset, victoriam secum haud dubiam trahebat.* Adde eundem Liv. II, 43, 8; IV, 28, 9; XXXIX, 49, 5. ED.

13. *Onerant.* Graviter dictum, ut *cumulant.* Non contemnenda tamen lectio Med., Ven., Ald., Paris. et Bong. *honorant.* Latine enim dicitur *divinis* honoribus honorare aliquem. Vid. Grammat. meam anal. pag. 231.

14. *Ipsos illi* etc. Respice cap. 1, 3, *illi, quorum*, sacerdotes, Eumolpidæ. Non ergo, ut nonnulli intellexerunt, istæ exsecrationes sunt deorum, sed sacerdotum, quibus §. 16 opponuntur *preces.*

16. *Honoribus.* Corn. VII, 6, 3-5. — *Detrimenta.* Bona publicata, domum dirutam, Corn. VII, 4, 5.

17. *Adversa pugna.* Respice IV, 4-5. *Siciliæ* igitur pugna, est Atheniensium pugna in Sicilia, *Græciæ*, in Græcia, Eubœa, Thracia et Asia minore.

18. *Nec in offensa, nec in favore.* Junt. cum MSS. *offensam et favo-*

1 V. Dum hæc aguntur, a Lacedæmoniis Lysander
classi belloque præficitur; et in locum Tissaphernis
Darius, rex Persarum, filium suum Cyrum Ioniæ Ly-
diæque præposuit: qui Lacedæmonios auxiliis opibus-
2 que ad spem fortunæ prioris erexit. Aucti igitur viribus
Alcibiadem cum centum navibus in Asiam profectum,
dum agros longa pace divites securius populatur, et
prædæ dulcedine sine insidiarum metu sparsos milites
3 habet, repentino adventu oppressere: tantaque cædes
palantium fuit, ut plus vulneris eo prælio Athenienses
4 acciperent, quam superioribus dederant: et tanta
desperatio apud Athenienses erat, ut ex continenti
5 Alcibiadem ducem Conone mutarent; arbitrantes,
victos se non fortuna belli, sed fraude imperatoris:
apud quem plus prior offensa valuisset, quam recen-

rem. xn. — De re autem, Athenienses ut antea Alcibiadem suum exquisitis contumeliis adficere studuerant, sic non minoribus honoribus eundem jam cumulare studebant.

V. 1. *Præficitur.* In locum Mindari occisi (cap. 2, 4 not.), Diod. XIII, 70; olymp. 93, 1. A. U. 346. — *Darius.* Vid. cap. 1, 7. — *Cyrum.* Juniorem. De Tissaph. respice cap. 2, 5-14; coll. cap. 1, 7. — *Opibus.* Lysandrum enim, qui Sardibus eum convenerat, 10,000 daricis in stipendia militum donatum remisit, sd quidvis in posterum quoque se paratum profitens., Diod. XIII, 70. — A. U. 346.

2. *Aucti igitur* etc. Lysandrum 70 navibus instructum Epheso solvisse tradit Diod. XIII, 70, ex cujus cap. 71, Noster est corrigendus. Alcibiades enim Antiochum cum majore navium parte ad Notium reliquit mandans, ne, prius quam ipse Clazomenis rediisset, prælio decerneret. Quo prudente consilio neglecto, homo ille temerarius et audax, prælio cum Lysandro inito 22 naves perdidit, ipse navi sua depressa interiit. Luit igitur Alcibiades pœnas fortunæ adversæ, quæ et se absente Atheniensibus acciderat, quæque inimicis ipsius caussam dabat incuriæ et intemperantiæ eum accusandi, ut ait Xen. Hell. I, 5, 16: aliaque in eum crimina collata refert Diod. XIII, 73: quod Cumanorum sociorum agros vastasset, et tyrannidem adfectans societatem clam cum Pharnabazo (cap. 4, 1) iniisset.

4 *Conone.* Imperium potius inter decem duces est divisum, nominatos Diodoro (XIII, 74), et Xenophonti (Hell. I, 5, 16), Archestratum, Aristocratem, Aristogenem, Cononem, Diomedontem, Erasinidem, Lysism (Diod. XIII, 101; Xen. Hell. I, 6, 30, cap. 7, 1), Periclem, Protomachum, Thrasylum.

tia beneficia. Vicisse autem eum priore bello ideo 6
tantum, ut ostenderet hostibus, quem ducem sprevissent, et ut carius eis ipsam victoriam venderet.
Omnia enim credibilia in Alcibiade vigor ingenii, et 7
morum luxuria faciebat. Veritus itaque multitudinis 8
impetum, denuo in voluntarium exsilium proficiscitur.

VI. Itaque Conon Alcibiadi suffectus, habens ante 1
oculos, cui duci successisset, classem maxima industria exornat : sed navibus exercitus deerat, fortissimis 2
quibusque in Asiæ populatione amissis. Armantur ta- 3
men senes, aut impuberes pueri, et numerus militum
sine exercitus robore expletur. Sed non magnam bello 4
moram ætas fecit imbellis : cæduntur passim, aut fugientes capiuntur : tantaque strages, aut occisorum, aut captivorum fuit, ut Atheniensium deletum non
imperium tantum, verum etiam nomen videretur. Quo 5
prælio perditis et desperatis rebus, ad tantam inopiam rediguntur, ut consumta militari ætate, peregrinis civitatem, servis libertatem, damnatis impunitatem
darent. Ex qua colluvione hominum conscripto exer- 6

6. *Eis.* Hoc referendum ad Athenienses supra §. 4. ED.

8. *In exsilium proficiscitur.* In Chersonesum, Corn. VII, 7, 4; coll. Diodor. XIII, 74, olymp. 93, 1. Anno Urbis 346.

VI. 1. *Itaque Conon* etc. Respice not. ad cap. 5, 4. Tota autem Nostri hoc cap. narratio confusa et partim falsa corrigi potest ex Diodoro XIII, 76-79, nec non 97-107; coll. Xen. Hell. I, 6-7, et II, 1, 15-32. Callicratidas autem, Lysandri (cap. 5,1) successor Atheniensium classem in Chio et Lesbo opprimit, et apud Mitylenen fugat, olymp. 93, 2; A. U. 347; anno autem insequente, olymp. 93, 3; A. U. 348. Iterum ipse 170 navibus instructus, quum ad Arginussas conflixisset cum 150 Atheniensibus navibus, 77 navibus amissis periit, splendidamque hostibus, qui non nisi 25 naves perdiderant, victoriam tradidit. Conon Mitylene ante inclusus, jam obsidione liberatus, cum Philocle olymp. 93, 4, A. U. 349, in Hellespontum missus, a Lysandro, ad Ægos flumen oppressus, non nisi 9 navibus et 180 servatis aufugit, anno, ut dixi, Urbis 349, aut potius 348, mense decembre. Conf. et Corn. VII, 8; IX, 1, 2; VI, 1, 1-2. — A. U. 347.

6. *Ex qua.* Bongarsius et aliæ editiones *eaque*. Præstat tamen vulgata lectio. ED.

citu, domini antea Græciæ, vix libertatem tuebantur.
7 Iterum tamen fortunam maris experiendam decer-
8 nunt. Tanta virtus animorum erat, ut, quum paullo
ante salutem desperaverint, nunc non desperent vic-
9 toriam. Sed neque is miles erat, qui nomen Athe-
niensium tueretur; neque eæ vires, quibus vincere
consuerant; neque ea scientia militaris in his, quos
vincula, non castra continuerant. Itaque omnes aut
10 capti, aut occisi. Quum dux Conon eo prælio super-
fuisset solus, crudelitatem civium metuens, cum octo
navibus ad regem Cyprium concedit Evagoram.

1 VII. At dux Lacedæmoniorum, rebus feliciter gestis,
2 fortunæ hostium insultat; captivas naves cum præda
bellica, in triumphi modum ornatas mittit Lacedæ-
3 mona; ac tributarias Atheniensium civitates, quas
metus dubiæ belli fortunæ in fide tenuerat, volunta-
rias recipit; nec aliud ditionis Atheniensium præter
4 urbem ipsam relinquit. Quæ cuncta quum Athenis
nuntiata essent, omnes, relictis domibus, per urbem
discurrere pavidi : alius alium sciscitari; auctorem
5 nuntii requirere : non pueros imprudentia, non senes
debilitas, non mulieres sexus imbecillitas domi tenet:
adeo ad omnem ætatem tanti mali sensus penetraverat!
6 In foro deinde coeunt : atque ita perpeti nocte fortu-
7 nam publicam questibus iterant. Alii fratres, aut filios,

8. *Tanta virtus... victoriam.* Non tentarem hunc locum, inquit Boxhorn. nisi in optimæ notæ codice Leidensi, longe aliter hæc exarata invenirem; nempe hoc modo : *Tanta virtus onimorum erat, ut paullo ante salutem desperaverint, post speraverint victoriam.* Sic Tacit. Agric. de Britannis : *tum de salute, mox de victoria certavere.* Schefferus adprobat. Nil tamen nobis mutandum videtur, quum hæc constructio *desperent* pro *desperarent* non sola contra grammaticos canones apud Nostrum occurrat. ED.

10 *Evagoram.* Fuit ille rex Cypri, pater Nicoclis, cujus laudes descripsit Isocrates. ED.

VII. 1. *Dux Lacedæmoniorum.* Lysander. Conf. Corn. VI, 1-2, et hoc loco infra VI, 4, 6.

3. *Tributarias.* Præter Samum Athenis fidam.

6. *Fortunam... iterant.* Hoc est,

aut parentes deflent; cognatos alii, alii amicos cognatis
cariores; et cum privatis casibus querelam publicam
miscent : « Jam se ipsos, jam ipsam patriam peritu- 8
ram, miserioremque incolumium, quam amissorum
fortunam judicantes : sibi quisque ante oculos obsi- 9
dionem, famem, et superbum victoremque hostem
proponentes : jam ruinam urbis et incendia, jam om- 10
nium captivitatem et miserrimam servitutem recor-
dantes : feliciores prorsus priores urbis ruinas du- 11
centes, quæ, incolumibus filiis parentibusque, tecto-
rum tantum ruina taxatæ sint. Nunc autem non clas- 12
sem, in quam, sicuti pridem, confugiant, superesse;
non exercitum, cujus virtute servati pulchriora possent
mœnia exstruere. »

VIII. Sic defletæ ac prope perditæ urbi hostes su- 1
perveniunt, et obsidione circumdatos fame urgent.
Sciebant enim, neque ex advectis copiis multum su- 2
peresse, et, ne novæ advehi possent, providerant.
Quibus malis Athenienses fracti, post longam famem, 3
et adsidua suorum funera, pacem petivere : quæ an
dari deberet, diu inter Spartanos sociosque delibera-
tum. Quum multi delendum Atheniensium nomen, 4

denno conqueruntur de fortuna publica. Angli autem legunt *onerant*, adprobante Scheffero. ED.

7. *Deflent.* Amissos scil. Lysander enim, præter multos pugna et fuga cæsos et absumtos, occidi jusserat 3000 captivos contra fidem datam.

9. *Et superbum victoremque hostem.* Bene cum Fabro has voces deleveris *que hostem*, legens : *superbum victorem proponentes.*

10-11. *Jam ruinam urbis* etc. Respice II, 12, 11, et cap. 14, 2.

VIII. 1. *Sic defletæ* etc. Prælium illud quum, ut dixi ad cap. 6, 1, commissum esset an. 348, mense Decembre, Agis rex urbem exercitu terrestri, Lysander navibus inclusam, fame enecatam tandem an. 349, mense Aprili, ad deditionem cogunt. Conf. Xen. Hell. II, 1-2; Diodor. XIII, 105-7. — *Circumdatos.* Ita recepit Græv. ex Ald. et Junt. : in cæteris est *circumdatos et obsessos*, et *circumdato obsessos* : quod posterius non spreverim in Nostro, quamquam recte monet Grævius *obsessos* esse interpretationem τοῦ *obsidione circumdatos.*

4. *Multi.* In his Corinthii, Thebani. — *Ex duobus Græciæ oculis.* Ne scil. illa fieret ἑτερόφθαλμος, *lusca.*

urbemque incendio consumendam censerent, negarunt se Spartani, « ex duobus Græciæ oculis alterum
5 erituros; » pacem polliciti, « si demissa Piræeum versus muri brachia dejicerent, navesque, quæ reliquæ forent, traderent; resque publica ex semet ipsis xxx
6 rectores acciperet. » In has leges traditam sibi urbem
7 Lacedæmonii formandam Lysandro tradiderunt. Insignis hic annus et expugnatione Athenarum, et morte Darii regis Persarum, et exsilio Dionysii Siciliæ tyranni
8 fuit. Mutato statu Athenarum, etiam civium conditio
9 mutatur. Triginta rectores reipublicæ constituuntur,
10 qui fiunt tyranni: quippe a principio tria millia sibi satellitum statuunt, quantum ex tot cladibus prope
11 nec civium superfuerat; et quasi parvus hic ad continendam civitatem exercitus esset, septingentos mi-
12 lites a victoribus accipiunt. Cædes deinde civium ab

ut notat Plutarchus. Ea de re consultus etiam Apollo respondit, τὴν κοινὴν ἑστίαν τῆς Ἑλλάδος μὴ κινεῖν, Ælian. Var. Hist. IV, 6. ED. — *Alterum*. Spartam igitur et Athenas, ut vere erant, sic prædicabant Græciæ oculos.

5. *Brachia muri versus Piræeum demissa.* Sic scribe *Piræeum* quum græce sit Πειραιεύς. De re autem respice not. ad II, 15, 1; coll. Plin. IV, 7, qui illa 5000 passuum fuisse refert ex Thuc. II, 13, qui 40 stadiorum fuisse auctor est, i. e. 5000 passuum, quum stadii sint passus 125. Idem ibid. Piræei cum Munychia universum ambitum sexaginta stadia (unum milliare Germanicum cum dimidio) fuisse dicit. Urbs autem ipsa una cum his portubus complectebatur ambitum 178 stadiorum, sive 4 ½ milliar. Germ.

6. *In has leges.* In has conditiones, quæ, legatis ultro citroque missis, anno demum 350 convenerunt.

7. *Hic annus.* Olymp. 93, 4, anno U. C. 349, Diod. XIII, 108. — *Exsilio Dionysii.* Anno superiore 348, olymp. 93, 3, quum Dionysius, plebe in optimates concitata, tyrannidem arripuisset; hoc ipso anno tumultu contra ipsum excitato, quum Syracusani ipsius regiam exspoliassent; Dionysius cædibus sævit in cives, non autem pellitur, sed, pace cum Carthaginiensibus composita, confirmatur in regno, Diodor. XIII, 91-96 et 108-114. Confundit igitur Noster Dionysii majoris cladem a Carthaginiensibus acceptam an. 349 cum exsilio Dionysii minoris an. 398, quo, a Dione pulsus, in Italiam aufugit, aut anno 411, quo, captus regnoque exutus, Corinthum secedit. — Anno Urbis 349.

8. — Anno Urbis 350.

12. *Cædes deinde* etc. Conf. Corn. VII, 10, qui adcuratius rem narrat

Alcibiade auspicantur, ne iterum rempublicam sub
obtentu liberationis invaderet. Quem quum profectum 13
ad Artaxerxem, Persarum regem, comperissent, citato
itinere miserunt, qui eum interciperent : a quibus 14
occupatus, quum occidi aperte non posset, vivus in
cubiculo, in quo dormiebat, crematus est.

IX. Liberati hoc ultoris metu tyranni, miseras urbis 1
reliquias cædibus et rapinis exhauriunt. Quod quum 2
displicere uni ex numero suo Therameni didicissent,
ipsum quoque ad terrorem omnium interficiunt. Fit 3
igitur ex urbe passim omnium fuga, repleturque Græ-
cia Atheniensium exsulibus. Quod etiam ipsum auxi- 4
lium quum miseris eriperetur (nam Lacedæmoniorum
edicto civitates exsules recipere prohibebantur); om-
nes se Argos et Thebas contulere. Ibi non solum tu- 5
tum exsilium egerunt, verum etiam spem recuperandæ
patriæ receperunt. Erat inter exsules Thrasybulus, 6
vir strenuus, et domi nobilis, qui audendum aliquid
pro patria et pro salute communi, etiam cum peri-
culo, ratus, adunatis exsulibus, castellum Phylen
Atticorum finium occupat : nec deerat quarundam 7

a Nostro confusam; coll. Plut. in vita cap. 38-39.

13. *Artaxerxem.* Mnemonem scil. Darii successorem §. 7 an. 350-388.

14. *Vivus... crematus* etc. Non vivus, sed mortuus jam, et telis barbarorum confixus, juxta Probum et Plutarchum in Alcibiade. ED. — Anno Urbis 350.

IX. 1. *Cædibus et rapinis.* Hinc Socrates apud Xen. Mem. I, 2, 32, comparabat eos cum bubulco, qui boves reduceret et pauciores et pejores. Nam, Isocrate auctore (in Areopago), 1500 cives occiderunt, et amplius 5000 in Piræeum confugere coegerunt perculsos metu, ne et ipsi occiderentur. Hac de re autem conf. Diod. XIV, 3-6.

2. *Uni ex numero suo.* Triginta illos tyrannorum nomine famosos nominat Xen. Hell. II, 3, 2. — *Therameni.* Xen. Hell. II, 3, 15-56; Cic. Tusc. I, 59; Diod. XIV, 3-5.

4. *Auxilium.* *Unicum* addunt Junt., Colon. et Ald. — *Et Thebas contulere.* Contrarium enim Lacedæmoniis edictum, in exsulum gratiam tulerunt. ED.

6. *Thrasybulus.* De cujus præclarissimi ducis, tam bene de patria meriti, vita exposuit Cornelius Nepos nr. 8; coll. Diod. XIV, 32; Xen. Hell II, 4.

civitatum, tam crudeles casus miserantium, favor.
8 Itaque Ismenias, Thebanorum princeps, etsi publicis
9 non poterat, privatis tamen viribus adjuvabat : et
Lysias Syracusanus orator, exsul tunc, quingentos
milites, stipendio suo instructos, in auxilium patriæ
10 communis eloquentiæ misit. Fit itaque asperum prælium. Sed, quum hinc pro patria summis viribus, inde
pro alienâ dominatione securius pugnaretur, tyranni
11 vincuntur : victi in urbem refugiunt, quam, exhaus-
12 tam cædibus, suis etiam armis spoliant. Deinde, quum
omnes Athenienses proditionis suspectos haberent,
demigrare eos ex urbe jubent, et in brachiis muri,
quæ diruta fuerant, habitare, extraneis militibus im-
13 perium tuentes. Post hæc Thrasybulum corrumpere,
14 imperii societatem pollicentes, conantur. Quod quum
non contigisset, auxilia a Lacedæmoniis petivere :
14 quibus accitis, iterato præliantur. In eo bello Critias
15 et Hippolochus, omnium tyrannorum sævissimi, cadunt.

*7. *Crudeles*. Bongars. et alii codices *crudelis*. ED.

9. *Lysias*. Natus A. U. 296, quum an. 309 Atheniensium colonis adjunctus, Thurios concessisset, 32 annos hic moratus, rebus Atheniensium in Sicilia adflictis (4, 5), an. 341 Athenas reversus, has hoc ipso tempore tyrannorum metu reliquerat. — *Patriæ communis eloquentiæ*. Cic. de Orat. I, 4 : *Athenis summa dicendi vis et inventa est, et perfecta*. Idem in Bruto cap. 10 : *in ea urbe et nata et alta est eloquentia*. ED. — Facundia enim et literæ, veluti templum, Athenas habent, ut ait II, 6, 6. De patria Lysiæ vide quæ notavi ad Cic. Brut. 16, 6.

12. *Brachiis muri, quæ diruta fuerant*. In reliquias portus Piræei, cap. 8, 5. — *Extraneis*. Hac de re autem vid. cap. 8, 11.

13. *Post hæc Thrasybulum* etc. Conf. Diodor. XIV, 32.

15. *Hippolochus*. Ita vett. omnes. Hunc autem Xenophon *Hippomachum* vocat. ED. — *Sævissimi*. Critiam Xenophon quoque memorans I, 2, 12, vocat longe omnium tyrannorum impotentissimum et violentissimum. — *Cadunt*. Octavo tyrannidis mense, ergo A. U. 350. Vid. Dodwelli Chronol.; Xenoph. ad olymp. 93, 4, et 94, 1 et 2, ubi ostendit, errare Diodorum qui statuere videatur, tyrannos ad hujus olympiadis finem, i. e. ad A. U. 353, imperium tenuisse, quum tamen finitum sit vel an. 350 extremo, vel 351 mense Martio, substitutis 10

X. Cæteris victis, quum exercitus eorum, ex quibus 1
major pars Atheniensium erat, fugeret, magna voce
Thrasybulus exclamat : « Cur se victorem fugiant potius, quam ut vindicem communis libertatis adjuvent?
Civium illam meminerint aciem, non hostium esse; 2
nec se ideo arma cepisse, ut aliqua victis adimat, sed
ut ademta restituat : triginta se dominis, non civitati
bellum inferre. » Admonet deinde cognationis, legum, 3
sacrorum communium; tum vetusti per tot bella commilitii : Orat, « misereantur exsulum civium, si tam
patienter ipsi serviant : reddant sibi patriam, accipiant
libertatem! » His vocibus tantum promotum est, ut 4
reversus in urbem exercitus, triginta tyrannos emigrare Eleusina juberet, substitutis decem, qui rempublicam regerent : qui, nihil exemplo prioris domi- 5
nationis territi, eandem viam crudelitatis adgressi sunt.
Dum hæc aguntur, nuntiatur Lacedæmone, bellum 6
Athenis exarsisse; ad quod comprimendum Pausanias
rex mittitur : qui misericordia exsulis populi permo- 7
tus, patriam miseris civibus restituit, et decem tyran-

principibus e tribuum numero in locum 30, Xen. Hell. II, 4, 24; coll. §. 19. — A. U. 350.

X. 1. *Atheniensium* (pars) *erat.* Sic Liv. XXIII, 35 : *maxima pars volonum erat;* XXIV, 16 : *major pars equitum* (major exercitus pars, quæ equitum erat); XXVII, 9 : *major pars Latini nominis sociorumque.* De re conf. Xen. Hell. II, 4, 40; coll. §. 13-17, nec non 20-22.

3. *Admonet deinde.* MSS. *Admonens deinde*, Scheffero adprobante. ED. — *Si tam patienter... libertatem!* Hoc loco vitiatum textum suspicatur Schefferus. Quid enim sibi vult, *Si tam patienter ipsi serviant, accipiant libertatem.* Cur enim accipereni, qui libenter serviunt? Nil tamen nobis mutandum videtur, quum nulla auctoritate conjectura quævis niti queat. Cæterum hæc, *si... serviant* ad præc., non ad seq. referenda sunt. ED.

4. *Juberet.* Ipsos potius tyrannos huc concessisse tradit Xen. Hell. II, 4, 8, coll. §. 23. — *Decem.* Respice not. ad cap. 9, 15, ibique laud. Xenoph. Hell. II, 4, 24. — Anno Urbis 351.

6. *Nuntiatur.* Missis legatis ab utraque parte, tum tyrannis Eleusine, tum decemviris urbanis, Xen. Hell. II, 4, 28; coll. Diod. XIV, 32 : qui iidem et de sequentibus sunt consulendi. — *Miseris.* Simul

8 nos ex urbe Eleusina migrare ad cæteros jubet. Quibus
rebus quum pax statuta esset, interjectis diebus, repente
tyranni non minus restitutos exsules, quam se
in exsilium actos indignantes, quasi vero aliorum
libertas sua servitus esset, bellum Atheniensibus infe-
9 runt : sed ad colloquium, veluti dominationem recepturi,
progressi, per insidias comprehensi, ut pacis
victimæ trucidantur : populus, quem emigrare jusse-
10 rant, in urbem revocatur. Atque ita per multa membra
civitas dissipata, in unum tandem corpus redigi-
11 tur; et, ne qua dissensio ex ante actis nasceretur, omnes
jurejurando obstringuntur, discordiarum oblivionem
12 fore. Interea Thebani Corinthiique legatos ad Lacedæmonios
mittunt, qui ex manubiis portionem prædæ
13 communis belli periculique peterent. Quibus negatis,
non quidem aperte bellum adversus Lacedæmonios
decernunt : sed tacitis animis tantam iram concipiunt,
ut subesse bellum intelligi posset.

1 XI. Eodem fere tempore Darius, rex Persarum,
2 moritur, Artaxerxe et Cyro filiis relictis. Regnum
Artaxerxi, Cyro civitates, quarum præfectus erat,
3 testamento legavit. Sed Cyro judicium patris injuria

æmulatione Lysandri, Xen. Hell. II, 4, 29.

9. *Trucidantur.* Xen. Hell. II, 4, 43. — *Pacis victimæ.* Quorum cæde paci quasi litatur, pax sancitur, ut alias victima cæsa fœdus icitur, pax sancitur.

11. *Discordiarum oblivionem.* Xen. Hell. II, 4, 43 : Ὤμοσαν ὅρκους, ἦ μὴν μὴ μνησικακήσειν; coll. Corn. VIII, 3, 2, qui dicit legem oblivionis, quæ Græcis est ἀμνηστία.

12. *Communis belli.* De hac belli occasione nihil apud cæteros inveni. Diodorus contra XIV, 86, olymp. demum 96, 3, A. U. 360, bellum Corinthium exarsisse tradit per octo annos gestum, altera Corinthiorum factione a Spartanis, altera ab Atheniensibus et Bœotiis adjuta. Conf. Xen. Hell. IV, 4.

XI. 1. *Eodem fere tempore.* A. U. 349, cap. 8, 7; coll. cap. 5, 1. — *Artaxerxe.* Qui ante regnum *Arsicas*, vel ut Ctesias, *Arsaces* dicebatur; post *Mnemon* est cognominatus. ED. — Anno Urbis 349.

2. *Regnum Artaxerxi.* Quippe natu majori, etsi patre adhuc privato genitus esset. Contra Xerxes supra II, 10, 2. ED.

3. *Judicium.* I. e. testamentum,

videbatur. Itaque occulte adversus fratrem bellum
parabat. Quod quum nuntiatum Artaxerxi esset, ar- 4
cessitum ad se fratrem, et innocentiam dissimulatione
belli simulantem, compedibus aureis vinxit; interfe-
cissetque, ni mater prohibuisset. Dimissus igitur Cy- 5
rus, jam non occulte bellum, sed palam; nec per dis-
simulationem, sed aperta professione parare cœpit;
auxilia undique contrahit. Lacedæmonii memores, 6
Atheniensi bello enixe se ejus opera adjutos, velut
ignorantes, contra quem bellum pararetur, decernunt
auxilia Cyro mittenda, ubi res ejus exegisset: quæ- 7
rentes apud Cyrum gratiam, et apud Artaxerxem, si
vicisset, veniæ patrocinia, quum nihil adversus eum
aperte decrevissent. Sed quum in bello fors prælii 8
utrumque fratrem pugnæ obtulisset, prior Artaxerxes
a fratre vulneratur: quem quum equi fuga periculo
subtraxisset, Cyrus a cohorte regia oppressus interfi-
citur. Sic victor Artaxerxes, et præda fraterni belli, et 9

nt spud Cic. pro Dom. 19: *Ligur Papirii, fratris sui, testamento et judicio improbatus*; et apud Plin. Epist. VII, 29 et 31, *suprema judicia*. Conf. el infra XIII, 15, 13.

4. *Dissimulatiane belli.* Quæ quidem voces Scheffero ex glossa irrepsisse videntur: quamquam explicsri possunt, quod ullum bellum a se paratum Cyrus negaverit. — *Compedibus aureis*. Ne, scilicet, ait Berneccerus, honos familiæ regiæ non haberetur. Qua caussa quoque Darium, Bessi et Nabarzanis conspiratione prehensum, aureis compedibus catenisque vinctum fuisse scribit Curtius V, 12, 26, et Noster XI, 15, 1. ED. — *Mater*. Parysatis quæ ulnis moriturum complexa, vix veniam a fratre obtinuit. Vide Xen. Anab. I, 1, 1.

6. *Lacedæmonii memores*, etc. Conf. cap. 5, 1. Incidit autem Cyri expeditio, de qua exstat singularis Xenophontis liber, in olymp. 94; 4 (Diod. XIV, 19; Laert. II, 55), scil. in A. U. 353. — *Enixe*. Gron. svus mavult *enixa*, ut est apud Plin. Hist. Nat. IX, 8, *enixior opera*. — Anno Urbis 353.

8. *Fors prælii*. Antiquiores edd. *sors*. De re autem, quum in illo bello, forte in prælio uterque frater sibi occurrisset, frater in fratrem incidisset. Sic Liv. XXXI, 4, *castra, quo fors tulisset loco, posita*; Curt. IV, 15: *agmina, ubicunque alium alii fors miscuerat, dimicabant*. Hic *sorti*,

10 exercitu potitur. In eo prælio decem millia Græcorum in auxilio Cyri fuere : quæ et in cornu, in quo steterant, vicerunt; et post mortem Cyri, neque armis a
11 tanto exercitu vinci, neque dolo capi potuerunt; revertentesque inter tot indomitas nationes et barbaras gentes, per tanta itineris spatia, virtute se usque terminos patriæ defenderunt.

ut videmus, nullus locus invenitur.

10. *Decem millia Græcorum*. 14,000 numerat Frontinus Strat. IV, 2, 7, quorum dux erat Xenophon, qui illius expeditionis historiam quinque libris eleganter persequutus est. Hac de re autem vide Ælianum Var. Hist. III, 17. ED.

11. *Per tanta itineris spatia*. Xen. Anab. VII, 8, 26, computat 1155 parasangas, i. e., quum, Herodoto (II, 6; V, 53) computante, triginta stadia conficiant parasangam unam, 866 milliaria Germanica, quæ emensi sunt decem illi mille Græci, ad 8, 800 redacti; per 15 menses. De hac autem celeberrima expeditione conf. Diod. XIV, 19-31.

LIBER VI.

I. Lacedæmonii, more ingenii humani, quo plura ha- 1
bent, eo ampliora cupientes, non contenti accessione
Atheniensium opum vires sibi duplicatas, totius Asiæ
imperium adfectare cœperunt: sed major pars sub
regno Persarum erat. Itaque Dercyllides, dux in hanc 2
militiam electus, quum videret sibi adversus duos
præfectos Artaxerxis, Pharnabazum et Tissaphernem,
maximarum gentium viribus succinctos, dimicandum,
pacificari cum altero statuit. Aptior visus Tissapher- 3
nes, vir et industria potior, et militibus Cyri quondam
regis instructior, in colloquium vocatur, et statutis

I. 1. *Lacedæmonii... cœperunt.* Construe hæc verba sic: *Lacedæmonii, qui...cupiebant, jam cœperunt adfectare Asiæ* (minoris) *imperium*, (*quum essent*) *non contenti.* Vides igitur constare sibi constructionem, nec esse, cur cum Grævio post Boxhornium corrigas: *habet*, aut *habentis*, et *cupientis*, quod utrumque referatur ad *ingenii.* Dura tamen est constructio: *non contenti vires sibi duplicatas*, pro: *non contenti eo, quod sibi sint vires duplicatæ*, sive *non contenti viribus sibi duplicatis.* Est autem, si sensum spectas, *contentus sum* idem quod *satis habeo*; hinc eadem constructio.

2. *Dercyllides.* Sic dedi ex edit. Col. et Diod. XIV, 38, pro *Hercylides*, *Herculides.* Ex illo autem scripture XIV, 35-7, simul cognoscis, antea jam olymp. 95, 1, A. U. 354, *Thimbronem* a Lacedæmoniis in Asiam cum exercitu missum fuisse, auxilium laturum Græcis civitatibus, quibus, quod a Cyri partibus steterant, regis Persarum duces (hoc loco §. 2) bellum intulerant. Thimbroni autem male res administranti anno demum 355 successorem mittunt hunc Dercyllidam cap. 38-39. — A. U. 355.

3. *Instructior.* Magis quam Pharnabazus, instructus militibus, qui Cyri (V, 5, 1) quondam fuerant, sub Cyro quondam militaverant. *Rex*, *konigl. Prinz.* V, 11, 2. — *Statutis conditionibus.* Ut liberæ sint Græcorum civitates; ut exercitus provincia, et magistratus a Lacedæmoniis impositi omnibus civitatibus cederent, Xen. Hell. III, 1-2. Diodorus autem conditiones nullas nominatim proferens, sed inducias vocans has cum Pharnabazo ab

4 conditionibus, ab armis dimittitur. Hanc rem Pharnabazus apud communem regem criminatur, « Ut Lacedæmonios Asiam ingressos non repulerit armis,
5 sed impensis regiis aluerit: merceturque ab his, quæ differant bella, quæ gerant, tamquam non ad unius
6 summum imperii detrimentum omne perveniat. Indignum, ait, bella non perfici, sed redimi; hostem
7 pretio, non armis submoveri. » His vocibus regem a Tissapherne alienatum hortatur, ut in locum ejus navalis belli ducem eligat Conona Atheniensem, qui,
8 amissa bello patria, Cypri exsulabat: « Quippe Atheniensibus, etsi fractæ sint opes, manere tamen navalem usum; nec, si eligendus sit ex universis, melio-
9 rem alium esse. » Acceptis igitur quingentis talentis, jussus est Conona classi præficere.

1 II. His cognitis, Lacedæmonii et ipsi a rege Ægypti
2 Hercynione auxilia navalis belli per legatos petunt; a quo centum triremes, et sexcenta millia modiorum frumenti missa: a cæteris quoque sociis ingentia auxilia
3 contracta sunt. Sed tanto exercitui, et contra tantum
4 ducem, deerat dignus imperator. Itaque postulantibus sociis Agesilaum ducem, regem tunc Lacedæmonio-

illo initas refert in octo menses, XIV, 39.

5. *Quæ differant bella, quæ gerant.* Ita MS. anglicanna, Oxonienses, Abr. Gronovius, Grævio adprobante: Bongars. autem et Vorst: *ut differant bella, quam gerant;* subandito *potius*. Præstat vulgata lectio. ED. — *Unius imperii.* Persarum regis.

7. *In locum ejus.* Non in Tissaphernis locum, qui Asiæ erat satrapa in Cyri locum V, 5, 1; coll. VI, 1, 3. Huic anno demum 360 successit Tithraustes; Cononem autem (V, 6, 10) anno jam 355, olymp. 95, 2, classi Persarum a rege præfectum fuisse, auctore Pharnabazo, docet nos Diod. XIV, 39 et 79. — *Amissa bello patria.* Quia Conon patriam, propter bellum infeliciter gestum, amiserat. Nam post cladem illam, volontarium sibi exsilium indixerat. ED.

8. — Anno Urbis 355.

II. 1. *Hercynione.* Qui est Diodoro XIV, 35 *Psammitichus.*

2. *Modiorum.* Ed. Ald., Junt. habent *modium.* ED.

4. *Agesilaum.* Anno Urbis 358 propter hanc expeditionem missum (Xen. Hell. II, 4, 2-4): *regem* ex anno inde 354.

rum, propter responsum oraculi Delphici, diu Lacedæmonii, an eum summæ rei præponerent, deliberaverunt: quibus futurus imperii finis denuntiabatur, 5
quum regium claudicasset imperium: erat enim pede
claudus. Ad postremum statuerunt, melius esse incessu 6
regem, quam imperio regnum claudicare. Posteaquam 7
Agesilaum cum ingentibus copiis in Asiam misere, non facile dixerim, quod aliud par ducum tam bene
comparatum fuerit: quippe ætas, virtus, consilium, 8
sapientia utrique prope una, gloria quoque rerum
gestarum eadem: quibus quum paria omnia fortuna 9
dederit, invictum tamen ab altero utrumque servavit.
Magnus igitur amborum adparatus belli, magnæ res 10
gestæ fuerunt. Sed Cononem seditio militum invadit, 11
quos præfecti regis fraudare stipendio soliti erant, eo instantius debita poscentibus, quo graviorem sub magno duce militiam præsumebant. Itaque Conon, 12
diu rege per epistolas frustra fatigato, ad postremum
ipse ad eum pergit: a cujus adspectu et colloquio 13
prohibitus est, quod eum more Persarum adorare
nollet: agit tamen cum eo per internuntios, et que- 14
ritur, « Opulentissimi regis bella inopia dilabi; et, qui

5. *Quibus futurus* etc. Conf. Xen. Hell. III, 3, 3.

7. *Cum ingentibus copiis.* Sex millia militum et triginta optimates secum eduxisse dicitur Diodoro XIV, 79, novoque delectu Ephesi instituto, confecisse exercitum 10,000 peditum, 400 equitum. — A. U. 358.

11. *Poscentibus.* Ablativos quos dicunt consequentiæ, grammaticæ leges hoc loco non admittunt. Lege igitur vel cum Ald. *poscentium*, quod referatur ad *militum*, vel *poscentes* conjungendum cum *quos*. — Fateor equidem cum eruditissimo viro *Wetzel*, hoc loco, ex grammaticæ legibus, legendum videri *poscentium*. Nil tamen mihi mutandum videtur, quum hæc constructio frequentissime apud Nostrum occurrat: de qua vid. II, 3, 16. ED.

12. *Ad eum pergit.* Aliam profectionis caussam adfert Corn. IX, 3: quem eundem locum confer cum §. 13. Hoc loco Nostro tamen quodammodo adsentitur Diod. XIV, 81.

14. *Opulentissimi.* Ditissimi ex reditibus, quos cognoscis ex Herodot. III, 95. — *Dilabi.* Bong. *delabi.* Præstat. vulg. Sall. Jug. 10, 8: *Concordia parvæ res crescunt, discordia maxumæ dilabuntur.* ED.

exercitum parem hostibus habeat, pecunia vinci, qua
præstet; inferioremque eum ea parte virium inveniri,
15 qua longe superior sit.» Postulat, « Dari sibi minis-
trum impensæ, quia pluribus id mandare pernicio-
16 sum sit.» Dato stipendio, ad classem remittitur; nec
moram agendis rebus facit: multa fortiter, multa feli-
citer agit: agros hostiles vastat: urbes expugnat: et,
17 quasi tempestas quædam, cuncta prosternit. Quibus
rebus territi Lacedæmonii, ad patriæ subsidium revo-
candum ab Asia Agesilaum decernunt.

1 III. Interim Pisandrus, ab Agesilao proficiscente
dux patriæ relictus, ingentem classem summis viribus
2 instruit, fortunam belli tentaturus. Nec non et Conon,
tunc primum cum hostium exercitu concursurus,
3 magna cura ordinat suos. Summa igitur [non] tam
ducum in eo prælio, quam militum æmulatio fuit.
4 Nam et ipse dux Conon non tam Persis, quam patriæ
5 studebat; et sicut, adflictis Atheniensium rebus, auctor
amissæ dominationis fuerat, sic volebat idem haberi
redditæ, patriamque vincendo recipere, quam victus

16. *Nec morum agendis* etc. Conon, adjuncto sibi Pharnabazo, Lacedæmoniorum classem 85 navium, duce Pisandro, ad Cnidon (olymp. 96, 2, A. U. 360), adortus, plane evertit, 50 navibus captis, compluribus depressis, cæteris fugatis, Corn. IX, 4, 4, ibique laud. scripl., quibus adde Diod. XIV, 83.

17. *Quibus rebus*. Perverse et hæc Noster narrat. Nam non Cononis res gestæ in Asia, sed bellum a Thebanis, Corinthiis et Argivis in Europa motum revocavit Agesilaum, ut ipse infra ait cap. 4, 9; coll. not. ad cap. 4, 3. — A. U. 360.

III. 1. *Pisandrus*. Ita MSS. omnes. Vulgo *Pisander* contra historiam. Græcis est Πείσανδρος, Xen. Hell. IV. ED. — De re autem respice not. ad cap. 2, 16.

3. [*Non*] *tam ducum* etc. Sensu jubente *non* uncis inclusi. Dresig. contra, illo servato, deleto *tam*, et *quam* in *quæ* mutato, legens: *Summa igitur non ducum, in eo prælio, quæ militum æmulatio fuit*, hunc sensum elicit: summa quidem in eo prælio et ducum et militum fuit æmulatio, sed non eadem: quum duces imperium patriæ aut restituere aut conservare contenderent, milites autem id spectarent, ne Athenienses imperium pristinum recuperarent.

5. *Et sicut, adflictis* etc. Respice

amiserat : eo speciosius, quod ne ipsorum quidem 6
Atheniensium, sed alieni imperii viribus dimicet,
pugnaturus periculo regis, victurus præmio patriæ;
gloriamque diversis artibus, quam priores civitatis
suæ duces, consequuturus : quippe illos, vincendo 7
Persas, patriam defendisse; se, Persas victores faciendo,
restituturum patriam esse. Porro Pisandrus pro con- 8
junctione Agesilai, etiam virtutum æmulator erat;
contendebatque, ne a rebus gestis ejus et gloriæ splendore
decederet; neve tot bellis ac sæculis quæsitum
imperium brevis momenti culpa subverteret. Eadem 9
militum et omnium remigum cura erat : quos major
solicitudo cruciabat, non tam, ne ipsi quæsitas opes
amitterent, quam ne pristinas Athenienses reciperent.
Sed quanto majus prælium fuit, tanto et clarior vic- 10
toria Cononis. Victi Lacedæmonii fugam capessunt : 11
præsidia hostium Athenis deducuntur : populo, restituta
dignitate, conditio servilis eripitur : multæ quoque
civitates recipiuntur.

IV. Hoc initium Atheniensibus resumendæ poten- 1

V, 6, 10; quamquam Corn. IX, 1, 2, culpa hunc absentem liberat.

6. *Alieni imperii viribus*. Brevius simulque fortius Junt. *alienis viribus*.

8. *A rebus... decederet*. Dele cum Gronov. avo *a* et lege *splendori*. Nam æmulator non dicitur non decedere ab alicujus gloria, sed decedere, sive cedere ei non vult, non minor haberi. —*Pro conjunctione*. Erat autem uxoris frater, Xen. Hell. III, 4, 29 : ex quo loco cognoscis, jam diu ante profectionem Agesilai hunc ab eo constitutum fuisse navarchum.

9. *Remigum*. Hanc Sebisii correctionem certissimam (conf. cap. 9, 5), recepi pro vulg. *regum*, quod utpote plane ineptum mutarunt Ald., Junt. et unus cod. in *civium*. At milites et cives iidem sunt Lacedæmonii; Cononis contra milites erant Persarum socii et subditi, Cyprii, Phœnices, Cilices.

10. — Anno Urbis 360.

11. *Victi Lacedæmonii* etc. Conf. Corn. IX, 4, 5, ubi : *Hac Cononis victoria* (ad Cnidon) *non solum Athenæ, sed etiam cuncta Græcia, quæ sub Lacedæmoniorum fuerat imperio, liberata est*. Spartani enim quod Lysandri victoria (cap. 5, 6) adepti fuerant maris imperium, hac Cononis victoria amisere, adnotante Diodoro XIV, 84.

IV. 1. *Hoc initium* etc. De re respice not. ad cap. 3, 11.

2 tiæ, et Lacedæmoniis habendæ finis fuit. Namque,
velut cum imperio etiam virtutem perdidissent, con-
3 temni a finitimis cœpere. Primi igitur Thebani, auxi-
4 liantibus Atheniensibus, bellum his intulere: quæ
civitas ex infimis incrementis, virtute Epaminondæ
5 ducis, ad spem imperii Græciæ erecta est. Fit itaque
terrestre prælium, eadem Lacedæmoniorum fortuna,
qua pugnatum adversus Conona navali prælio fuerat.
6 In eo bello Lysander, quo duce Athenienses victi a
7 Lacedæmoniis fuerant, interficitur. Pausanias quoque,
alter dux Lacedæmoniorum, proditionis accusatus, in
8 exsilium abiit. Igitur Thebani, potiti victoria, univer-

3. *Primi igitur.* Perturbat Noster suo more res, ut jam dixi ad cap. 2, 17, et fœde ipse sibi contradicit. Supra enim quum Cononis rebus gestis Agesilaum revocatum dixerit, hoc loco §. 9, Thebanorum victoriæ id attribuit: atque hoc quidem recte; errat tamen simul dupliciter, Thebani belli caussam et tempus adferens falsum. Tissaphernes enim quum male adversus Agesilaum (A. U. 358-359, cap. 2) rem gessisset; regi inde, inprimis Parysatidis criminationibus, in suspicionem adactus, Tithransti successori interficiendus traditur, Diod. XIV, 80. Hic, semestribus cum Agesilao induciis factis, quum hunc victorem ad æquam pacem permovere non potuisset, per Timocratem in Græciam cum 10,000 daricis missum Thebanos, Corinthios et Argivos contra Lacedæmonios excitavit, qui hac necessitate coacti, Agesilaum suum ex Asia revocarunt (Xen. Hell. III, 4, 25, cap. 5, 1), qui Bœotiæ fines attigit A. U. 360, die 14 Aug., computante Dodwello in Chron. Xenoph. pag. 29, edit. Schneider.

4. *Ex infimis incrementis.* Conf. Corn. in vita Epamin. 10, 4; coll. Nostro infra cap. 8, 3, nec non VIII, 4, 9.

5. *Fit terrestre prælium.* Ad Haliartum Bœotiæ, Xen. Hell. III, 5, 17-25, anno, ut ait Plutarchus, trigesimo a prælio Deliaco, quod incidit in annum belli Pelop. 8, A. U. 330, ergo 360. Cæterum quum auctore Xenophonte Hell. IV, 3, 10, Agesilaus Bœotiam intrans, nuntium de Cononis victoria acceperit, ergo, ut §. 3 dixi, mense Augusto medio, Cononem illius mensis initio fere vicisse Spartanorum classem, inde colligi posse videtur. Ante illum autem Agesilai ex Asia reditum et in Bœotiam introitum clades illa Lysandri acciderat. Ergo et hic errat Noster, Lysandri cædem postponens Cononis victoriæ.

6. *Lysander... interficitur.* Vid. not. ad V, 7, 1; coll. not. ad V, 6, 1; Corn. VI, 3, 4 ibique not. — Anno Urbis 360.

7. *Proditionis.* Quod Lysandro serius succurrisset, olymp. 96, 3, i. e. A. U. 360, Diod. XIV, 89; Xen. Hell. III, 5, 25. — A. U. 360.

8. *Potiti victoria.* Bene; non ut

sum exercitum ad urbem Lacedæmoniorum ducunt,
facilem expugnationem rati, quoniam deserti a sociis
omnibus erant: quod metuentes Lacedæmonii, regem 9
suum Agesilaum ex Asia, qui ibi magnas res gerebat,
ad defensionem patriæ arcessunt. Occiso enim Lysan- 10
dro, nullius alterius fiduciam ducis habebant. Cujus 11
quoniam serus adventus erat, conscripto exercitu,
obviam hosti procedunt. Sed victis adversus paullo 12
ante victores nec animus neque vires pares fuere.
Prima igitur congressione funduntur. Deletis jam 13
suorum copiis, supervenit rex Agesilaus, qui restituto
prælio, non difficulter, recenti et multis expeditioni-
bus indurato milite, hostibus victoriam eripuit; ipse
tamen graviter sauciatur.

V. Quibus rebus cognitis, Athenienses verentes, ne, 1
iterum Lacedæmoniis victoribus, in pristinam sortem
servitutis redigerentur, exercitum contrahunt, eum- 2

vulgo *victoriam*: quamquam utrumque Noster usurpare videatur. Angl. legunt *victoriæ*; nec male. Nam sæpius hoc verbum *potiri* cum genitivo invenitur, subaudito *summa*, *negotio*. ED.

9. *Quod metuentes* etc. Respice cap. 2, 4 et 17. — *Magnas res gerebat*. Conf. supra cap. 2, 7-8, et Corn. in vita cap. 2-4.

11. *Cujus quoniam* etc. Exercitum Spartanorum sociorumque 15,000, Atheniensium contra et sociorum 22,550 enumerat Xen. Hell. IV, 2, 16-17. Diodorus autem illis attribuit 23,000 pedites, 500 equites, qui apud Nemeam fluvium (qui Corinthium et Sicyonium agrum interfluit, Liv. XXXIII, 15), cum hoste congressi, 1,100 ipsi amiserunt, hostium 2,800 occiderunt. Vid. illum XIV, 83. Uterque igitur exercitus victoriam sibi vindicavit, quum, Spartanorum sociis victis, Spartani ipsi vicissent, Xen. §. 20. Falsum igitur quod Noster refert. Non multis autem diebus post prælium illud Nemeense, sive Corinthium, Agesilaum apud Coroneam Bœotiæ conflixisse, auctor est Lysias pro Mantitheo pag. 581. Conf. Xen. Hell. IV, 3, 15-21; Diod. XIV, 84, qui utramque partem vindicasse sibi victoriam refert, quum Bœotii adversam sibi partem in fugam egerint, Agesilaus autem cæteros fugarit, indeque tropæum erexerit. Ex Bœotiis plures 600, ex Spartanis 350 cecidisse, idem refert. Conf. Cornel. XVII, 4, 5.

13. *Sauciatur*. Inde Delphos defertur, valetudinem ibi curaturus: Xen. §. 21, et Diod. loc. laud. — Anno Urbis 360.

V. 1. *Redigerentur*. Resp. de re V, 7-8. — *Contrahunt*. Non unne

que in auxilium Bœotiorum per Iphicratem, viginti
quidem annos natum, sed magnæ indolis juvenem,
3 duci jubent. Hujus adolescentis supra ætatem virtus
4 admirabilis fuit; nec unquam ante eum Athenienses,
inter tot tantosque duces, aut spei majoris, aut indolis
5 maturioris imperatorem habuerunt : in quo non im-
6 peratoriæ tantum, verum et oratoriæ artes fuere.
Conon quoque, audito reditu Agesilai, et ipse ex Asia
ad populandos Lacedæmoniorum agros revertitur;
7 atque ita, undique belli formidine circumstrepente,
clausi Spartani ad summam desperationem rediguntur.
8 Sed Conon, vastatis hostium terris, Athenas pergit:
ubi magno civium gaudio exceptus, plus tamen tris-
titiæ ipse ex incensa et diruta a Lacedæmoniis patria,
quam lætitiæ ex recuperata post tantum temporis,

demum contrahunt. Nam jam apud Nemeum et Coroneam (vid. not. ad cap. 4, 11). Athenienses pugnaverant. Ergo *novum* exercitum contrahunt et augent veterem exercitum novis delectibus.

2. *Iphicratem.* De cujus vita breviter exposuit Cornelius, nr. XI, rebusque ad Corinthum gestis Xen. Hell. IV, 4, 9; Diod. XIV, 86 et 91; Polyæn. I, 9, 45; III, 9, 43.

5. *Non imperatoriæ* etc. Talis Alexandri Magni pater, infra, IX, 8, 12; Cato apud Plinium, VII, 27; Cæsar apud Suetonium, cap. 51. Plures alios eloquentia simul ac imperatoriis artibus excellentes memorat auctor dialogi de Oratoribus, cap. 37, et Ammian. Marcellinus, XXX, 11. ED.

6. *Conon quoque*, etc. Conon auctore Xenoph. Hell. IV, 8, una cum Pharnabazo statim post victoriam Cnidiam (cap. 3, 10, not. ad cap. 2, 16), omnibus ex insulis urbibusque Asiæ maritimis harmostas Laconum expulit an. 360; et per hyemem navibus in Hellesponto per Cononem coactis, anni 361 vere ineunte, Spartæ ora maritima vastata, et Cytheræ portu occupato, ad Isthmum uterque navigat, Corinthios ad bellum (IV, 10, 12 not.) strenue gerendum hortans et pecunia juvans, Xen. §. 7-8. Jam Conon ab eodem Pharnabazo pecunia instructus Athenarum murum longum et Piræeum portum instaurat. Qua de re quum Antalcidas Spartanorum legatus apud Tiribazum Persici exercitus ducem conquestus esset, Conon a suis remissus, ab illo in vincula conjicitur §. 9-16, Diod. XIV, 85, anno 361 exeunte.

7. — Anno Urbis 361.

8. *Post tantum temporis.* Ab anno inde 348, mense Decembri, quo clades illa apud Ægos flumen (V, 6, 10) scilicet anno 350, quo muri et urbis et portus fuerant ab hoste omnino diruti (V, 8, 5), ad hunc usque annum 361.

cepit. Itaque, quæ incensa fuerant, prædarum sumtu 9
et exercitu Persarum restituit; quæ diruta fuerant,
reficit. Fatum illud Athenarum fuit, ut ante a Persis 10
crematæ, manibus eorum; et nunc a Lacedæmoniis
dirutæ, ex spoliis Lacedæmoniorum, restituerentur:
versa quoque vice, nunc haberent socios, quos tunc 11
hostes habuerant; et hostes nunc paterentur, cum
quibus juncti tunc arctissimis societatis vinculis fuerant.

VI. Dum hæc geruntur, Artaxerxes, rex Persarum, 1
legatos in Græciam mittit, per quos jubet, « Omnes
ab armis discedere : qui aliter fecisset, eum se pro
hoste habiturum : » civitatibus libertatem suaque om- 2
nia restituit : quod non Græciæ laboribus, adsiduisque
bellorum internecivis odiis consulens fecit; sed, ne 3
occupato sibi Ægyptio bello, quod propter auxilia,

9. *Sumtu.* Pecunia *prædarum*, ex prædis confecta, sive, ut §. 10, ait, spoliis Lacedæmoniorum. — Anno Urbis 361.

10. *Manibus eorum.* Sive (§. 9) exercitu Persarum. Duxit enim secum Conon exercitum navalem, qui etsi non ex Persis ipsis constabat, ex Persarum tamen sociis (cap. 3, 9 not.), Xen. Hell. IV, 8, 9. — *Ante.* A. U. 274, *crematæ* II, 12, 11; et cap. 14, 2-3; *dirutæ* V, 8, 5, anno Urbis 350.

VI. 1. *Dum hæc geruntur.* Tempus, ut solet, et hic perturbat Noster. Cap. 5, 11, quum in anno 361 substitisset, jam transilit ad annum 367. Præteriit igitur bellum *Corinthium* (not. ad V, 10, 12) per an. 360-367 gestum, finitum *pace Antalcidæ*, facta ab Antalcida, Spartanorum ad Tiribazum legato, anno 366 exeunte, aut 367 ineunte, Xen. Hell. V, 1, 25, ubi §. 31 : *Artaxerxes rex statuit omnes Asiæ civitates sui* (regis) *juris esse, nec non Clazomenas et Cyprum; cæteras Græcas civitates, et parvas, et magnas, suis ipsarum legibus administrandas, Lemno, Imbro et Scyro exceptis, quippe quæ Atheniensium imperio sint subjectæ. Quam quidem pacem quicunque respuerint, his bellum inferam et terra et mari, volentesque pecunia adjuvabo.*. Additque idem scriptor §. 36, Laconum suorum fautor : *Hac quidem pace Spartanorum gloria fuit aucta : quippe qui pacis arbitri constituti, libertatem civitatibus illis vindicarunt, eoque Corinthum sociam sibi adjunxerunt, expulsis Argivis, omnesque Bœotiorum civitates a Thebanorum servitute liberarunt.* Aliter contra judicat Diod. XIV, 110.

3. *Sed, ne occupato* etc. I. e., sed ne copiæ retinerentur in Græcia, dum ipse occuparetur bello adversus Ægyptios, quod adgressus fuerat, quia Ægyptii miserant auxilia contra suos præfectos. ED. — *Propter... missa.* Respice cap. 2, 1. Auc-

adversus præfectos suos Lacedæmoniis missa, susce-
4 perat, exercitus sui in Græcia distinerentur. Fessi igi-
5 tur tot bellis Græci cupide paruere. Hic annus non eo tantum insignis fuit, quod repente pax tota Græcia facta est; sed etiam eo, quod eodem tempore urbs
6 Romana a Gallis capta est. Sed Lacedæmonii securis insidiantes, absentiam Arcadum speculati, castellum eorum expugnant, occupatoque præsidium imponunt.
7 Itaque, armato instructoque exercitu, Arcades, adhi-
8 bitis in auxilium Thebanis, amissa bello repetunt. In

tor tamen hujus pacis non Persarum rex fuit, sed Spartani: quippe qui, Conone quoque remoto (cap. 5, 6 not.), gravem adversarium habuerunt Strutham, Tiribazi loco a rege missum (Xen. Hell. IV, 8, 17), qui Thimbronem, Spartanorum ducem, cum exercitu occidit olymp. 97, 3; A. U. 364, Diod. XIV, 99; Xen. loc. laud. §. 17-19. His aliisque malis, quæ et a Persis et ab Atheniensibus passi fuerant, fracti Spartani, Asiaticorum libertate turpiter prodita, pacem illam conciliarunt famosissimam.

4. — Anno Urbis 367.

5. *Pax tota Græcia.* Prima, ut ait Xen. Hell. V, 2, 35, pax Athenienses inter et Spartanos inita, ex quo muri Athenarum fuerant diruti (A. U. 350, supra V, 8, 5). — *A Gallis.* A Senonibus, Gallorum gente, a quibus Romam captam prodit Diod. XIV, 113-117, olymp 98, 2; ergo hoc ipso anno U. C. 367, quum margo Livii edit. Ernest. V, 41, ponat annum 365. — A. U 365.

6. *Sed Lacedæmonii* etc. Caussam exponit aliter Xenophon Hell. V, 2, Laconibus suis favens: aliter Diodorus a partium studio alienus lib. XV, 5, ubi cap. 12, olymp. 98, 4, A. U. 369, Mantineam obsidione bienni ad deditionem fuisse coactam tradit. — A. U. 368-369.

7. *Itaque armato* etc. Brevitati studens multa et hic præterit Noster. Nam, A. U. 372, Eudamidas cum Phœbida fratre Acanthiis et Apolloniatis auxilio missus, Bœotiam transiens, Cadmeam Thebarum arcem occupavit (Xen. Hell. V, 2, 11-28; Diod. XV, 19-21): quam exsules tandem Atheniensium opibus adjuti (olymp. 100, 3, A. U. 376) recipiunt. Quo facto, Spartani ab Atheniensibus lacessiti lacessunt hos eo, ut Sphodrias quamvis frustra Piræeo insidiaretur, Xen. Hell. V, 4, 13-34. Thebani igitur cum Atheniensibus conjuncti, variis cladibus Agesilaum, Phœbidam, et Cleombrotum, Laconum duces, per annos 377-378 adfecere. Hac fortuna erecti, pacem inter Græcos, inprimis Athenienses inter et Spartanos, a Persarum rege conciliatam A. U. 379 accipere noluerunt (Diod. XV, 38-40); nec alteram ab eodem inter eosdem pacem conciliatam A. U. 382 admiserunt. Quare hos tamquam communes Græciæ hostes Spartani adgressi sunt (cap. 50). Atque ut Epaminondas, Leuctricæ pugnæ victor A. U. 383, Arcadas sibi conciliat A. U. 385, sic Spar-

eo prælio Archidamus, dux Lacedæmoniorum, vulne-
ratur : qui, quum cædi suos jam et victos videret, per 9
præconem corpora interfectorum ad sepulturam pos-
cit. Hoc est enim signum apud Græcos victoriæ tra- 10
ditæ. Qua confessione contenti, Thebani signum par-
cendi dedere.

VII. Paucis deinde post diebus, neutris quicquam 1
hostile facientibus, quum quasi tacito consensu indu-
ciæ essent, Lacedæmoniis alia bella adversus finitimos
gerentibus, Thebani, Epaminonda duce, occupandæ
urbis eorum spem ceperunt. Igitur principio noctis 2
taciti Lacedæmona proficiscuntur : non tamen adgredi
incautos potuerunt. Quippe senes, et cætera imbellis 3
ætas, quum adventum hostium præsensissent, in ipsis
portarum angustiis armati occurrunt; et adversus 4
quindecim millia militum, non amplius centum jam
effœtæ ætatis viri pugnæ se offerunt. Tantum animo- 5
rum viriumque patriæ et penatium conspectus sub-
ministrat; tantoque præsentia, quam recordatione
sui, majores spiritus largiuntur. Nam, ut videre, inter 6
quæ, et pro quibus starent, aut vincendum sibi, aut
moriendum censuerunt. Pauci igitur sustinuere senes 7
aciem, cui par ante diem universa juventus esse non

tanis adjungunt se Athenienses, Diod. XV, 62-70. Arcades enim, in condenda Megalopoli a Spartanis superbe tractati, deinde A. U. 384, lacessiti ab Agesilao (Xen. Hell. VI, 5, 3-21 : nihil autem hic de *Archidamo*, Agesilai filio invenio apud Xen. et Diod.), adjungunt se Thebanis, qui Mantineam usque progressi fuerant, hisque persuadent, ut secum et cum Eleis et Argivis Laconicam ipsam invadant (Xen. Hell. VI, 5, 22-32, A. U. 385) : qua de re Noster cap. 7.

9. *Et victos.* Plures editiones *ut victos*, male. ED.

10. *Hoc est enim signum* etc. Diodorus XVII, 68, αἴτησιν τῶν νεκρῶν ait περιέχειν ἥττης ὁμολόγησιν. ED.

VII. 1. *Epaminondas.* Respice cap. 4, 4. — Anno Urbis 385.

3. *Portarum angustiis.* Erravit Justin. quia nec muros, nec portas habebat Sparta. ED.

5. *Penatium.* Plures editiones habent *Penatum*. ED.

7. *Ante diem.* MS. Bongarsianus *ante dies*. ED.

8 potuit. In eo prælio duo duces hostium cecidere.
9 Quum interim, Agesilai adventu nuntiato, Thebani
10 recessere: nec bellum diu dilatum; siquidem Sparta-
norum juventus, senum virtute et gloria incensa, te-
neri non potuit, quin ex continenti acie decerneret.
11 Quum victoria Thebanorum esset, Epaminondas, dum
non ducis tantum, verum etiam fortissimi militis offi-
12 cio fungitur, graviter vulneratur. Quo audito, his ex
dolore metus, illis ex gaudio, stupor injicitur; atque
ita, veluti ex placito consensu, a prælio disceditur.
1 VIII. Post paucos deinde dies Epaminondas dece-
dit: cum quo vires quoque reipublicæ ceciderunt.
2 Nam, sicuti, telo si primam aciem præfregeris, reliquo
ferro vim nocendi sustuleris; sic illo [velut mucrone
teli] ablato duce Thebanorum, rei quoque publicæ
vires hebetatæ sunt: ut non tam illum amisisse, quam
3 cum illo interiisse omnes viderentur. Nam neque hunc
ante ducem ullum memorabile bellum gessere; nec

9. *Agesilai adventu.* Agesilaus ipse adfuit; revocavit autem filium Archidamum cum exercitu absentem. Conf. Corn. XVII, 6.

10. *Nec diu... ex continenti.* Tempora et hic misere Noster confudit. Sparta enim quum oppugnata esset A. U. 385; prælium hoc Epaminondæ fatale apud *Mantineam* olymp. 104, 2, A. U. 391, ponit Diodor. XV, 82-88; Xen. Hell. VII, 5; coll. Corn. XV, 9.

12. *Ex placito consensu.* Forte *tacito*, ut est et supra, hoc ipso cap. §. 1. ED.

VIII. 1. *Post paucos... dies.* Non post paucos dies, sed paullo post prælium, ipso prælii die, quod omnes scriptores uno ore referunt: quos excitatos a me vides in not. ad Corn. XV, 9, 3. Hinc hoc loco Gronov. avus corrigere volebat: *post paullo deinde*, coll. Liv. XXII, 60, 16. Idem certe et Noster infra §. 11-13 innuere videtur. De laude hujus ducis egregii sane, ac plane singularis, confer quæ excitavi aliorum scriptorum loca ad Corn. XV, 9, 3: quibus adde Cic. Fin. II, 21, 2; et *Barthélemy, Voyage du jeune Anacharsis*, vol. II, pag. 20, ed. Bip. — *Cum quo vires* etc. Adeo vere Tacit. Germ. cap. 30: *Plus reponendum in duce, quam in exercitu;* Curtius X, 6, 13: *Militaris sine duce turma; corpus est sine anima;* Florus II, 18, 15: *Tanti est exercitus, quanti imperator.* ED.

2 [*Velut mucrone teli.*] Hæc verba Faber censet hinc exturbanda. ED.

3. *Ullum memorabile bellum.* Quod refellunt vel duo illa bella a septem

postea virtutibus, sed cladibus insignes fuere: ut ma-
nifestum sit, patriæ gloriam et natam et exstinctam
cum eo fuisse. Fuit autem incertum, vir melior, an 4
dux esset. Nam et imperium non sibi, sed patriæ sem- 5
per quæsivit; et pecuniæ adeo parcus fuit, ut sumtus 6
funeri defuerit. Gloriæ quoque non cupidior, quam 7
pecuniæ: quippe recusanti omnia imperia ingesta
sunt; honoresque ita gessit, ut ornamentum non ac- 8
cipere, sed dare ipsi dignitati videretur. Jam literarum 9
studium, jam philosophiæ doctrina tanta, ut mirabile
videretur, unde tam insignis militiæ scientia homini
inter literas nato. Neque ab hoc vitæ proposito mortis 10
ratio dissensit: nam ut relatus in castra semianimis, 11
vocem spiritumque collegit, id unum a circumstan-
tibus requisivit, « Num cadenti sibi scutum ademisset
hostis? » Quod ut servatum audivit, adlatum, velut 12
laborum gloriæque socium osculatus est. Iterum quæ- 13
sivit: « Utri vicissent? » Ut audivit Thebanos, « Bene
habere se rem, » dixit: atque ita, velut gratulabundus
patriæ, exspiravit.

IX. Hujus morte etiam Atheniensium virtus inter- 1
cidit. Siquidem amisso, cui æmulari consueverant, in 2
segnitiam torporemque resoluti, non, ut olim, in 3

Argivis et Epigonis gesta, 37 et 27 annis ante Trojanum. — *Patriæ... fuisse.* Idem judicat Corn. XV, 10, 4.

5. *Nam et imperium* etc. Bene; non ut plures codd.: *Nam et imperium non sibi semper, sed patriæ quæsivit*, alio prorsus et malo sensu. ED.

7. *Recusanti... sunt.* Quod vel uno illo refellitur, quod commemorat Cornel. XV, 7, 3.

8. *Ut ornamentum.* Ut videretur dare (ornamentum) ipsi dignitati (honoribus). Arridet tamen cod. lectio: *ipsis* (honoribus) *dignitatem.*

9. *Jam literarum* etc. Conf. Corn. in vita cap. 2, 5 et 6.

IX. 1. *Hujus morte* etc. Hyperbolice hoc, ut supra cap. 8, 3, dictum esse, insequens historia Athenarum ostendit, in qua Iphicrates, Chabrias, Timotheus et Phocion splendent.

2. *Amisso, cui æmulari.* Alii libri *quem æmulari.* Et utroque modo loquitur Cicero: illo, Tusculan. II, inquiens: *Obtrectare alteri, aut illa vitiosa æmulatione, quæ rivalitatis similis est, æmulari, quid habet utilita-*

classem exercitusque, sed in dies festos adparatusque
4 ludorum reditus publicos effundunt; et cum actoribus
nobilissimis poetisque theatra celebrant, frequentius
scenam, quam castra visentes; versificatoresque me-
5 liores, quam duces laudantes. Tunc vectigal publicum,
quo milites et remiges alebantur, cum urbano populo
6 dividi cœptum. Quibus rebus effectum est, ut inter
otia Græcorum sordidum et obscurum antea Macedo-
7 num nomen emergeret; et Philippus, obses triennio
Thebis habitus, Epaminondæ et Pelopidæ virtutibus
eruditus, regnum Macedoniæ, Græciæ et Asiæ cervi-
cibus, velut jugum servitutis, imponeret.

tis? isto, pro Flacco, dum ait: *Omnes ejus urbis instituta laudare possumus facilius, quam æmulari.* Volunt autem literatores inter utramque locutionem hanc esse differentiam, quod cum accusativo in bonam partem, cum dativo in malam accipiatur. ED.

4. *Versificatoresque.* Ald. et Junt. addunt *oratoresque.*

5. *Cum urbano populo.* Quod non nunc demum fieri cœptum est, sed a Pericle jam factitatum non uno loco illi objicit Aristophanes comicus.

6. *Sordidum et obscurum.* Quod vel sequens liber omnino refellit, ut lector attentus animadvertet.

7. *Triennio.* Aut potius decennio, ab anno inde 384-394. Conf. infra VII, 5, 2-3. Bonus autem auctor noster, a diligentia sua inprimis commendandus, si adnotare sibi voluisset, Epaminondam jam A. U. 391, periisse ad Mantineam; Philippum autem anno demum 394, Thebis aufugisse; ipse vidisset, post Epaminondæ demum mortem Thebas delatum esse Philippum, quem Epaminondæ tamen (quid? quod Pelopidæ, anno jam 390 occisi), virtutibus eruditum dicit.

LIBER VII.

I. MACEDONIA ante, nomine Emathionis regis, cujus 1
prima virtutis experimenta in illis locis exstant, Ema-
thia cognominata est. Hujus, sicuti incrementa mo- 2
dica, ita termini perangusti fuere. Populus Pelasgi, 3
regio Pæonia dicebatur. Sed postea, virtute regum et 4
gentis industria subactis primo finitimis, mox populis
nationibusque, imperium usque extremos Orientis
terminos prolatum. In regione Pæonia, quæ nunc 5
portio est Macedoniæ, regnasse fertur Pelegonus,
pater Asteropæi, cujus Trojano bello, inter clarissi-
mos vindices urbis, nomen accepimus. Ex alio latere 6
in Europa regnum Europus nomine tenuit. Sed et 7
Caranus cum magna multitudine Græcorum sedes in

I. 1. *Macedonia.* Dicta a Macedone Osiridis filio, Diod. I; alias Jovis filio et Deucalionis nepote. — *Ante, nomine.* Quidam MSS. habent *antea nomine;* hinc Sebisius *ante a nomine*, probante Berneccero. ED. — *Emathia.* Sic et Plin. Hist. Nat. IV, 17, et Steph., apud quem Ἠμαθία.

2. *Termini.* Quos Plin. loc. laud. dicit fuisse ad occidentem, Epirum; ad orientem, Magnesiam atque Thessaliam; ad septemtrionem, Pæoniam ac Pelagoniam.

3. *Pelasgi.* De quibus Herodot. I, 56; coll. *mein histor. Handbuch* sub hac voce. — *Pæonia.* Sic primus Peyraredus emendavit vulg. *Bœotia;* coll. Liv. XL, 3, 3; ubi Philippus omnes cives ex maritimis civitatibus in *Emathiam*, quæ nunc dicitur, quondam appellata *Pæonia* est, traduxit. Conf. hoc cap. §. 5.

4. *Imperium usque... prolatum.* Ab Alexandro.

5. *Pelegonus.* Aut potius Pelegon, ut est apud Hom. Il. XXI, v. 141, 152, 159, cujus filius Asteropæus 154-155 ita ipse de se:
Εἶμι ἐκ Παιονίης ἐριβώλου, τηλόθ' ἐούσης,
Παίονας ἄνδρας ἄγων δολιχεγχέας.
— Anno mundi 2800.

6. *Europa.* Vossius filius mavult *Europia*, quæ est Macedoniæ portio, in qua *Europus* urbs est. — *Europus.* Macedonis filius.

7. *Caranus.* Qui, ut Vell. I, 6, 5, tradit, ante annos fere 65, quam Roma conderetur, sextus decimus

Macedonia responso oraculi jussus quærere, quum
in Emathiam venisset, urbem Edessam, non sentientibus oppidanis, propter imbrium et nebulæ magnitudinem, gregem caprarum imbrem fugientium se-
8 quutus, occupavit : revocatusque in memoriam oraculi, quo jussus erat, « Ducibus capris imperium
9 quærere, » regni sedem statuit; religioseque postea observavit, quocunque agmen moveret, ante signa easdem capras habere, cœptorum duces habiturus,
10 quas regni habuerat auctores. Urbem Edessam, ob memoriam muneris, Ægeas, populum Ægeadas voca-
11 vit. Pulso deinde Mida (nam is quoque portionem Macedoniæ tenuit), aliisque regibus pulsis, in locum
12 omnium solus successit; primusque adunatis gentibus variorum populorum, veluti unum corpus Macedoniæ fecit; crescentique regno valida incrementorum fundamenta constituit.

1 II. Post hunc Perdiccas regnavit, cujus et vita

ab Hercule profectus Argis, regnum Macedoniæ occupavit. Ejus genus autem ita ad Herculem refert Diod. VII, fragm. 9 : 1, Hercules. — 2, Hyllus. — 3, Cleodæus. — 4, Aristomachus. — 5, Temenus. — 6, Cissius. — 7, Theostius. — 8, Merops. — 9, Aristodamidas. — 10, Phidon. — 11, Caranus : ita ut sint 11, non 16 : aut, si Phidonem fratrem Carani dixeris, non patrem, 10. Conf. et Pausan. II, 19, ubi §. 1, nr. 6 est Cisus. — A. M. 3165.

10. *Ægeas*. Alii in sing. *Ægeam*, et *Ægæam* : quo eodem modo et Græci variant : Αἰγὰ, Αἰγαί, Αἰγεία, Αἰγαία : unde nomen gentile dialecto Macedonica Αἰγειάδης pro Αἰγειάτης, Αἰγὰς, sedem sepulcrorum regionem commemorat Diod. XXII, fragm. 21.

11. *Mida*. Aliter Photius nr. 186, pag. 423, ex Conone, qui hunc ab Orpheo eruditum refert (ergo regnasse anno fere 80 ante Trojam eversam, non 370 post eam epocham) in Pieria monte : inde Hellespontum trajecisse, et in Mysia consedisse. Hac de re autem conf. infra not. ad XI, 7, 14.

12. *Gentibus... populorum*. Mela I, 19 : *Una gens, aliquot populi Sauromatæ;* et Gronov. avus ad Liv. V, 34, 5 : *gentem*, inquit, intelligo regionem vel provinciam, *populos* urbes.

II. 1. *Post hunc*. Non continuo, sed ex chronico Eusebii post Carani regnum annorum 28, Cœnus regn. 23, et Tyrimas regn. 45, cui demum successit *Perdiccas*, qui regn. 48, de quo quidem Herodotus VIII,

illustris, et mortis postrema, veluti ex oraculo præ-
cepta, memorabilia fuere : siquidem senex moriens 2
Argæo filio monstravit locum, quo condi vellet; ibi-
que non sua tantum, sed et succedentium sibi regum
ossa poni jussit; præfatus, « quoad ibi conditæ poste- 3
rorum reliquiæ forent, regnum in familia mansurum: »
creduntque hac superstitione exstinctam in Alexandro 4
stirpem, qui locum sepulturæ mutaverit. Argæus, 5
moderate et cum amore popularium administrato
regno, successorem filium Philippum reliquit : qui
immatura morte raptus, Æropum parvulum admo-
dum instituit heredem. Sed Macedonibus adsidua 6
certamina cum Thracibus et Illyriis fuere : quorum
armis, veluti quotidiano exercitio, indurati, gloria
bellicæ laudis finitimos terrebant. Igitur Illyrii infan- 7
tiam regis pupilli contemnentes, bello Macedonas
adgrediuntur : qui prælio pulsi, rege suo in cunis 8
prolato, et pone aciem posito, acrius certamen repe-

137 : Argo profugi devenerunt ad Illyrios ex Temeni (vid. ad cap. 1, 7 not., nr. 5) posteris fratres tres, Gavanes, Æropus et Perdiccas : inde in Macedoniam superiorem delati, juxta Lebæam urbem operam mercenariam regi locantes, equos, boves et oves pascebant. Inde pulsi a rege, consederunt juxta hortos, qui dicebantur Midæ (cap. 1, 11) Gordio geniti, ad Bermium montem, unde excursionem facientes, cæteram Macedoniam sibi subjecerunt. Idem cap. 139, Perdiccæ genus ita producit : 1, Perdiccas. — 2, Argæus. — 3, Philippus. — 4, Æropus. — 5, Alcetas. — 6, Amyntas. — 7, Alexander, quem Mardonius, a Xerxe in Græcia relictus (II, 13, 1), cum mandatis mittit Athenas A. U. 274, de pace concilianda acturum. Respice not. ad II, 14, 2. — Anno Urbis 30.

2. *Argæo*. Plures cdd. *Argeo*. ED.

3. *Regnum in familia mansurum*. Plures MSS. habent *regnum familiæ*. ED.

4. *In Alexandro stirpem*. Alexander quidem filium habuit : qui autem non rex fuit Macedoniæ. Stirps itaque regiæ Macedonum familiæ in Alexandro fuit deleta. ED. — *Mutaverit*. Corpusque ad Hammonem deferri voluerit, XII, 15, 7; XIII, 4, 6.

5. *Immatura*. Quo tandem modo immatura, quum regnarit annos 35? — *Æropum*. Sic Junt. cum Ald.; cæteræ cdd. vitiose *Europum*.

7. *Igitur*. Aut potius *autem* : jam autem Illyrii Macedonum virtutem adeo non timebant, ut, etc.

9 tivere : tamquam ideo victi fuissent antea, quod bel-
10 lantibus sibi regis sui auspicia defuissent; futuri vel
propterea victores, quod ex superstitione animum
11 vincendi ceperant : simul et miseratio eos infantis
tenebat, quem, si victi forent, captivum de rege fac-
12 turi videbantur. Conserto itaque prælio, magna cæde
Illyrios fudere; ostenderuntque hostibus suis, priore
bello regem Macedonibus, non virtutem defuisse.
13 Huic Amyntas succedit, et propria virtute, et Alexan-
14 dri filii egregia indole insigniter clarus : cui Alexandro
tanta omnium virtutum natura ornamenta exstitere,
ut etiam Olympio certamine, vario ludicrorum genere
contenderit.

1 III. Quum interim Darius, rex Persarum, turpi ab
Scythia fuga submotus, ne ubique deformis militiæ
damnis haberetur, mittit cum parte copiarum Mega-
bazum ad subigendam Thraciam, cæteraque ejus trac-
tus regna : quibus pro ignobili momento erat acces-
2 sura Macedonia. Qui, brevi tempore exsequuto regis
imperio, legatis ad Amyntam regem Macedoniæ missis,
obsides in pignus futuræ pacis dari sibi postulabat.
3 Sed legati, benigne excepti, inter epulas, ebrietate
crescente, rogant Amyntam, « Ut adparatui epula-

11. *Captivum de rege.* Ita Florus II, 6, 50 : *fecerant de servitute Romanos.* ED.

13. *Amyntas.* Inter hunc, ut not. ad §. 1 vidimus, et superiorem, Herodotus ponit Alcetam, cui Eusebii chronicon 28 regni annos adsignat. — Anno Urbis 246.

14. *Contenderit.* Hac de re confer Herodotum V, 22.

III. 1. *Megabazum.* Hoc nomen accepimus ex Herodoto, Μεγάβαζον. Variant autem scriptores in *Megabysum*, *Megabusum*, *Magabasum*, *Megabaxum*, etc. ED. — De re autem respice II, 5, 9-11; coll. Herodot. V, 17-22. — *Quibus pro ignobili momento* etc. scil. quibus adderet Macedoniam, quasi nullo labore domandam. ED.

2. *In pignus.* Gronovio avo videtur hanc voculam *in* hoc loco abundare, quam ipse auctor omiserit infra XI, 15, 13, et Liv. XXXVI, 40, 3 : *obsides ab his adduxit, pacis futuræ pignus*; XLIII, 10, 3 : *obsides, pignus futuros furto et fraude agendæ rei, non poscebat.*

rum adjiciat jus familiaritatis, adhibitis in convivium
suis ac filii uxoribus : id apud Persas haberi pignus ac
fœdus hospitii. » Quæ ut venerunt, petulantius Persis 4
eas contrectantibus, filius Amyntæ Alexander rogat
patrem, respectu ætatis ac gravitatis suæ abiret con-
vivio, pollicitus, se hospitum temperaturum jocos.
Quo digresso, mulieres quoque paullulum e convivio 5
evocat, cultius exornaturus, gratioresque reducturus.
In quarum locum matronali habitu exornatos juvenes 6
supponit, eosque petulantiam legatorum ferro, quod
sub veste gerebant, compescere jubet. Atque ita in- 7
terfectis omnibus, ignarus rei Megabazus, quum legati
non redirent, mittit eo cum exercitus parte Bubarem,
ut in bellum facile et mediocre; dedignatus ipse ire,
ne dehonestaretur prælio tam fœdæ gentis. Sed Bu- 8
bares ante bellum amore filiæ Amyntæ captus, omisso
bello, nuptias facit; depositisque hostilibus animis, in
adfinitatis jura succedit.

IV. Post discessum a Macedonia Bubaris, Amyntas 1
rex decedit : cujus filio et successori Alexandro co-
gnatio Bubaris non Darii tantum temporibus pacem
præstitit; verum etiam Xerxem adeo conciliavit, ut,
quum Græciam, veluti tempestas quædam, occupas-
set, inter Olympum Hæmumque montes totius regio-
nis eum imperio donaverit. Sed nec virtute minus, 2

3. *Uxoribus*. *Et filiabus* addunt omnes edd. antiq.

5. *Exornaturus*. Græce ὡς κοσμήσων, i. e., dicens se esse exornaturum. Leid. edit. *cultius exornatas gratioresque redituras*. De re conf. infra VIII, 6, 6. ED.

7. *Fœdæ*. Quo sensu VI, 9, 6, *Macedonum nomen sordidum*. — *In bellum*. Non in bellum, sed ut de cæde legatorum inquireret, Herodot. V, 21 et 8, 136, qui Amyntæ filiam, scilicet Alexandri sororem vocat *Gygæam*.

IV. 1. *Alexandro*. Qui regnavit A. U. 275-318; ergo non Dario et Xerxe in Perside regnantibus, quippe quorum ille regnavit an. 233-367, hic 268-280, sed Xerxe et Artaxerxe regibus Persarum an. 281-329. Ergo, historia duce, novus error hic emendandus.

3 quam Persarum liberalitate, regnum ampliavit. Per
ordinem deinde successionis regnum Macedoniæ ad
4 Amyntam, fratris ejus Menelai filium, pervenit. Hic
quoque insignis industria, et omnibus imperatoriis
5 virtutibus instructus fuit: qui ex Eurydice tres filios
sustulit, Alexandrum, Perdiccam, et Philippum,
Alexandri Magni Macedonis patrem, et filiam Eurynoen:
ex Gygæa autem Archelaum, Aridæum, Mene-
6 laum. Cum Illyriis deinde et cum Olynthiis gravia
7 bella gessit. Insidiis autem Eurydices uxoris, quæ
nuptias generi pacta, occidendum virum, regnumque
adultero tradendum susceperat, occupatus fuisset, ni
filia pellicatum matris, et sceleris consilia prodidisset.
8 Functus itaque tot periculis, senex decessit, regno
maximo ex filiis Alexandro tradito.

1 V. Igitur Alexander inter prima initia regni, bellum
ab Illyriis, pacta mercede, et Philippo fratre dato

3. *Per ordinem deinde* etc. Alexandro successit filius Perdiccas II an. 318-341; huic filius nothus Archelaus an. 341-355; cujus filii Orestis an. 355-361, tutor et parricida Æropus Pausanias an. 362 dein Æropi filius, occisus ab Amyuta II, an. 363-384, filio Philippi, qui Alexandri filius nothus a fratre Perdicca, qui quum de regno contenderat, fugatus fuerat. Quem igitur *Menelaum* Noster appellat, cæteri appellant *Philippum*, Alexandri non fratrem, sed filium. De Oreste et Æropo, conf. Diod. XIV, 37, 84 et 89; de Archelao XIII, 49; de Amynta ipso XV, 19-23.

5. *Eurynoen*. Hoc nomen dedi cum Grævio, quum in Ald. et Junt. sit *Eurynoem*. Eædem edd. exhibent *Gygæa*, quod idem nomen fuerat Alexandi sorori cap. 3, 7 not., quod cæteri, ut fit in nominibus propriis, vario modo corruperunt. *Aridæum* denique dedi ex Med., Ald., Col. pro *Archidæum*, *Archideum*, *Arcideum*, *Arideum*, qui Diodoro XVI, 2, est *Argæus*.

8. — Anno Urbis 384.

V. 1. *Alexander*. Regnavit an. 384-386, Diodor. XV, 60. Ptolemæus Alorites, quem Noster plane præterit, illius fuit parricida et frater spurius (Diod. XV, 71, an. 386-389) occisus a Perdicca, Diod. XV, 77, an. 389-394. — *Obside*. Illyrii autem Thebanis hunc tradiderunt, a quibus Epaminondæ custodiendus traditur. Vid. Diod. XVI, 2, qui tamen non a fratre, sed jam a patre Amynta (cap. 4, 6) illis traditum fuisse refert. Atque si a fratre demum Thebanis ipsis fuit traditus; quum hic an. jam 386 a fratre spurio sit occisus, Philippus anno demum 394 Thebis fuga elapsus, non

obside, redemit. Interjecto quoque tempore per eun- 2
dem obsidem cum Thebanis gratiam pacis reconciliat:
quæ res Philippo maxima incrementa egregiæ indolis
dedit; siquidem Thebis triennio obses habitus, prima 3
pueritiæ rudimenta in urbe severitatis antiquæ, et in
domo Epaminondæ, summi et philosophi et imperatoris, deposuit. Nec multo post Alexander insidiis 4
Eurydices matris adpetitus occumbit: cui Amyntas 5
in scelere deprehensæ, propter communes liberos,
ignarus iisdem quandoque exitiosam fore, pepercerat.
Frater quoque ejus Perdiccas pari insidiarum fraude 6
decipitur. Indignum prorsus, libidinis caussa liberos 7
a matre vita privatos, quam scelerum suorum suppliciis liberorum contemplatio vindicaverat. Perdiccæ 8
hoc indignior cædes videbatur, quod ei apud matrem
misericordiam nec parvulus quidem filius conciliaverat. Itaque Philippus diu non regem, sed tutorem 9
pupilli egit. At ubi graviora bella imminebant, serumque auxilium in exspectatione infantis erat, compulsus
a populo regnum suscepit.

triennio ibi fuit, sed decennio. Conf. supra not. ad VI, 9, 7.

3. *Pueritiæ rudimenta.* Sic infra IX, 1, 8: *ut sub militia patris tirocinii rudimenta deponeret.* ED. — De Epaminonda respice VI, 4, 4, et inprimis cap. 8.

4. *Insidiis Eurydices.* Cæteri, ut ad §. 1 adnotavi, a fratre spurio occisum referunt, ut Diod. XVI, 2.

5. *Cui Amyntas* etc. Respice cap. 4, 7. — Anno Urbis 385.

6. *Pari... decipitur.* Ergo a matris insidiis perit, quum tamen omnes cæteri hunc ab Illyriis cæsum fuisse referant, Diod. XVI, 2. — Anno Urbis 394.

7. *Libidinis caussa.* Genero ut nuberet, et ita libidinem expleret, regnum huic tradere voluerat cap. 4, 7. — *Quam... vindicaverat.* Cui, quum marito ipsi fuisset insidiata, hic pepercerat reputans, scelestam hanc uxorem esse tamen suorum liberorum matrem.

8. *Filius.* Perdiccæ. Hujus igitur quinquennis pueri tutelam suscepit Philippus patruus, natus an. 23.

9. *Graviora bella.* Illyri enim, cæso rege, et omni fere exercitu deleto, finibus Macedoniæ imminebant; nec minus Pæones regnum infestabant. Præterea Pausanias, regiæ stirpis juvenis, Thracum, Aridæus (cap. 4, 5), Atheniensium auxilio instructus, Macedoniam in-

1 VI. Ut est ingressus imperium, magna de illo spes
2 omnibus fuit, et propter ipsius ingenium, quod magnum spondebat virum, et propter vetera Macedoniæ fata, quæ cecinerant, uno ex Amyntæ filiis regnante, florentissimum fore Macedoniæ statum: cui spei scelus
3 matris hunc residuum fecerat. Principio regni, quum hinc cædes fratrum indigne peremtorum, inde hostium multitudo; hinc insidiarum metus, inde inopia continuis bellis exhausti regni, immaturam ætatem
4 tironis urgerent, bella, quæ velut conspiratione quadam ad opprimendam Macedoniam, multarum gentium ex diversis locis uno tempore confluebant, quoniam omnibus par esse non poterat, dispensanda
5 ratus; alia interposita pactione componit, alia redimit, facillimis quibusque adgressis, quorum victoria et militum trepidos animos firmaret, et contemtum
6 sibi hostium demeret. Primum illi cum Atheniensibus certamen fuit: quibus per insidias victis, metu belli gravioris, quum interficere omnes posset, incolumes
7 sine pretio dimisit. Post hæc, bello in Illyrios translato, multa millia hostium cædit; urbem nobilissimam

vadebant. — *Compulsus a populo.* Quod quidem prætegere solent tyrannis; revera autem, ambitione propria sæpius compulsi. ED.

VI. 1. — Anno Urbis 394.

3. *Hostium multitudo.* Respice cap. 5, 9 not.

4. *Dispensanda.* Patris familias instar, qui, ut sibi constet ratio accepti et expensi, sumtus dispensare solet, non omnia uno tempore simul et semel effundens.

5. *Contemtum sibi hostium demeret.* Aut potius *demit sui contemtum hostibus*, ut Bong. legi volebat.

6. *Atheniensibus.* Nam primo statim regni anno, A. U. 394, qui est olymp. 105, 1, jure in Amphipolin cedens, pacem per legatos cum his composuit (Diod. XVI, 4), cæso antea ad Methonam Mantia, horum duce, qui Argæum (cap. 5, 9, not.), mercenariorum manu instructum, regni æmulum reducere constituerat cap. 3, hoc loco §. 14: ubi Philippus mitis victor laudatur, qui multos ex prælio in collem proximum fuga elapsos, incolumes dimiserit, deditis sibi ex pacto transfugis.

7. *Post hæc.* A. U. 395, olymp. 105, 2; Diod. XVI, 4. — *Bello... cædit.* 7,000 de 10,000 peditibus et 500 equibus, quos Bardylis, Illyriorum rex, opposuerat Philippo

Larissam capit. Hinc Thessaliam, non prædæ cupidi- 8
tate, sed quod exercitui suo robur Thessalorum equi-
tum adjungere gestiebat, nihil minus quam bellum
metuentem, improvisus expugnat; unumque corpus 9
equitum pedestriumque copiarum invicti exercitus
fecit. Quibus feliciter provenientibus, Olympiadem, 10
Neoptolemi regis Molossorum filiam, uxorem ducit;
conciliante nuptias fratre patruele, altore virginis 11
Arruba, rege Molossorum, qui sororem Olympiadis
Troada in matrimonio habebat: quæ caussa illi exitii,
malorumque omnium initium fuit. Nam dum regni 12
incrementa adfinitate Philippi adquisiturum se sperat,
proprio regno ab eodem privatus in exsilio consenuit.
His ita gestis, Philippus jam non contentus submo- 13
vere bella, ultro etiam quietos lacessit. Quum Metho- 14
nam urbem oppugnaret, in prætereuntem de muris

10,000 peditibus et 600 equitibus instructo: et pace deinde per legatos composita, omnes urbes recepit ab Illyriis antea Macedonum regno ereptas, Diodor. XVI, 4. Iterum olymp. 106, 1, A. U. 398, hunc regem cum Pæonum et Thracum regibus conjunctum vincit, Diod. XVI, 22. Tertium olymp. 109, 1, A. U. 410, in Illyrios semper sibi infestos quum movisset, multas horum urbes capit cap. 69. — Anno Urbis 395.

8. *Improvisus expugnat.* Aut potius Alexandro, Pherarum tyranno, ab uxore Thebe et hujus fratribus tribus occiso, olymp. 105, 4, A. U. 397, Philippus ab illis auxilio vocatus Thessalos in libertatem vindicavit, ab hoc inde tempore socios, Diod. XVI, 14. Larissa autem quum sit Thessaliæ, non Illyrici urbs, lege cum Junt. et Ald., ut Bong. quoque conjecit, *Larissam in Thessalia... expugnat.* — Anno Urbis 397.

10-11. *Neoptolemi* etc. Alcetæ enim filii sunt Neoptolemus et Arrybas, sive Arrubas, Arymbas, cui mortuo, non, ut hoc loco est, pulso, successisse ait Diod. XVI, 72, Alexandrum, Olympiadis fratrem, adnitente Philippo. Conf. infra VIII, 6, 4-7. Est igitur Arrybas Olympiadis patruus.

11. *Altore.* Id est, tutore, quod est in edd. antiq. — *In matrimonio.* Plures edd. *in matrimonium.* ED. — Anno Urbis 397.

12. *Adquisiturum se sperat.* Ita quoque legit Faber ex quibusdam impressis. Istud *se* autem omissum est in nonnullis codicibus, sine dubio ob initium vocis sequentis *sperat.* Cæterum hoc pronomen reciprocum omitti, nil novi. ED.

14. *Methonam... oppugnaret.* In

15 sagitta jacta dextrum oculum regis effodit. Quo vulnere nec segnior in bellum, nec iracundior adversus
16 hostes factus est: adeo, ut, interjectis diebus, pacem deprecantibus dederit; nec moderatus tantum, verum etiam mitis adversus victos fuerit.

tertia hujus urbis oppugnatione olymp. 106, 4, A. U. 401, hoc accidisse refert Diodor. XVI, 34: qui eandem urbem antea jam an. 394 et 400, ab eodem oppugnatam fuisse narrat XVI, 3 et 31. — *Sagitta jacta.* Ab Astere Olynthio, teste Plutarcho. Hunc versum inscriptum habuit sagitta:

Ἀστὴρ Φιλίππῳ θανάσιμον πέμπει βέλος.

Aster lethale Philippo mittit spiculum. Commemorabilis autem adulatio Clisophi, qui in Philippi gratiam, altero privati oculo, ipse etiam alterum de suis deligare voluit, Ælian. Hist. Anim. IX, 7; Athenæus VI, 10. ED.

LIBER VIII.

I. Græciæ civitates, dum imperare singulæ cupiunt, 1
imperium omnes perdiderunt : quippe in mutuum 2
exitium sine modo ruentes, omnibus perire quod
singulæ amitterent, non nisi oppressæ senserunt :
siquidem Philippus, rex Macedoniæ, velut e specula 3
quadam, libertati omnium insidiatus, dum conten-
tiones civitatum alit, auxilium inferioribus ferendo,
victos pariter victoresque subire regiam servitutem
coegit. Caussa et origo hujus mali Thebani fuere : qui, 4
quum rerum potirentur, secundam fortunam imbe-
cillo animo ferentes, victos armis Lacedæmonios et
Phocenses, quasi parva supplicia cædibus et rapinis

I. 2. *Quippe... senserunt.* Quum enim in mutuum exitium sine modo (immoderate, immoderata imperandi cupidine) ruerent, tum demum, quum omnes oppressæ essent, senserunt, omnibus perire (id imperium), quod civitates singulæ amitterent.

3. *E specula quadam.* Unde totum quasi agrum oculis detegere posset, quamlibet occasionem Græciæ civitatibus imperium eripiendi, sibique arripiendi captaturus. Conf. Cic. ad Att. IX, 10; Dejot. VIII; Liv. XXXIV, 26.

4. *Caussa et origo* etc. Hoc bellum *sacrum*, olymp. 106, 2, A. U. 399, incensum a Philomelo scelerato, Phocensium duce, adjunctis sibi sociis Laconum rege Archidamo, et Atheniensibus A.U. 400, et nonnullis Peloponnesi populis, gestum contra Locros, templum Delphicum ab illo spoliatum defendentes, adjutos a Bœotiis, Thessalis, Perrhæbis, Doriensibus, Dolopibus, Athamanibus, Achæis, Phthiotis, Magnetibus, Ænianibus, et quibusdam aliis, per *decem annos* gestum, finitum demum est olymp. 108, 3, A. U. 408, hoc loco cap. 1-5 (Diod. XVI, 23-64, inprimis cap. 59-60), arbitro Philippo. — *Cædibus.* Cladibus, quibus adfecti fuerant apud Leuctra et Mantineam. Vid. not. ad VI, 6, 7; VI, 7, 10 not. : quo sensu *cædes* etiam infra cap. 2, 4. — *Commune Græciæ concilium.* Amphictyonas scilicet, de quibus adi *mein. historisch. Handwörterb.* vol. I, pag. 34.

luissent, apud commune Græciæ concilium superbe
5 accusaverunt. Lacedæmoniis crimini datum, quod
arcem Thebanam induciarum tempore occupassent;
6 Phocensibus, quod Bœotiam depopulati essent: prorsus,
quasi post arma et bellum, locum legibus reli-
7 quissent. Quum judicium arbitrio victorum exerceretur,
tanta pecunia damnantur, quanta exsolvi non
8 posset. Igitur Phocenses, quum agris, liberis, conjugibusque
privarentur, desperatis rebus, Philomelo
quodam duce, velut deo irascentes, templum ipsum
9 Apollinis Delphis occupavere. Inde auro et pecunia
divites, conducto mercenario milite, bellum Thebanis
10 intulerunt. Factum Phocensium, tametsi omnes exsecrarentur
propter sacrilegium, plus tamen invidiæ
Thebanis, a quibus ad hanc necessitatem compulsi
11 fuerant, quam ipsis intulit. Itaque auxilia his et ab
12 Atheniensibus, et a Lacedæmoniis missa. Prima igitur
13 congressione Philomelus Thebanos castris exuit. Sequenti
prælio primus inter confertissimos dimicans
14 cecidit, et sacrilegii pœnas impio sanguine luit. In
hujus locum dux Onomarchus creatur.

1 II. Adversus quem Thebani Thessalique non ex

5. *Arcem Thebanam*. Respice VI, 6, 7 not. — *Bœotiam depopulati essent*. Agrum Cirrhæ urbis, Apollini sacrum arassent et profanassent.

6. *Quasi... reliquissent*. Inter arma enim silent leges : res vi geritur, non legibus decernitur. Hinc apud Plutarch. Apophthegm. Rom. cap. 29, C. Marii dictum : *Se præ armorum strepitu leges exaudire non posse;* et Cæsaris : *Non idem armorum ac legum esse tempus*. ED.

8. *Privarentur*. Altera Amphictyonum sententia. — Anno Urbis 399.

9. *Thebanis*. Et, qui hos adjuvabant, Thessalis, Locris aliisque omnibus Græciæ civitatibus viciuis.

11. — Anno Urbis 400.

12. *Castris exuit*. Ad Phædriadas rupes, Diod. XVI, 28, ubi Locros fudit, non Thebanos, quorum auxilium Locri, hoc prælio omnino attriti, implorarunt.

13. *Cecidit*. Scilicet de saxo ipse se præcipitavit, Diod. XVI, 31. — Anno Urbis 400.

14. *Onomarchus*. Juntin. *Œnomenaus*, cum Orosio MS. et aliis edd. vetustioribus. Sed rectius codices recentiores. ED.

II. 1. *Thessalique*. A quibus in auxilium advocatus, Lycophronem,

civibus suis, ne victores potentiam ferre non possent,
sed Philippum, Macedoniæ regem, ducem eligunt: et 2
externæ dominationi, quam in suis timuerunt, sponte
succedunt. Igitur Philippus, quasi sacrilegii, non 3
Thebanorum ultor esset, omnes milites coronas laureas sumere jubet, atque ita, veluti deo duce, in prælium pergit. Phocenses, insignibus dei conspectis, 4
conscientia delictorum territi, abjectis armis, fugam capessunt, pœnasque violatæ religionis sanguine et cædibus suis pendunt. Incredibile, quantum ea res 5
apud omnes nationes Philippo gloriæ dedit. « Illum 6
vindicem sacrilegii, illum ultorem religionum: quod orbis viribus expiari debuisset, solum, qui piacula exigeret, exstitisse. Dignum itaque, qui diis proximus 7
haberetur, per quem deorum majestas vindicata sit. »

Pherarum tyrannum (unum ex tribus illis Thebes fratribus not. ad VII, 6, 8), pellit, et hoc in Phocidem fugato, bellum gerit contra Onomarchum, Diod. XVI, 35-6, olymp. 106, 4, A. U. 401. — *Non... eligunt* Non (aliquem)... eligunt (verentes), ut victores potentiam ferrent, id est, impotenter dominarentur: quo sensu cap. 1, 4, *fortunam secundam animo imbecillo ferre.* Ergo ironice dictum. Possis tamen et *victoris* corrigere, quod aptius opponitur his verbis *externæ dominationis* hoc sensu: verentes, ne hic ipsorum dux victor hostium, aliquando sua potentia in suos ipsius cives uteretur. Sic Liv. XXXIV, 48, 11: *In discordia civili pars quæ domestico certamine inferior est, externo potius se applicat, quam civi cedit.* ED.

3. *Laureas.* Quum laurus sacra esset Apollini, cujus templum fuerat a Phocensibus direptum (cap. 1, 3 not. et §. 8).

4. *Pendunt.* Atque dum bellum ipsum geritur, quum jam 10,000 talenta (10,000 mill. thal.) donis, corruptionibus aliisque necessariis impensa numerata essent; jam bello confecto, victi damnantur talentorum 60, quotannis dissolvendorum, usque dum templo omnia amissa essent restituta: ut porro habitent muris urbium dirutis, et sint ab Amphictyonum concilio exclusi. Qua tamen pœna paullo post, quum cæteris horum militia opus esset, sunt soluti, Diod. XVI, 59-60. — Anno Urbis 408.

6. *Illum vindicem* etc. Philippum solum exstitisse, qui exigeret piacula (ejus), quod viribus (totius terrarum) orbis expiari *debuisset* (quod dedi ex MS. Bongars., pro *debuit.* Est enim oratio obliqua, quæ in rectam conversa ita est pronuntianda: Philippus solus exstitit, qui exigere piacula debuerat). Sed non ea laus Philippo diu mansit.

8 Sed Athenienses, audito belli eventu, ne in Græciam
Philippus transiret, angustias Thermopylarum, pari
ratione, sicut antea advenientibus Persis, occupavere;
9 sed nequaquam simili aut virtute aut caussa: siqui-
dem tunc pro libertate Græciæ, nunc pro sacrilegio
publico; tunc a rapina hostium templa vindicaturi,
nunc adversus vindices templorum raptores defen-
10 suri: aguntque propugnatores sceleris, cujus turpe
11 erat alios vindices fuisse; immemores prorsus, quod
in dubiis rebus suis, illo deo etiam consiliorum auctore
usi fuerant; quod illo duce tot bella victores inierant;
tot urbes auspicato condiderant; tantum imperium
terra marique quæsierant; quod nihil sine majestate
numinis ejus aut privatæ unquam, aut publicæ rei
12 gesserant. Tantum facinus admisisse ingenia omni
doctrina exculta, pulcherrimis legibus institutisque
formata, ut, quid posthac succensere jure barbaris
possent, non haberent.

1 III. Sed nec Philippus melioris fidei adversus socios
2 fuit: quippe, veluti timens, ne ab hostibus sacrilegii
scelere vinceretur, civitates, quarum paullo ante dux
fuerat, quæ sub auspiciis ejus militaverant, quæ gra-
tulatæ illi sibique victoriam fuerant, hostiliter occu-

8. *Audito belli eventu.* Non tum demum, i. e. A. U. 408, sed anno jam 402, Diod. XVI, 38. — *Antea.* Supra II, 11, 2, A. U. 275.

10. *Aguntque propugnatores.* Propugnant scelus (sacrilegium), quum tamen jam turpe (Atheniensibus) esset, hoc ab aliis (Philippo, non ab ipsis Atheniensibus) fuisse vindicatum.

11. *Illo Deo.* Oraculo Delphico. — *Inierant.* Susceperant. Aptius tamen esset, quod Schefferus conjicit, τὸ *finierant.* — *Urbes... condiderant.* V. c. Neleo duce, coloniam in Ioniam miserant, anno fere 120 post Trojam eversam; Thurios in magna Græcia, anno Urbis 310 condiderant.

12. *Tantum facinus* etc. Supple: jure possis admirari. Respice not. ad II, 14, 9. Hac de re autem confer supra II, 6, 1-6.

III. 1. *Sed nec Philippus melioris fidei* etc. Philippi scelera egregie suis coloribus depingit Demosthenes Olynth. II. XII.

2. *Civitates.* V. c. Pheras Thessaliæ.

patas diripuit; conjuges liberosque omnium sub co- 3
rona vendidit: non deorum immortalium templis, non 4
ædibus sacris, non diis penatibus publicis privatisque,
ad quos paullo ante ingressus hospitaliter fuerat, pe-
percit: prorsus, ut non tam sacrilegii ultor exstitisse, 5
quam sacrilegiorum licentiam quæsisse videretur.
Inde, veluti rebus egregie gestis, in Cappadociam tra- 6
jicit: ubi, bello pari perfidia gesto, captisque per
dolum et occisis finitimis regibus, universam provin-
ciam imperio Macedoniæ adjungit. Deinde ad abolen- 7
dam perfidiæ famam, qua insignis præter cæteros
tunc temporis habebatur, per regna mittit et opu-
lentissimas civitates, qui opinionem sererent, regem 8
Philippum magna pecunia locare et muros per civi-
tates, et fana, et templa facienda; et ut per præcones
susceptores solicitarent. Qui quum in Macedoniam 9
venissent, variis dilationibus frustrati, vim regiæ ma-
jestatis timentes, taciti proficiscebantur. Post hæc 10
Olynthios adgreditur: receperant enim per miseri-
cordiam, post cædem unius, duos fratres ejus, quos
Philippus ex noverca genitos, veluti participes regni,
interficere gestiebat. Ob hanc igitur caussam urbem 11
antiquam et nobilem exscindit, et fratres olim destinato
supplicio tradit, prædaque ingenti pariter et parricidii
voto fruitur. Inde, quasi omnia, quæ agitasset animo, 12

4. *Hospitaliter*. Per oppositionem ad *hostiliter* §. 2, tamquam *hospes* et *amicus*, ut videndum est apud Liv. VI, 26; XXII, 30 et 54.

6. *Cappadociam*. Corruptum, ut videtur, ex *Cassopiam*, quod conjicit Valesius ad Harpocr.; aut lege cum Junt. et Ald. *Thraciam*, aut ex Diodoro *Chalcidicam*, Thraciæ partem. In Cappadociam certe, in Asia minore sitam, Philippus nunquam penetravit cum exercitu.

7. *Perfidiæ*. Hanc Freinsh. conjecturam recepi, adprobante Grævio, pro *invidiæ*.

8. *Et fana et templa*. Angli *fora et templa*, nec male. ED.

10. *Post hæc*. Diodorus XVI, 53, hanc urbem proditione captam narrat olymp. 108, 1, A. U. 406; ergo bello illo sacro nondum finito (A. U. 408, cap. 1, 4 not.). Philippus, propter quod hanc urbem emerat, inde *callidus emptor Olynthi* dictus Juvenali

ei licerent, auraria in Thessalia, argenti metalla in
13 Thracia occupat. Et, ne quod jus vel fas inviolatum prætermitteret, piraticam quoque exercere instituit.
14 His ita gestis, forte evenit, ut eum fratres duo, reges Thraciæ, non contemplatione justitiæ ejus, sed invicem metuentes, ne alterius viribus accederet, discep-
15 tationum suarum judicem eligerent. Sed Philippus, more ingenii sui, ad judicium, veluti ad bellum, inopinantibus fratribus, instructo exercitu, supervenit, et regno utrumque, non judicis more, sed fraude latronis ac scelere spoliavit.

1 IV. Dum hæc aguntur, legati Atheniensium, petentes
2 pacem, ad eum venerunt. Quibus auditis, et ipse legatos Athenas cum pacis conditionibus misit: ibique
3 ex commodo utrorumque pax facta. Ex cæteris quoque Græciæ civitatibus, non pacis amore, sed belli
4 metu legationes venere: siquidem, crudescente ira, Thessali Bœotiique orant, ut professum se adversum
5 Phocenses ducem Græciæ exhibeat: tanto odio Phocensium ardentes, ut, obliti cladium suarum, perire ipsi, quam non perdere eos præoptarent; expertamque Philippi crudelitatem pati, quam parcere hostibus
6 suis mallent. Contra Phocensium legati, adhibitis Lacedæmoniis et Atheniensibus, bellum deprecabantur,

XII, 47. EN. — *Ex noverca.* Gygæa, altera olim Amyntæ uxore VII, 4, 5.

12 *Auraria in Thessalia.* MSS. *auri in Thessalia* etc. Quod satis seqq. congruit *et argenti metalla.* De re autem circa Pydnam fuisse χρύσεια μέταλλα, auctor est Diodor. XVI, 8, e quibus Philippus annua mille talenta colligebat EN. — *Thessalia.* Olymp. 107, 4; A. U. 405 (Diodor. XVI, 52), nec non olymp. 109, 1; A. U. 410, cap. 69, ubi multas urbes tyrannis liberat. — *Thracia.* Thraciam, devicto rege Cersoblepte, olymp. 109, 2, A. U. 411 subigit, Diod. XVI, 71.

14. *Fratres.* Scilicet Berisades et Amadocus, Cotyis filii.

IV. 1. *Petentes pacem.* Quod quidem dissuaserat Demosthenes in Oratione pro corona.

4. *Crudescente.* Melius editio Aldina et Juntina *recrudescente*, ex quibus iisdem recepi in sequentibus *se.* — *Bœotii.* Non Bœotii, sed revera Thebani.

cujus ab eo dilationem ter jam emerant. Fœdum pror- 7
sus miserandumque spectaculum, Græciam etiam nunc
et viribus et dignitate orbis terrarum principem, re-
gum certe gentiumque semper victricem, et multarum
adhuc urbium dominam, alienis excubare sedibus,
aut rogantem bellum, aut deprecantem: in alterius 8
ope omnem spem posuisse orbis terrarum vindices,
eoque discordia sua, civilibusque bellis redactos, ut
adulentur ultro sordidam paullo ante clientelæ suæ
partem: et hæc potissimum facere Thebanos Lacedæ- 9
moniosque, antea inter se imperii, nunc Græciæ impe-
rantis æmulos. Philippus venditatione gloriæ suæ tan- 10
tarum urbium fastidium agitat; atque utros potius

7. *Etiam nunc*. I. e. tum etiam, quum hæc agebantur, sive hoc etiam tempore, in quo nunc subsistimus, de quo jam scribimus. Noli igitur referre particulam *nunc* ad ætatem scriptoris. Loqui enim solent historici ut poetæ, quasi scribant illo tempore, cujus gesta narrant.

8. *Orbis terrarum vindices*. Græcos, qui §. 7, *regum* prædicabantur *gentiumque victores*. — *Sordidam partem*. Modii MSS. *sordidæ parti*, ut videtur ex correctione, quum seriores vel antiquiores accusativum huic verbo adjungere soleant. De re conf. VI, 9, 6, ubi sordidum et obscurum Macedonum nomen dicit, ut hoc loco suo more Macedonas notat sordidos (viles, ignotos) Græcorum clientes, quippe quorum rex Amyntas Philippum filium Thebanis obsidem dare coactus fuisset. Vid. not. ad VII, 5, 1.

9. *Imperii* Cujus æmuli Thebani et Lacedæmonii dicuntur, quum nullum aliud sit, nisi imperium Græciæ (conf. v. c. VI, 4, 4); inepte plane idem repetitur in *Græciæ imperantis* æmulis. Hinc acute sane Altingius conjecit *gratiæ* (Philippi) pro *Græciæ*, probante Grævio et Vorstio, qui in textum recepit. Ut igitur antea imperium Græciæ æmulabantur illæ civitates, sic jam æmulantur gratiam imperantis Philippi, quem dominum suum agnoscunt, ut in hujus sedibus excubent §. 7, qui suum regnum, velut servitutis jugum, cervicibus Græciæ imponit VI, 9, 7. Bœotii igitur Thessalique ab hac parte, sicut ab altera Lacedæmonios, Athenienses et Phocenses, æmulantur gratiam imperantis, certantes, utri priores gratiam apud Philippum obtineant.

10. *Philippus venditatione* etc. Philippus venditans (conf. V, 5, 6; V, 3, 1) gloriam suam (potentiamque rebus gestis partam) agitat fastidium tantarum urbium (civitatum), i. e. adfectat fastidium earum, ex industria eas fastidit, et æstimat, scil. quasi ad libram exigit, utros potius dignetur, utrorum potiorem statuat dignitatem.

11 dignetur, æstimat. Secreto igitur auditis utriusque
legationibus, his veniam belli pollicetur, jurejurando
adactis, responsum nemini prodituros; illis contra,
venturum se, auxiliumque laturum. Utrosque vetat
12 parare bellum, aut metuere. Sic, variato responso, se-
curis omnibus Thermopylarum angustias occupat.

1 V. Tunc primum Phocenses captos se fraude Phi-
lippi animadvertentes, trepidi ad arma confugiunt.
2 Sed neque spatium erat instruendi belli, nec tempus
ad contrahenda auxilia; et Philippus excidium mina-
3 batur, ni fieret deditio. Victi igitur necessitate, pacta
4 salute, se dediderunt. Sed pactio ejus fidei fuit, cujus
5 antea fuerat deprecati belli promissio. Igitur cæduntur
passim, rapiunturque; non liberi parentibus, non
conjuges maritis, non deorum simulacra templis suis
6 relinquuntur. Unum tantum miseris solatium fuit,
quod, quum Philippus portione prædæ socios frau-
dasset, nihil rerum suarum apud inimicos viderunt.
7 Reversus in regnum, ut pecora pastores nunc in
hybernos, nunc in æstivos saltus trajiciunt, sic ille
populos et urbes, ut illi vel replenda, vel derelin-
quenda quæque loca videbantur, ad libidinem suam
8 transfert. Miseranda ubique facies, et excidio similis

11. *His.* De quibus confer §. 6; *illis*, de quibus confer §. 4.

12. — Anno Urbis 408.

V. 3. *Se dediderunt.* Conf. Diod. XVI, 59-60; coll. 61-64, olymp. 108, 3; A. U. 408.

4. *Ejus fidei.* Non minus perfida. De priori perfidia confer cap. IV, 6 et 11, et cap. 3, 1-5.

5. *Rapiuntur.* Diripiuntur, vel abripiuntur in servitutem. Præter pœnas enim Phocensibus inflictas, ad cap. 2, 4, commemoratas, Amphictyonum decreto decernitur, ut omnes Phocensium exsules, et quotquot sacrilegii fuerint participes, habeantur piaculares, quos ex quovis loco retrahere cuivis liceat, equi ipsorum vendantur, arma ad saxa confringantur. De horrendæ sevitiæ descriptione confer supra cap. III, 1-5.

7. *Populos et urbes.* MSS. plures habent *populos ad urbes.* ED.

8. *Miseranda ubique facies*, etc. Conf. Liv. I, 29, de Albanis Romam migrare jussis : *Non quidem fuit tumultus ille, nec pavor*, etc. ED.

erat. Non quidem pavor ille hostilis, nec discursus 9
per urbem militum erat; non tumultus armorum; non
bonorum atque hominum rapina : sed tacitus mœror 10
et luctus, verentibus, ne ipsæ lacrymæ pro contumacia haberentur. Crescit dissimulatione ipsa dolor, 11
hoc altius demissus, quo minus profiteri licet. Nunc 12
sepulcra majorum, nunc veteres penates, nunc tecta, in quibus geniti erant, in quibusque genuerant, considerabant; miserantes nunc vicem suam, quod in 13
eam diem vixissent; nunc filiorum, quod non post eam diem nati essent.

VI. Alios populos in finibus ipsis hostibus opponit; 1
alios in extremis [regni terminis] statuit; quosdam
bello captos in supplementis urbium dividit; atque 2
ita ex multis gentibus nationibusque unum regnum populumque constituit. Compositis ordinatisque Ma- 3
cedoniæ rebus, Dardanos, cæterosque finitimos fraude captos expugnat. Sed nec a proximis manus abstinet : 4
siquidem Arrybam, regem Epiri, uxori suæ Olympiadi arctissima cognatione junctum, pellere regno statuit;

10. *Sed tacitus... haberentur.* Confer Tac. Agric. 44 : *Præcipua sub Domitiano miseriarum pars erat videre et adspici, quum suspiria nostra subscriberentur*, etc. — *Verentibus.* Sebisius conjicit *verentium*. Sed hac conjectura nihil opus. Vide supra notas ad II, 3, 16. ED.

VI. 1. *In supplementis.* Quidam legunt *in supplementum* aut *in supplementa;* nec male. Nam, ut jam diximus, et alibi Noster præpositioni *in* adjungere solet ablativum, ubi accusativum alii, et contra. ED.

4. *Siquidem Arrybam*, etc. Respice VII, 6, 10-12, ibique not., quod factum tradit Diodor. XVI, 72, olymp. 109, 3; A. U. 412. Fuit autem, ut ibi ostendi, Arrybas, Olympiadis et Alexandri patruus, frater Neoptolemi, cui successerat, sicuti jam Alexander succedit patruo. Jam si, Diodoro auctore loc. laud., Arrybas illo A.U. 412, regni, ut idem addit, decimo, vitam finiit, indeque anno demum 402 ad regnum pervenerat, non hic Olympiadis, quæ fratris erat filia, nuptias cum Philippo iucundas conciliasse videtur, ut Noster vult VII, 6, 11, sed sponsæ pater ipse, tum regnans Neoptolemus. Æacides autem, Arrybæ filius, tum regno submotus, Alexandro demum anno 423 successit, et anno 442 mortuus, Pyrrhum filium regni heredem reliquit.

5 atque Alexandrum, privignum ejus, uxoris Olympiadis
fratrem, puerum honestæ pulchritudinis, in Mace-
6 doniam nomine sororis arcessit, omnique studio soli-
citatum spe regni, simulato amore, ad stupri consue-
tudinem perpulit, majora in eo obsequia habiturus,
7 sive conscientiæ pudore, sive regni beneficio. Quum
igitur ad viginti annos pervenisset, ereptum Arrybæ
regnum puero admodum tradit, scelestus in utroque.
8 Nam nec in eo jus cognationis servavit, cui ademit
regnum; et eum, cui dedit, impudicum fecit antequam
regem.

Hac de re autem conf. infra XVII, 3, 9, et XII, 2, 2 not.

5. *Honestæ.* Per oppositionem ad §. 6, *stuvro dehonestata, turpi stupro commaculata.* — Anno Urbis 412.

6. *Habiturus.* Græce ὡς ἕξων, id est, putans se habiturum esse ex eo obsequia majora... ut VII, 3, 5.

LIBER IX.

I. In Græciam Philippus quum venisset, solicitatus 1
paucarum civitatum direptione, et ex præda modica-
rum urbium, quantæ opes universarum essent, animo
prospiciens, bellum toti Græciæ inferre statuit. Ad 2
cujus emolumentum egregie pertinere ratus, si By-
zantium, nobilem et maritimam urbem, receptaculum
terra marique copiis suis futuram, in potestatem re-
degisset; eandem claudentem sibi portas, obsidione
cinxit. Hæc namque urbs condita primo a Pausania, 3
rege Spartanorum, et per VII annos possessa fuit:
deinde, variante victoria, nunc Lacedæmoniorum,
nunc Atheniensium juris habita est. Quæ incerta pos- 4
sessio effecit, ut, nemine quasi suam auxiliis juvante,
libertatem constantius tueretur. Igitur Philippus longa 5
obsidionis mora exhaustus, pecuniæ commercium de
piratica mutuatur. Captis itaque centum septuaginta 6
navibus, mercibusque distractis, anhelantem inopiam

I. 1. *Solicitatus*. Excitatus, illectus, confer indicem.

2. *Byzantium*. Byzantini enim et Persæ quum olymp. 109, 4, A. U. 413, Perintho diu jam a Philippo obsessæ venissent auxilio, hic illos, hinc retracturus copiarum partem, mittit ad Byzantium ipsum oppugnandum, Diod. XVI, 74-76.

3. *Condita*. Id est, Spartanorum colonia facta A. U. 278 (conf. not. ad Corn. IV, 2, 1-2), condita jam A. U. 104 a Byzante, qui Megarensium coloniam huc deduxerat; cui deinde se adjunxerunt Milesii, Vell. II, 15, 1, aliique populi, Ammian. Marcell. XXII, 8: de cujus quidem urbis fatis insequutis adi, si lubet, *mein histor. Handb.* vol. I, pag. 123. — *Juris habita est*. Quatenus amica fuit et socia.

5. *Pecuniæ commercium*. Schefferus, *pecuniæ commercium* non concoquens, conjicit, alia distinctione: *longa obsidionis mora exhaustus pecunia, commercium*, etc. ED.

7 paullulum recreavit. Deinde, ne unius urbis oppugna-
tione tantus exercitus teneretur, profectus cum for-
tissimis, multas Chersonensium urbes expugnat;
8 filiumque Alexandrum, decem et octo annos natum,
ut sub militia patris tirocinii rudimenta deponeret, ad
9 se arcessit. In Scythiam quoque prædandi caussa pro-
fectus est, more negotiantium, impensas belli alio
bello refecturus.

1 II. Erat eo tempore rex Scytharum Atheas, qui,
quum bello Istrianorum premeretur, auxilium a Phi-
lippo per Apollonienses petit, in successionem eum
2 regni Scythiæ adoptaturus. Quum interim Istrianorum
rex decedens, et metu belli, et auxiliorum necessitate
3 Scythas solvit. Itaque Atheas, remissis Macedonibus,
renuntiari Philippo jubet, « Neque auxilium ejus se
4 petisse, neque adoptionem mandasse. Nam neque
vindicta Macedonum egere Scythas, quibus meliores

7. *Teneretur.* Nonnulli codices *tereretur*, sed male. Supra III, 4: *Itaque quum contra præsumptionem suam annis decem in obsidione urbis tenerentur;* et II, 5: *Quippe conjuges eorum, longa exspectatione virorum fessæ, nec jam teneri bello, sed deletos ratæ.* ED. — *Profectus.* Solvit autem hujus urbis obsidionem, referente Diod. XVI, 77, olymp. 110, 1, A. U. 414, quod audisset, Athenienses aliosque Græcos bellum contra ipsum parantes, ut urbem obsidione liberarent, duce Phocione, cap. 2, 10. — *Chersonensium.* Legendum *Chersonesi* censet Grævius. ED. — Anno Urbis 414.

8. *Decem et octo annos natum.* Alexander A. U. 398 natus, agebat tunc annum fere decimum septimum. Antea autem jam Alexander, patre Perinthum oppugnante, Illyrios fugaverat, anno ætatis decimo quinto. — *Rudimenta deponeret.* Liv. XXXI, 2: *Et eum ipsum, rudimentum adolescentiæ, bello lacessentem Romanos, posuisse;* et, Quintil. Decl. III: *Ut sub te ponere militiæ rudimenta contingeret.* ED.

II. 1. *Scytharum.* Vid. ind. — *Atheas.* Bechar. *Matthæas*, Ald., Junt. ex Luciano *Anteas.* ED. — *Istrianorum.* Quos Milesiorum colonos fuisse refert Herodot. II, 33. — *Adoptaturus.* Dicens, scil. promittens se velle adoptare. Vid. ad VIII, 6, 6, et infra hoc cap. §. 11.

3. *Adoptionem non mandasse.* Non mandasse Apolloniensibus, ut, Philippum suo nomine auxilium rogantes, huic simul ipsius adoptionem promitterent.

4. *Nam neque vindicta.* Ed. Ald., Junt. *vindictæ;* ut infra XXIII, 4, 7, *humanæ opis egentem;* Cic. Fam. Epist. IX, 3, *ut medicinæ egeamus.* ED.

forent; neque heredem sibi, incolumi filio, deesse. »
His auditis, Philippus legatos ad Atheam mittit, « Im- 5
pensæ obsidionis portionem petentes, ne inopia dese-
rere bellum cogatur : quod eo promtius eum facere 6
debere, quod missis a se in auxilium ejus militibus ne
sumtum quidem vitæ, non modo officii pretia dederit. »
Atheas inclementiam cæli et terræ sterilitatem caus- 7
satus, quæ non patrimoniis ditet Scythas, sed vix
alimenta exhibeat, respondit : « Nullas sibi opes esse, 8
quibus tantum regem expleat; et turpius putare parvo
defungi, quam totum abnuere : Scythas autem virtute 9
animi et duritia corporis, non opibus censeri. » Quibus 10
derisus Philippus, soluta obsidione Byzantii, Scythica
bella adgreditur, præmissis legatis, quo securiores
faceret; qui nuntient Atheæ, « Dum Byzantium obsi- 11
det, vovisse se statuam Herculi, ad quam in ostio Istri
ponendam se venire, pacatum accessum ad religionem
dei petens, amicus ipse Scythis venturus. » Ille, « Si 12
voto fungi vellet, statuam sibi mitti » jubet : « Non
modo, ut ponatur, verum etiam, ut inviolata maneat, »
pollicetur : « Exercitum autem fines ingredi, negat se
passurum. Ac, si invitis Scythis statuam ponat, eo 13

— *Nam neque vindicta* etc. Non esse, cur per Macedonas Scythæ ab aliorum injuria vindicentur, quum ipsi illis sint meliores, fortiores. ED.

5. *Impensæ... petentes*. Qui peterent portionem, partem impensæ sive impensarum (cap. 1, 9) obsidionis (Byzantii obsessi, cap. 1, 7).

6. *Non modo* I. e., non modo non, sed *ne... quidem*, ut II, 1, 6. Conf. ind. in *non modo*. — *Pretia*. Id est, *præmia*, quæ illius glossa est in editione Junt., ut Phædr. I, 8, 1; Flor. III, 11, 2; I, 1-12.

7. *Alimenta exhibeat*. Edd. vett. et aliquot codd. *alimentis sufficiat*.

10. — Anno urbis 414.

11. *Ad religionem dei*. Ad cultum herois illius inter deos recepti. — *Petens... venturus*. Refer non ad præc. infin. *se venire*, sed ad tempus fin. *adgreditur* : Philippus bellum illud Scythicum adgreditur, per legatos petens, simulque promittens se venturum esse (vid. not. ad §. 1).

12. *Pollicetur*. Scil. se curaturum esse, *ut* ponatur. Sic supra V, 3, 3 : *Sperans ut dux belli legeretur* : ad quem locum id genus plures constructiones notavimus. ED.

digresso, sublaturum, versuramque æs statuæ in acu-
14 leos sagittarum. » His utrinque irritatis animis, præ-
lium committitur. Quum virtute et numero præstarent
15 Scythæ, astu Philippi vincuntur. Viginti millia pue-
rorum ac feminarum capta, pecoris magna vis, auri
16 argentique nihil. Ea primum fides inopiæ Scythicæ
fuit. Viginti millia nobilium equarum ad genus facien-
dum in Macedoniam missa.

1 III. Sed revertenti ab Scythia Triballi Philippo
occurrunt: negant, « se transitum daturos, ni portio-
2 nem accipiant prædæ. » Hinc jurgium, et mox prælium,
in quo ita in femore vulneratus est Philippus, ut per
3 corpus ejus equus interficeretur. Quum omnes occi-
4 sum putarent, præda amissa est. Ita Scythica, velut
5 devota, spolia pæne luctuosa Macedonibus fuere. Ubi
vero ex vulnere primum convaluit, diu dissimulatum
bellum Atheniensibus infert: quorum caussæ Thebani
se junxere, metuentes, ne, victis Atheniensibus, bel-
6 lum, veluti vicinum incendium, ad se transiret. Facta
igitur inter duas paullo ante infestissimas civitates
7 societate, legationibus Græciam fatigant. « Communem
hostem putant communibus viribus submovendum;
neque enim cessaturum Philippum, si prospere prima
8 successerint, nisi omnem Græciam domuerit. » Motæ
quædam civitates Atheniensibus se jungunt; quasdam
9 autem ad Philippum belli metus traxit. Prælio com-
misso, quum Athenienses longe majore militum nu-

16. *Ea primum... fuit.* Hoc demum modo Macedonibus persuasum est de Scytharum inopia.

III. 5-11. *Ubi vero* etc. Conf. Diod. XVI, 84-88, olymp. 110, 3; A. U. 416, qui imparatos Athenienses hunc adgressum tradit: cui tamen et quæ præcesserant, et quæ sunt insequuta, contradicunt. Nonne enim illi hunc Byzantio per Phocionem repulerant, eoque bellum ei intulerant? Thebanos autem Demosthenes orator ad hos missus ad belli societatem permoverat, Diod. XVI, 85.

6. *Paullo ante.* Scilicet in bello Phocensi: de quo supra vid. not. ad VIII, 1, 4, et 8, 4.

mero præstarent, adsiduis bellis indurata virtute Macedonum, vincuntur. Non tamen immemores pristinæ 10
gloriæ cecidere : quippe adversis vulneribus, omnes loca, quæ tuenda a ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt. Hic dies universæ Græciæ et 11
gloriam dominationis, et vetustissimam libertatem finivit.

IV. Hujus victoriæ callide dissimulata lætitia est. 1
Denique non solita sacra Philippus illa die fecit; non in convivio risit; non ludos inter epulas adhibuit; non coronas, non unguenta sumsit; et, quantum in illo fuit, ita vicit, ut victorem nemo sentiret. Sed nec 2
regem se Græciæ, sed ducem appellari jussit. Atque 3
ita inter tacitam lætitiam et dolorem hostium temperavit, ut neque apud suos exsultasse, neque apud victos insultasse videretur. Atheniensibus, quos passus 4
infestissimos fuerat, et captivos gratis remisit, et bello consumtorum corpora sepulturæ reddidit; reliquiasque funerum ut ad sepulcra majorum deferrent, ultro hortatus est. Super hæc Alexandrum filium cum amico 5
Antipatro, qui pacem cum his amicitiamque junge-

9. *Vincuntur.* Ad Chæroneam Bœotiæ, ducibus Charete et Lysicle. Vid. Diod. XVI, 85, qui in Philippi exercitu numerat 32,000, diserte addens, et numero et belli peritia regem præstitisse hostium exercitui, qui non minus promptus et alacer fuerit. — Anno Urbis 416.

11. *Dominationis.* Respice supra VIII, 4, 7 et 8.

IV. 1. *Hujus victoriæ... lætitia est.* Aliam famam refert Diodor. XVI, 87, qui ob nimiam, qua victis insultarit, lætitiam regem a Demade, Atheniensium oratore captivo, acerbe admonitum fuisse narrat.— *Ludos non adhibuit.* Contra cap. 3 : *ludorum magnificentia non deerat in nuptiis celebrandis.* — *Coronas... unguenta.* Qualia in epulis festis adhiberi solita fuisse, ostendunt multæ Horatii odæ.

3. *Lætitiam.* Scil. suam. Ut neque Macedones crederent regem de victoria sua exsultasse, neque illum Athenienses putarent ipsis propter cladem insultasse.

4. *Corpora..., reliquiasque funerum.* *Corpus* et *reliquias* conjunxit ita et alibi : ut XII, 15, 15 : *Corpus regio more sepeliri, et reliquias ejus majorum tumulis inferri jussit.* Item IX, 7, 11 : *Refixum corpus interfectoris super reliquias mariti cremavit.* ED.

6 rent, Athenas misit. Thebanorum porro non solum
captivos, verum etiam interfectorum sepulturam ven-
7 didit. Principes civitatis alios securi percussit, alios in
8 exsilium redegit, bonaque omnium occupavit. Pulsos
deinde per injuriam in patriam restituit; ex horum
numero ccc exsules, judices rectoresque civitati dedit:
9 apud quos quum potentissimi quique rei ejus ipsius
criminis postularentur, quod per injuriam in exsilium
egissent, hujus constantiæ fuerunt, ut omnes se auc-
tores faterentur, meliusque cum republica actum,
quum damnati essent, quam quum restituti, conten-
10 derent. Mira prorsus audacia: de judicibus vitæ necis-
que suæ, quemadmodum possunt, sententiam ferunt;
contemnuntque absolutionem, quam dare inimici
possunt; et quam rebus nequeunt ulcisci, verbis
usurpant libertatem.

1 V. Compositis in Græcia rebus, Philippus omnium
civitatum legatos ad formandum rerum præsentium
2 statum evocari Corinthum jubet. Ibi pacis legem uni-
versæ Græciæ pro meritis singularum civitatum sta-
tuit; conciliumque omnium, velutì unum senatum,
3 ex omnibus legit. Soli Lacedæmonii, et legem, et

6. *Porro*. Aut potius *autem*, aut *contra*, hoc sensu: contra autem quos ex Thebanis ceperat, hos vendidit servos; quos occiderat, hos non nisi pretio redemtos remisit.

7. *Redegit*. Usitatius et aptius quod est in uno cod., Fabro quoque probatum, *egit*.

8. *Pulsos*. Utpote amicitiæ Philippi suspectos. De his tamen nihil Diodorus, qui XVI, 87, nihil præter hæc: *Thebis custodia imposita concessit pacem Bœotiis*.

9. *Apud quos... egissent*. Scil *apud eos* judices dum potentissimi quique cives accusantur, tamquam rei magni criminis, quod illos ejecissent in exilium injuria. Pro *se* autem Faber malebat *ipsos*. Legitur autem in edit. Rom. *eos*. ED.

10. *Quam*. Ita pro *quoniam* dedi ex Ald., Junt., Ven., probante Grævio. Possis, et eodem probante, delere cum Fabro *ulcisci*: usurpant certe verbis libertatem, quam rebus nequeunt (usurpare).

V. 1. *Compositis in Græcia rebus*, etc. Conf. Diod. XVI, 89, olymp. 110, 4; Anno Urbis 417.

3. *Et legem, et regem*. Bong. *et regem et leges*. ED. — *Civitatibus*. Id est, inter civitates, de qua civitates

regem contemserunt, servitutem, non pacem rati,
quæ non ipsis civitatibus conveniret, sed a victore
ferretur. Auxilia deinde singularum civitatum descri- 4
buntur, sive adjuvandus ea manu rex, oppugnante
aliquo, foret, seu duce illo bellum inferendum. Neque 5
enim dubium erat, imperium Persarum his adpara-
tibus peti. Summa auxiliorum ducenta millia peditum 6
fuere, et equitum quindecim millia. Extra hanc sum- 7
mam et Macedoniæ exercitus erat, et confinis domi-
tarum gentium barbaries. Initio veris tres duces in 8
Asiam Persarum juris præmittit, Parmenionem, Amyn-
tam, et Attalum, cujus sororem nuper, expulsa Alexan- 9
dri matre Olympiade propter stupri suspicionem, in
matrimonium receperat.

VI. Interea, dum auxilia a Græcia coeunt, nuptias 1
Cleopatræ filiæ et Alexandri, quem regem Epiri fece-
rat, celebrat. Dies erat pro magnitudine duorum re- 2
gum, et collocantis filiam, et uxorem ducentis, adpa-
ratibus insignis. Sed nec ludorum magnificentia de- 3
erat: ad quorum spectaculum Philippus dum sine
custodibus, medius inter duos Alexandros, filium

ipsæ convenirent. Conf. Cic. Cluent. *judex inter adversarios convenit*; Liv. I, 24, *tempus et locus convenit*; XXIII, 9, *septunces auri in singulos pretium convenit*. Confer et infra XXX, 3, 10.

5. *Peti*. Diod. XVI, 89, Philippum dicit de hoc ipso adparatu disseruisse, spe magna de prospero hujus belli eventu excitata.

6. *Summa auxiliorum* etc. *Das Contingent*, ut cum Germanis nostris loquar, *welches die Griechen unter der Anführung des Reichsoberhauptes stellen sollten, ward auf* 215,000 *Streiter angesezt.*

7. *Domitarum gentium*. Illyriorum, Dardanorum, Thracum. Conf. VII, 6, 7, et inprimis XI, 1, 6: barbari (non Græci) confines ex gentibus domitis.

9. *Sororem*. Aut potius sororis filiam, Cleopatram cap. 7, 2, Diod. XVI, 93. Jam antea autem repudiarat Olympiadem, superinducta Meda, Cithelæ Thracum regis filia. Postrema autem ex septem hujus uxoribus fuit hæc Cleopatra, Athen. XIII. — *Stupri suspicionem*. Conf. cap. 7, 2; XII, 16, 2.

VI. 1. *Interea*, etc. Conf. Diod. XVI, 91-95, olymp. 111, 1; A. U. 418. — *Filiæ*. Ex Olympiade susceptæ, ergo Alexandri M. sororis.

4 generumque, contenderet, Pausanias, nobilis ex Ma-
cedonibus adolescens, nemini suspectus, occupatis
angustiis, Philippum in transitu obtruncat; diemque
5 lætitiæ destinatum, fœdum luctu funeris facit. Hic
primis pubertatis annis stuprum per injuriam passus
ab Attalo fuerat : cujus indignitati hæc etiam fœditas
6 accesserat; nam perductum in convivium solutumque
mero Attalus non suæ tantum, verum et convivarum
libidini, velut scortum vile, subjecerat, ludibriumque
7 omnium inter æquales reddiderat. Hanc rem ægre
ferens Pausanias, querelam Philippo sæpe detulerat.
8 Quum variis frustrationibus non sine risu differretur,
et honoratum insuper ducatu adversarium cerneret,
iram in ipsum Philippum vertit, ultionemque, quam
ab adversario non poterat, ab iniquo judice exegit.
1 VII. Creditum est etiam, immissum ab Olympiade
matre Alexandri fuisse; nec ipsum Alexandrum igna-
2 rum paternæ cædis exstitisse : quippe non minus
Olympiadem repudium, et prælatam sibi Cleopatram,
3 quam stuprum Pausaniam doluisse. Alexandrum quo-
que, regni æmulum, fratrem ex noverca susceptum

— *Alexandri... fecerat.* Resp. VIII, 6, 5 et 7; coll. VII, 6, 10-12. Fit igitur hic Alexander Epirota suæ ipsius sororis gener; et Alexander Macedo habet Alexandrum Epirotam avunculum, eundemque sororis maritum.

4. — Anno Urbis 418.

5. *Possus.* Non libidinis caussa, sed in ultionem alius cujusdam Pausaniæ, qui in prælio Illyrico (VII, 6, 7) Philippum regem corpore suo tegens letaliterque vulneratus, moribundus Attalo dixerat, ideo mortem se quæsivisse, quod ignominiam stupri a rege sibi illati, ab hoc Pausania sibi objectam diutius ferre non posset, Diod. XVI, 93.

6. *Perductum.* Ait Bong. in MSS. legi *productum.* Modius autem *perductum* longe accommodatius esse contendit. Hinc enim *perductores*, προαγωγεῖς, qui hoc differunt a lenonibus, quod *lenones* sunt *scortorum*, *perductores* autem *invitarum personarum.* ED.

8. *Ducatu.* Ducis dignitate. Utitur auctor hac voce supra II, 15, 14; et infra XXX, 2, 5; Sueton. Tib. 19, 2; et Ner. 35, 13. Utitur et Suetonio antiquior Curtius. ED.

VII. 2-3. *Quippe non minus Olympiadem repudium, et prælatam* etc. Respice cap. 5, 9.

timuisse; eoque actum, ut in convivio antea primum cum Attalo, mox cum ipso patre jurgaret: adeo ut 4
etiam stricto gladio cum Philippus consectatus sit, ægreque a filii cæde amicorum precibus exoratus.
Quamobrem Alexander ad avunculum se in Epirum 5
cum matre, inde ad regem Illyriorum contulerat;
vixque revocanti mitigatus est patri, precibusque co- 6
gnatorum ægre redire compulsus. Olympias quoque 7
fratrem suum Alexandrum, Epiri regem, in bellum subornabat, pervicissetque, ni filiæ nuptiis pater generum occupasset. His stimulis irarum utrique Pau- 8
saniam de impunitate stupri sui querentem, ad tantum facinus impulisse creduntur. Olympias certe fugienti 9
percussori equos quoque præparatos habuit. Ipsa 10
deinde, audita regis nece, quum titulo officii ad exsequias cucurrisset, in cruce pendentis Pausaniæ capiti, eadem nocte, qua venit, coronam auream imposuit: quod nemo alius audere, nisi hæc, superstite Philippi filio, potuisset. Paucos deinde post dies, refixum cor- 11
pus interfectoris super reliquias mariti cremavit; et tumulum ei eodem fecit in loco, parentarique eidem quotannis, incussa populo superstitione, curavit. Post 12
hæc Cleopatram, a qua pulsa Philippi matrimonio fuerat, in gremio ejus prius filia interfecta, finire

3. *Eoque actum.* MSS. plures *factum:* quod præ vulgato placet. ED.

4. *Exoratus.* Unus MS. *revocatus*, quod præfert Ruhnkenius. Me quidem in Justino non offendit *exorare aliquem precibus.*

5. *Ad avunculum.* Scilicet Alexandrum Epirotam cap. 6, 1 not., hoc capite §. 7.

6. *Redire compulsus.* Interveniente Demarato Corinthio, Philippi regis hospite.

8. *Utrique.* Ed. Junt. teste Grævio, *uterque:* id quod Grævio et placet. Verum nihil novi vocem pluralis numeri *utrique* de duabus personis singulis usurpari. Nepos XX, 2, 2, *utrique Dionysii*, pro uterque Dionysius; et alibi passim. ED.

10. *Pausaniæ.* In fuga comprehensi a Perdicca, Attalo et Leonnato, Diod. XVI, 91. — *Qua venit.* Hæc verba inepta editiones antiquæ omittunt.

12. *Filia.* Aut potius *filio;* coll. §. 3, quamquam et hunc Noster

vitam suspendio coegit, spectaculoque pendentis ultio-
nem potita est, ad quam per parricidium festinaverat.
13 Novissime gladium, quo rex percussus est, Apollini
sub nomine Myrtales consecravit : hoc enim nomen
14 ante Olympiadis parvulæ fuit. Quæ omnia ita palam
facta sunt, ut timuisse videatur, ne facinus ab ea com-
missum non probaretur.

1 VIII. Decessit Philippus XL et VII annorum, quum
2 annis XXV regnasset. Genuit ex Larissæa saltatrice
3 filium Aridæum, qui post Alexandrum regnavit. Ha-
buit et alios multos ex variis matrimoniis regio more
4 susceptos, qui partim fato, partim ferro periere. Fuit
rex armorum, quam conviviorum adparatibus studio-
sior; cui maximæ opes erant instrumenta bellorum:
5 divitiarum quæstu, quam custodia solertior. Itaque
6 inter quotidianas rapinas semper inops erat. Miseri-
7 cordia in eo et perfidia pari jure dilectæ. Nulla apud
8 eum turpis ratio vincendi. Blandus pariter et insi-
diosus adloquio; qui plura promitteret, quam præ-
staret: in seria et jocos artifex. Amicitias utilitate, non
9 fide colebat. Gratiam fingere in odio, in gratia offen-
sam simulare, instruere inter concordantes odia, apud

infra nominat XI, 2, 3. — *Ultionem.* Edd. antiq. *ultione.* Utraque constructio satis usitata. ED.

13. *Myrtales.* Recep. ex aliquot codd. cum Gron. nepote et Burm., probante Gron. avo, pro *Myrtalis*, quum græce sit Μυρτάλη.

VIII. 1. *Annis quinque et viginti.* Aut potius 24, (Diod. XVI, 95) ab anno inde Urbis 394, ad hunc usque annum 418.

2. *Regnavit.* Vid. infra XIII, 2, 8, et cap. 3, 1.

4. *Cui... bellorum.* Qui maximas opes accumulabat usuris his bellorum instrumentis, sive, ut his uteretur ad bella gerenda, iisque potentiam augendam.

7. *Dilectæ.* Non ab aliis, sed ab ipso; ergo non minus perfidus fuit, quam misericors.

8. *Blandus.* Hinc apud Diodor. XVI, 95 : Μεγάλως ἐσεμνύνετο ἐπὶ τῇ στρατηγικῇ συνέσει, καὶ τοῖς διὰ τῆς ὁμιλίας ἐπιτεύγμασιν.

9. *Gratiam fingere.* Versans cum aliquo, quem vere oderat, gratiam fingebat, sive simulabat se cum eo in gratiam rediisse, gratiam nunquam fuisse dissolutam; et quocum in gratia vivebat, ab hoc offensum se simulabat.

utrumque gratiam quærere, solennis illi consuetudo.
Inter hæc eloquentia insignis, oratio acuminis et so- 10
lertiæ plena; ut nec ornatui facilitas, nec facilitati in-
ventio, nec inventioni deesset ornatus. Huic Alexander 11
filius successit, et virtute et vitiis patre major. Vincendi
ratio utrique diversa. Hic aperte, ille artibus bella 12
tractabat. Deceptis ille gaudere hostibus, hic palam
fusis. Prudentior ille consilio, hic animo magnificen- 13
tior. Iram pater dissimulare, plerumque etiam vin- 14
cere: huic; ubi exarsisset, nec dilatio ultionis, nec
modus erat. Vini nimis uterque avidus: sed ebrietatis 15
diversa vitia. Pater de convivio in hostem procurrere,

10. *Inter hæc* etc. Ita hunc §. ex Junt., Ald. dedi cum Oxon. et Grævio, quum in vulg. sit: *eloquentia et insignis... nec facilitati inventionum deesset ornatus.* Præterea probante Grævio recep. *inventioni* pro *inventionibus*, quum sit apud Sarisb. V, 12, *inventionis*, et singularis ille melius respondeat præcedenti *ornatui*, *facilitati*.

11. *Huic Alexander* etc. In utriusque et patris et filii moribus inter se comparatis, non magis Nostro, quam Ciceroni (Off. I, 26, 3) adsentior. Cicero enim: *Philippum*, inquit, *rebus gestis et gloria superatum video a filio; facilitate et humanitate fuisse superiorem.* Nonne autem major gloria est regnum Macedonum debilitatum et a tot tantisque hostibus lacessitum (7, 6) non solum vindicare, sed huic etiam Græciæ imperium adserere, quam regnum ad hoc fastigium evectum, tantis ducibus tantoque exercitu firmatum tueri, hujusque viribus evertere Persarum imperium, jam ipsum dissolutum, inque suum ipsius exitium ruens? Quæ est porro humanitas et facilitas Philippi, qui aperte blandiens teterrimam perfidiam dissimulabat, in Thebanos aliosque sæviebat (cap. 4; VIII, 5; VIII, 3, 1-5), immoderatæ imperandi libidini vilissime inserviens? Atque hujus hominis mores, quales ipse Noster §. 7-9 describit, contemplans, quis non cum Horatio acclamabit cuivis?

... Hic niger est; hunc tu, Germane, caveto!

In Alexandro contra, non minus et in civitates universas et homines singulos, amicos familiarissimos sæviente, perpendendum est hoc inprimis, quod Cicero præcipit Off. I, 8, 9: *In omni injustitia permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumque brevis est et ad tempus, an consulto et cogitato fiat injuria: leviora enim sunt, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quæ meditata et præparata inferuntur.*

12. *Aperte.* Editiones antiquæ et nonnulli codd. *aperta vi*, quod aptiorem format antithesin. — *Artibus.* Id est, strategematibus, quo sensu XI, 6, 8, *furtiva* victoria; collato supra capite 2, 14. — Anno Urbis 418-430.

manum conserere, periculis se temere offerre: Alexan-
16 der non in hostem, sed in suos sævire. Quamobrem Philippum sæpe vulneratum prælia remisere: hic amicorum interfector convivio frequentior excessit.
17 Regnare ille cum amicis volebat; hic in amicos regna
18 exercebat. Amari pater malle, hic metui. Literarum cultus utrique similis. Solertiæ pater majoris, hic fidei.
19 Verbis atque oratione Philippus, hic rebus modera-
20 tior. Parcendi victis filio animus et promtior, et honestior; ille nec sociis abstinebat. Frugalitati pater,
21 luxuriæ filius magis deditus erat. Quibus artibus orbis imperii fundamenta pater jecit, operis totius gloriam filius consummavit.

15. *Non in hostem, sed in suos.* Oxoniensi ex uno codice *in amicos hostium more.*

16. *Quamobrem Philippum* etc. Respice VII, 6, 14; IX, 3, 2. — *Amicorum.* Cliti, Parmenionis, Philotæ.

17. *Regnare ille cum amicis volebat. Volebat* pro *nolebat* correxit Sebisius, adstipulantibus edit. Romana et Saresberiensi. ED. — *Amari.* Quomodo potest perfidia amari?

19. *Verbis... moderatior.* Quomodo hæc congruunt cum §. 14?

20. *Ille nec sociis abstinebat.* Hæc verba Sichardi et Coloniensis edd. addita habent: quæ sane requirunt patris et filii virtutes et vitia perpetuo sibi collata et opposita. ED.

LIBER X.

I. Artaxerxi, regi Persarum, ex pellicibus cxv filii 1
fuere, sed tres tantum justo matrimonio suscepti,
Darius, Ariarathes, et Ochus. Ex his Darium contra 2
morem Persarum, apud quos rex non nisi morte mutatur, per indulgentiam pater regem vivus fecit, nihil 3
sibi ablatum existimans, quod in filium contulisset,
sinceriusque gaudium ex procreatione capturus, si
insignia majestatis suæ vivus in filio conspexisset. Sed 4
Darius, post nova paternæ pietatis exempla, interficiendi patris consilium cepit: sceleratus, si solus 5
parricidium cogitasset; tanto sceleratior, quod in
societatem facinoris adsumtos quinquaginta fratres
fecit parricidas. Ostenti prorsus genus, ubi in tanto 6
populo non solum sociari, verum etiam sileri parricidium potuit; ut ex quinquaginta liberis nemo inventus
sit, quem aut paterna majestas, aut veneratio senis,
aut indulgentia patris, a tanta immanitate revocaret.
Adeone vile paternum nomen apud tot numero filios 7

I. 1. *Artaxerxi.* Mnemoni, de quo consule ind., quemque (Diod. XV, 93, anno demum Urbis conditæ 392, olymp. 104, 3) equidem cum Petavio, an. jam 388 mortuum statuo. — *Pellicibus.* Quarum sexaginta et trecentas Artaxerxi tribuit Plutarchus in ejus vita cap. 43. Totidem Dario Curtius III, 3, 36; ipsique Alexandro, Persicis moribus corrupto, idem VI, 6, 8. ED.

3. *Existimans.* MSS. habent *æstimans*, quod notandum. Solent quippe alii ita loqui, ipseque Noster alicubi. Vide supra IV, 7. ED.

6. *Ostenti prorsus genus ubi... potuit.* Freinshemius in notis ad Curtium VIII, 6, 12, legendum putat *uti potuerit*, quamquam omnes codd. *ubi* habent, et verbum, non subjunctivi sed indicativi modi adjicitur. Nil nobis mutandum videtur. ED. — *Senis.* Annorum 94.

7. — Anno Urbis conditæ 388.

fuit, ut, quorum præsidio tutus etiam adversus hostes
esse debuerat, eorum insidiis circumventus, tutior ab
hostibus, quam a filiis fuerit?

1 II. Caussa parricidii sceleratior ipso parricidio fuit.
2 Occiso quippe Cyro fraterno bello, cujus mentio su-
pra habita est, Aspasiam, pellicem ejus, rex Artaxer-
3 xes in matrimonium receperat. Hanc patrem cedere
sibi, sicuti regnum, Darius postulaverat: qui pro in-
dulgentia sua in liberos primo facturum se dixerat:
4 mox pœnitentia ductus, ut honeste negaret, quod
temere promiserat, Solis eam sacerdotio præfecit,
quo perpetua illi ab omnibus viris pudicitia impera-
5 batur. Hinc exacerbatus juvenis, in jurgia primo pa-
tris erupit: mox facta cum fratribus conjuratione,
dum patri insidias parat, deprehensus cum sociis,
pœnas parricidii diis paternæ majestatis ultoribus de-
6 dit. Conjuges quoque omnium cum liberis, ne quod
7 vestigium tanti sceleris exstaret, interfectæ. Post hæc
Artaxerxes morbo ex dolore contracto decedit, rex
quam pater felicior.

1 III. Hereditas regni Ocho tradita, qui timens parem
conjurationem, regiam cognatorum cæde et strage
principum replet, nulla non sanguinis, non sexus,
non ætatis misericordia permotus: scilicet ne inno-
2 centior fratribus parricidis haberetur. Atque ita veluti
3 purificato regno, bellum Cadusiis infert. In eo quum

II. 2. *Fraterno bello*. Ald., Junt. *fratre in bello*. ED. — *Supra*. V, 11. — *Aspasiam*. De qua Ælian. Var. Hist. XII, 1.

4. *Solis eam sacerdotio præfecit*. Plutarch. Artax. cap. 43, Dianæ quæ est Echatanis. ED.

III. 1. *Ocho*. Artaxerxi. — A. U. 389.

2. *Purificato*. Bene addit auctor *veluti*. Cædibus enim regnum non purificatur, sed commaculatur. Hinc non est, cur cum I. M. Heusingero (Emend. pag. 201) e Vincent. Bellov. Spec. Hist. III, 90, legas *pacificato*, aut *pacato*. De re simili conf. infra XI, 5, 2. — *Cadusiis*. Bene ex Diod. non, ut quidam *Aducis*, nec *Armeniis*, quia in sequentibus legerant Codomannum Armeniis præfectum. ED.

adversus provocatorem hostium Codomannus quidam
cum omnium favore processisset, hoste cæso, victo-
riam suis pariter, et prope amissam gloriam restituit.
Ob hæc decora idem Codomannus præficitur Armeniis. 4
Interjecto deinde tempore, post mortem Ochi regis, 5
ob memoriam pristinæ virtutis, rex a populo consti-
tuitur, Darii nomine, ne quid regiæ majestati deesset,
honoratus; bellumque cum Alexandro Magno, diu 6
variante fortuna, magna virtute gessit. Postremo vic- 7
tus ab Alexandro, et a cognatis occisus, vitam pariter
cum Persarum regno finivit.

3. *Provocatorem hostium*. Sebisius non male *hostem*. ED. — *Codomannus quidam*. Non Codomannus adeo fuit obscurus, ut nomine *cujusdam* notetur, quum genitus esset patre Arsame et matre Sisygambi, fratre et sorore regis Ochi.

5. *Post mortem Ochi*. Occisus est Ochus a Bagoa, medico Ægyptio, et regis a consiliis, A. U. 414; qui idem et Ochi filium et successorem *Arsen* (Arsacen, Arsamen) anno regni quarto, A. U. 418, occidit veneno. Ergo Darius Codomannus non Ocho, sed hujus demum filio Arsi quatuor post annis successit. Recte illud narrat prologus lib. X, §. 4: Noster autem brevitati studens, ut sæpius animadvertimus, pervertit res. — A. U. 424.

LIBER XI.

1 I. In exercitu Philippi sicuti variæ gentes erant, ita
2 eo occiso diversi motus animorum fuere. Alii quippe
injusta servitute oppressi, ad spem se libertatis erige-
3 bant: alii tædio longinquæ militiæ remissam sibi expe-
4 ditionem gaudebant: nonnulli facem, nuptiis filiæ
5 accensam, rogo patris subditam dolebant. Amicos
quoque tam subita mutatione rerum haud mediocris
metus ceperat, reputantes nunc provocatam Asiam;
6 nunc Europam nondum perdomitam; nunc Illyrios,
Thracas, Dardanos, cæterasque barbaras gentes fidei
dubiæ, et mentis infidæ, qui omnes populi si pariter
7 deficiant, sisti nullo modo posse. Queis rebus veluti
8 medela quædam interventus Alexandri fuit; qui pro
concione ita vulgus omne consolatus hortatusque pro

I. 1. *Variæ gentes.* Macedones, Græci, et barbari confines, de quibus not. ad IX, 5, 7. — *Diversi... fuere.* Diverso modo animi harum sunt moti.

3. *Longinquæ.* In Persas suscipiendæ IX, 5, 5.

4. *Facem.* Fax sive tæda præferebatur recens nuptis in conclave festinantibus (conf. Virg. Æn. IV, v. 339); face sive tæda incendebatur rogus, cui impositus cremaretur mortuus, quod hoc loco est ubi *fax* rogo *subditur* sive subjicitur. Ergo multi dolebant regis cædem, cujus caussa et occasio fuerint nuptiæ filiæ celebratæ: quo dies lætitiæ destinatus, factus est fœdus funeris luctu, IX, 6, 4. Ovid. Heroid. Epist. VI, vers. 41:

Heu! ubi pacta fides? ubi connubialia jura,
Faxque sub arsuros dignior ire rogos?

Simili allegoria, sed inversa usus Val. Max. IX, 1, 9: *Ex rogo filii maritalem facem accendit.* ED.

5. *Asiam.* Persas, ad bellum provocatos, exercitu in Asiam misso.

6. *Illyrios.* Cæsos et victos a Philippo VII, 6, 7. — *Thracas.* Respice VIII, 3, 12 et 14. — *Dardanos.* Respice VIII, 6, 3. — *Infidæ.* supple *esse*, quod regatur a *reputantes*: eosque *sisti nullo modo posse*, id est, ad quietem reduci. — *Sisti.* Bene ex omnibus MSS., non ut quidam *resisti.* ED.

tempore est, ut et metum timentibus demeret, et spe
omnes impleret. Erat hic annos xx natus: in qua ætate 9
ita moderate de se multa pollicitus est, ut appareret,
plura eum experimentis reservare. Macedonibus im- 10
munitatem cunctarum rerum, præter militiæ vacationem, dedit: quo facto tantum sibi favorem omnium conciliavit, ut corpus hominis, non virtutem regis, mutasse se dicerent.

II. Prima illi cura paternarum exsequiarum fuit: in 1
quibus ante omnia cædis conscios ad tumulum patris
occidi jussit. Soli Alexandro Lyncestæ fratri pepercit; 2
servans in eo auspicium dignitatis suæ: nam regem
eum primus salutaverat. Æmulum quoque imperii 3
Caranum fratrem, ex noverca susceptum, interfici
curavit. Inter initia multas gentes rebellantes com- 4
pescuit; orientes nonnullas seditiones exstinxit. Qui- 5
bus rebus erectus, citato gradu in Græciam contendit,
ubi, exemplo patris Corinthum evocatis civitatibus,
dux in locum ejus substituitur. Inchoatum deinde a 6
patre Persicum bellum adgreditur. In cujus adparatu 7
occupato nuntiatur, « Athenienses et Thebanos ab eo

8. *Spe... impleret.* Ita unus MS. Bong.; longe plures autem codd. et omnes fere editiones *in spem sui omnes impelleret.* Lectio recepta est rotundior.

II. 1. *Occidi jussit.* Conf. Diod. XVII, 2 et 5, qui etiam *Attalum*, in Asiam a Philippo præmissum, (IX, 5, 8) Hecatæi opera occisum refert. Conf. infra XII, 6, 14, et XI, 5, 1. — A. U. 419.

2. *Lyncestæ.* Ex Lyncestide, regione Macedoniæ vicina, quæ est Ptolemæo Λυγκηστὶς, cujus incolæ Thucydidi Λυγκησταί. De re confer Curt. VII, 1, 5-6; Diod. XVII, 32 et 80; Arrian. I, 25; hoc loco infra cap. 7, 1-2, ubi vid. not.

3. *Ex noverca susceptum.* Cleopatra IX, 5, 9; IX, 7, 2 et 12; paucis diebus ante Philippi mortem, Diod. XVII, 2.

4. *Gentes rebellantes.* Triballos, Thracas, Illyrios, Getas, §. 8. In Thracia enim, Pæonia et Illyrico varios tumultus statim ab initio regni ab Alexandro compressos fuisse refert Diod. XVII, 8.

5. *Exemplo patris.* Resp. IX, 5, 1.

7. *In cujus adparatu* etc. Ipsi occupato (quum occupatus esset) in hujus adparatu, nuntiatur. — *Athenienses et Thebanos. Thebanos*, bene ex vett. libris, non *Lacedæmonios.* ED.

ad Persas defecisse, auctoremque ejus defectionis,
magno auri pondere a Persis corruptum, Demosthe-
8 nem oratorem exstitisse : qui Macedonum deletas om-
nes cum rege copias a Triballis adfirmaverit, producto
in concionem auctore, qui in eo prælio, in quo rex
9 ceciderit, se quoque vulneratum diceret. Qua opinione
mutatos omnium ferme civitatum animos esse : præ-
10 sidia Macedonum obsideri. » Quibus motibus occursu-
rus, tanta celeritate instructo paratoque exercitu Græ-
ciam oppressit, ut, quem venire non senserant, videre
se vix crederent.

1 III. In transitu hortatus Thessalos fuerat; benefi-
ciorumque Philippi patris, maternæque suæ cum his
2 ab Æacidarum gente necessitudinis admonuerat. Cu-
pide hæc Thessalis audientibus, exemplo patris dux
universæ gentis creatus erat, et vectigalia omnia re-
3 ditusque suos ei tradiderant. Sed Athenienses, sicuti
4 primi defecerant, ita primi pœnitere cœperunt, con-
temtum hostis in admirationem vertentes, pueritiam-
que Alexandri spretam antea, supra virtutem veterum
5 ducum extollentes. Missis itaque legatis, bellum de-
precantur: quibus auditis et graviter increpatis, Alexan-
6 der bellum remisit. Inde Thebas exercitum convertit,
eadem indulgentia usurus, si parem pœnitentiam in-
7 venisset. Sed Thebani armis, non precibus [nec de-
precatione] usi sunt. Itaque victi gravissima quæque

8. *Triballis*. Respice IX, 3, 1-2. — *Adfirmaverit*. Angli *adfirmaverat*. Servo vulgatam. ED.

9. *Præsidia... obsideri*. Ambraciotæ v. c. referente Diod XVII, 3, præsidium Macedonicum ejecerunt.

III 1. *Beneficiorumque... patris*. Respice VII, 6, 8; VIII, 3, 12. — *Æacidarum*. Vid. not. ad cap. 4, 5. Achilles autem, et ante hunc ipsius pater Peleus, Ægina a patre Æaco pulsus, imperavit Phthiæ Thessaliæ. Conf. tamen XVII, 3, 4.

4. *Vertentes*. Editiones antiquæ *convertentes*.

5. *Increpatis*. Aut si mavis cum Junt. et uno cod. *increpitis*. — *Bellum remisit*. Veniam defectionis dedit, nec bellum his intulit.

7. *Victi... sunt*. Cæsis enim, dum

supplicia miserrimæ captivitatis experti sunt. In con- 8
silio quum de excidio urbis deliberaretur, Phocenses,
et Platæenses, et Thespienses, et Orchomenii, Alexan-
dri socii, victoriæque participes, excidia urbium sua-
rum, crudelitatemque Thebanorum referebant; studia 9
in Persas non præsentia tantum, verum et vetera,
adversus Græciæ libertatem increpantes : « Quam- 10
obrem odium eos omnium populorum esse : quod vel
ex eo manifestari, quod jurejurando se omnes ob-
strinxerint, ut victis Persis Thebas diruerent. » Adji- 11
ciunt et scelerum priorum fabulas, quibus omnes
scenas repleverint, ut non præsenti tantum perfidia,
verum et vetere infamia invisi forent.

IV. Tunc Cleadas, unus ex captivis, data potestate 1
dicendi : « Non a rege se defecisse, quem interfectum
audierint, sed a regis heredibus : quicquid in eo sit 2
admissum, credulitatis, non perfidiæ culpam esse;
cujus tamen jam magna se supplicia pependisse, deleta
juventute : nunc senum feminarumque, sicuti infir- 3
mum, ita innoxium restare vulgus, quod ipsum stu-
pris contumeliisque ita vexatum esse, ut nihil ama-
rius unquam sint passi. Nec tam pro civibus se, qui 4

urbs capitur, 6,000, cæteri 30,000 capti sunt, venditi, nec nisi sacerdotes, et Macedonum hospites Pindarique posteri sunt dimissi.

8. *In consilio*. Ed. Rom. *in concilio*: ED. — *Quum de excidio urbis... referebant*. Bello sacro sive Phocensi VIII, 1, 4 not.

9. *Studia in Persas*. Quod studeant rebus Persarum, hisque olim jam studentes Græciæ libertatem prodiderint. Vid. not. ad III, 6, 10; VIII, 1, 4.

10. *Odium*. Latinius Sichard. *odio*, aut Rom. *in eos*. Non enim dixeris: *sum odium patris*; dixeris autem: *sum odio patris*, *aut odium est in me patris*. — *Manifestari* (dicebant). Pro *manifestetur*, græca constructione, de qua consule Grammat. gr. meam analog. pag. 215. Hac de re autem conf. infra cap. 4, 3; 5, 7.

11. *Scelerum priorum fabulas*. Thebis enim, ut Callistratus Atheniensis apud Corn. XV, 6, 2, bis objicit, OEdipus natus erat, qui quum patrem suum interfecisset, ex matre liberos procreavit.

IV. 2. *Admissum, credulitatis, non perfidiæ*. Quicquid commissum, inculpandum sibi esse nimis credulis, non perfidis.

tam pauci remanserint, orare; sed pro innoxio patriæ
solo, et pro urbe, quæ non viros tantum, verum et
5 Deos genuerit. » Privata etiam regem superstitione
deprecatur geniti apud ipsos Herculis, unde originem
gens Æacidarum trahat; actaque Thebis a patre ejus
6 Philippo pueritia. Rogat, « Urbi parcat, quæ majores
ejus partim apud se genitos Deos adoret; partim educatos
summæ majestatis reges viderit. » Sed potentior
7 fuit ira, quam preces. Itaque urbs diruitur : agri inter
8 victores dividuntur : captivi sub corona venduntur :
quorum pretium non ex ementium commodo, sed ex
9 inimicorum odio extenditur. Miseranda res Atheniensibus
visa. Itaque portas refugiis profugorum contra
10 interdictum regis aperuere. Quam rem ita graviter
tulit Alexander, ut secunda legatione denuo bellum
deprecantibus, ita demum remiserit, ut oratores et
duces, quorum fiducia toties rebellent, sibi dedantur :
11 paratisque Atheniensibus, ne cogantur subire bellum,
eo res reducta est, ut, retentis oratoribus, duces in
12 exsilium agerentur : qui ex continenti ad Darium pro-

4. *Deos*. I. e. Bacchum, Herculem.

5. *Gens Æacidarum*. Æacidæ orti sunt ab Æaco, Pelei patre, avo Achillis, cujus filius Pyrrhus auctor fertur fuisse regum Epiri, unde orta Olympias, Alexandri mater cap. 3, 1; coll. VII, 6, 10. Contra paternum genus referebat Alexander ad Herculem. VII, 1, 7 ibique not. — *Acta pueritia*. Respice VII, 5, 2. Verba ipsa procedunt pari constructione cum *privata superstitione* hoc sensu : deprecatur regem orator per superstitionem sive religionem Herculis et per pueritiam a Philippo hic actam. Ergo non opus est cum Ald. et aliquot codd. malle legere *actæ pueritiæ*.

7. — Anno Urbis conditæ 419.

8. *Pretium*. 440 talenta inde regem confecisse refert Diod. XVII, 14.

10. *Secunda legatione*. Respice cap. 3, 5. — *Remiserit*. Bellum cap. 3, 5. — *Oratores*. Δημαγωγούς, quales tum erant Demosthenes et Lycurgus, qui, intercedente Demade, (de quo IX, 4, 1 not.) in exsilium non sunt ejecti. De re autem confer Diod. XVII, 15.

11. *Ne cogantur*. MS. Bongars. habet *ne hæc cogantur*. Adprobat Gron., sic distinguens : *ne hæc cogantur, subire bellum*. ED.

12. *Qui* (duces). At Arrianus I, 29, non duces solum, sed plures quoque milites in exercitu Persarum fuisse tradit, quum 2,000 ad Granicum sint capti.

fecti, non mediocre momentum Persarum viribus
accessere.

V. Proficiscens ad Persicum bellum, omnes no- 1
vercæ suæ cognatos, quos Philippus in excelsiorem
dignitatis locum provehens, imperiis præfecerat, in-
terfecit. Sed nec suis, qui apti regno videbantur, 2
pepercit, ne qua materia seditionis, procul se agente,
in Macedonia remaneret: et reges stipendiarios con- 3
spectioris ingenii ad commilitium secum trahit, seg-
niores ad tutelam regni relinquit. Adunato deinde 4
exercitu naves onerat: unde conspecta Asia incredi-
bili ardore mentis accensus, duodecim aras Deorum
in belli vota statuit. Patrimonium omne suum, quod 5
in Macedonia Europaque habebat, amicis dividit,
« sibi Asiam sufficere » præfatus. Priusquam ulla navis 6
litore excederet, hostias cædit, petens « Victoriam bello,
quo toties a Persis petitæ Græciæ ultor electus sit:
quibus longa jam satis et matura imperia contigisse, 7
quorumque tempus esse vices excipere melius acturos. »
Sed nec exercitus ejus alia, quam regis animorum 8
præsumtio fuit; quippe obliti omnes conjugum libe- 9

V. 1. *Novercæ... cognatos.* In his Attalum, ut jam ad cap. 2, 1 adnotavi; coll. IX, 7, 2 et 12.

3. *In Macedonia.* In qua Antipatrum reliquit cum 12,000 peditibus et 11,500 (aut potius 1,500) equitibus, Diod. XVII, 17. — *Reges stipendiarios.* Frontin. Strateg. II, 11, 13, scribit: *Alexandrum, devicta perdomitaque Thracia, reges eorum præfectosque secum in militiam Asiaticam, velut honoris caussa, traxisse.* Solum Pythagoram, regem Cypriorum, memorat Curt. IV, 3, 19. ED.

4. *Adunato.* Quod factum refert Diod. XVII, 17, ad olymp. 111, 3; A. U. 420. — *Duodecim... Deorum.* Quot Romani numerabant deos superos, sive majorum gentium, non Græci.

6. *Quo toties... electus sit. Ipse,* inquit, *electus sum* (cap. 2, 5) *ultor Græciæ toties bello a Persis petitæ.* — *Litore excederet.* Forte *litori accederet.* Græv.

7. *Quibus... acturos.* Jam tempus est, ut melius acturi (Græci) excipiant vices illorum, sive Persarum successores imperent Asiæ: qui a Cyro inde ad hunc usque annum, scil. ab an. 203-420, imperaverant. — *Contigisse... esse.* Constructione, qualis adfuit cap. 3, 10, quamquam quidam habeant *contigissent... esset.*

rorumque, et longinquæ a domo militiæ, Persicum
aurum, et totius Orienti^ opes, jam quasi suam præ-
dam ducebant, nec belli periculorumque, sed divi-
10 tiarum meminerant. Quum delati in continentem
essent, primus Alexander jaculum velut in hostilem
11 terram jecit; armatusque de navi tripudianti similis
prosiluit; atque ita hostias cædit, precatus, « ne se
12 regem illæ terræ invitæ accipiant. » In Ilio quoque ad
tumulos heroum, qui Trojano bello ceciderant, pa-
rentavit.

1 VI. Inde hostem petens, milites a populatione Asiæ
prohibuit, « Parcendum suis rebus præfatus, nec per-
2 denda ea, quæ possessuri venerint. » In exercitu ejus
fuere peditum xxx duo millia, equitum quatuor millia
3 quingenti, naves centum LXXXII. Hac tam parva manu
universum terrarum orbem utrum admirabilius vicerit,
4 an adgredi ausus fuerit, incertum est. Quum ad tam
periculosum bellum exercitum legeret, non juvenes
robustos, nec primum florem ætatis, sed veteranos
plerosque, etiam emeritæ militiæ, qui cum patre pa-
5 truisque militaverant, elegit; ut non tam milites,
6 quam magistros militiæ electos putares. Ordines quo-

12. *Parentavit.* Conf. XII, 15, 6. De re confer Cic. Arch. 10, 6: *Alexander in Sigeo quum ad Achillis tumulum adstitisset: o fortunate, inquit, adolescens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris! — Heroum.* Ex emend. Sebisii pro *eorum.*

VI. 1. *Nec perdenda... venerint.* Curt. IV, 14, 4: *Nullum desperationis* (Persarum) *majus indicium* (Alexandro fuit), *quam quod urbes, quod agros suos urerent: quicquid non corrupissent, hostium esse confessi.* ED.

2. *In exercitu ejus fuere* etc. Totidem Diodorus quoque XVII, 17 enumerat: Arrianus autem peditum triginta, equitum quinque millia; additque Parmenionem cum 160 triremibus in Asiam trajecisse, Alexandrum vero cum 50 navibus longis. ED.

4. *Veteranos plerosque, etiam.* Distinxi cum I. M. Heusingero Emend. pag. 202 post *plerosque*, non, ut vulgo fit, post *veteranos*, sensu inepto, quo plerique militum fuisse statuuntur emeritæ militiæ, sive emeriti. — *Patruis.* Scilicet Alexandro et Perdicca contra Illyriorum gentem.

que nemo nisi sexagenarius duxit : ut, si principia
castrorum cerneres, senatum te alicujus priscæ rei-
publicæ videre diceres. Itaque nemo in prælio fugam, 7
sed victoriam cogitavit : nec in pedibus cuiquam spes,
sed in lacertis fuit. Contra rex Persarum Darius, fidu- 8
cia virium, nil astu agere, adfirmans suis, « occulta
consilia victoriæ furtivæ convenire; » nec hostem regni 9
finibus arcere, sed in intimum regnum accipere :
gloriosius ratus repellere bellum, quam non admit-
tere. Prima igitur congressio in campis Adrastiæ fuit. 10
In acie Persarum sexcenta millia militum fuere : quæ 11
non minus arte Alexandri, quam virtute Macedonum
superata, terga verterunt. Magna itaque cædes Persa-
rum fuit. De exercitu Alexandri novem pedites, cen- 12
tum viginti equites cecidere : quos rex impense, ad 13
cæterorum exemplum, humatos statuis equestribus
donavit, cognatisque eorum immunitates dedit. Post 14
victoriam major pars Asiæ ad eum defecit. Gessit et 15
plura bella cum præfectis Darii, quos jam non tam
armis, quam terrore nominis sui vicit.

6. *Principia castrorum*. De militia Macedonica loquitur auctor noster more Romanorum, quibus *principia* locus castrorum princeps et sacer, et quia in iis aquilæ et signa, id est, dii militares : item in iis, aut juxta illa, Tribuni, Præfecti, honestissimi Decurionum et Centurionum. Quæ sint principia in castris, diligentissime ostendit Lipsius de Militia. ED.

8. *Agere*. Voluit, egit. — *Occulta consilia... convenire*. Alexandri celebre quoque simile dictum apud Plutarch. in ejus vita, cap. 57 : οὐ κλέπτω τὴν νίκην. ED.

10. *Adrastiæ*. Cujus regionem quum perfluat Granicus, ab hoc quoque flumine prælium denominatur. Conf. Diod. XVII, 17-21. — Anno Urbis 420.

11. *In acie Persarum*. Duce Memnone, Diod. loc. laud. — *Sexcenta millia*. Peditum centum millia, decem equitum millia numerant bene multi; equitum viginti millia Arrianus. ED.

12. *Cecidere*. Idem ex Aristobulo Plutarchus cap. 26, quod confirmat Orosius III, 16; IV, 1. Peditum autem, ut videtur, decem millia, duo equitum periere. ED.

13. *Quos rex impense... equestribus*. Conf. Vell. I, 11, 3-4. — *Ad cæterorum exemplum*. Unde cæteri exemplum caperent, sive quo exemplo

1 VII. Dum hæc aguntur, interim indicio captivi ad
eum defertur, insidias ei ab Alexandro Lyncesta,
genero Antipatri, qui præpositus Macedoniæ erat,
2 parari. Ob quam caussam timens, ne quis, interfecto
eo, in Macedonia motus oriretur, in vinculis eum
3 habuit. Post hæc Gordium urbem petit, quæ posita est
4 inter Phrygiam majorem et minorem : cujus urbis
potiundæ non tam propter prædam cupido eum cepit, sed quod audierat, in ea urbe, in templo Jovis, jugum plaustri Gordii positum; « cujus nexum si quis solvisset, eum tota Asia regnaturum, » antiqua ora-
5 cula cecinisse. Hujus rei caussa et origo illa fuit. Gordius quum in his regionibus bobus conductis araret,
6 aves eum omnis generis circumvolare cœperunt. Profectus ad consulendos augures vicinæ urbis, obviam in porta habuit virginem eximiæ pulchritudinis; percontatus eam, quem potissimum augurem consu-
7 leret : illa, audita caussa consulendi, gnara artis ex disciplina parentum, « regnum ei portendi, » respondit; polliceturque se et matrimonii et spei sociam.
8 Tam pulchra conditio prima regni felicitas videbatur.

cæteros excitaret, ut simili morte occumbentes similibus decorarentur honoribus.

VII. 1-2. *Dum hæc aguntur*, etc. Respice cap. 2, 2 not., et conf. infra XII, 14, 1 : unde perspicis hoc factum esse A. U. 423; sicuti ex Arriano I, 25 et 20 cognoscimus, hunc fuisse Æropi filium, fratrem Heromenis et Arrabæi, Philippi cædis consciorum, quem, Thessalorum equitatui tum præfectum, Darius per Asisinem Persam corrumpere voluerit. Nisi igitur statuere velimus, Nostro hunc Alexandrum Alexandri Magni fratrem (non germanum) fuisse, illa ipsa nomina Heromenis et Arrabæi supra cap. 2, 2, post voc. *fratri* videntur excidisse. De Antipatro respice not. ad cap. 5, 3. — Anno Urbis 423.

3. *Phrygiam majorem et minorem.* Aut potius Phrygiam majorem inter et Cappadociam, de qua Stephan. *Γορδίειον πόλις τῆς μεγάλης Φρυγίας πρὸς τῇ Καππαδοκίᾳ.* De re conf. Curt. III, 1, 12; Arrian. II, 3. Nomen ipsum scribitur in Aldina et Juntina ad normam Græcam *Gordieum*.

8. *Tam pulchra conditio prima regni felicitas.* Scilicet matrimonium, uxor tam pulchra.

Post nuptias inter Phrygas orta seditio est. Consulen- 9
tibus de fine discordiarum oracula responderunt, 10
« regem discordiis opus esse. » Iterato quærentibus de 11
persona regis, jubentur eum regem observare, quem
reversi primum in templum Jovis euntem plaustro
reperissent. Obvius illis Gordius fuit, statimque eum 12
regem consalutant. Ille plaustrum, quo vehenti reg- 13
num delatum fuerat, in templo Jovis positum, ma-
jestati regiæ consecravit. Post hunc filius Midas reg- 14
navit, qui ab Orpheo sacrorum solennibus initiatus,
Phrygiam religionibus implevit : quibus tutior omni
vita, quam armis fuit. Igitur Alexander, capta urbe, 15
quum in templum Jovis venisset, jugum plaustri Gor-
dii requisivit : quo exhibito, quum capita loramen- 16
torum intra nodos abscondita reperire non posset,
violentius oraculo usus, gladio loramenta cædit : at-
que ita resolutis nexibus, latentia in nodis capita
invenit.

VIII. Hæc illi agenti nuntiatur, Darium cum ingenti 1
exercitu adventare. Itaque timens angustias, magna 2
celeritate Taurum transcendit : in qua festinatione
quingenta stadia cursu fecit. Quum Tarsum venisset, 3

10. *Regem*. Plures edd. *rege*. Cicero ad Atticum, Epist. XV, 20 : *Video mihi opus esse viaticum*. ED.

11. *De persona regis*. Cui personam regis imponant.

13. *Quo vehenti regnum delatum*. Plures edd. *quo vehente, regnum ei delatum*. Nil mutandum videtur. Illud *vehenti* passive est accipiendum, eodem scilicet sensu, quo Cic. Orat. cap. 97 : *Adolescentia per medias laudes quasi quadrigis vehens*; et de Nat. Deorum, I, 28 : *Maritimus Triton pingitur natantibus invehens belluis*, pro *invectus*. ED.

14. *Midas*. Quem tamen supra VII, 1, 11, ex Europa in Asiam trajecisse narravit. Diversos igitur in utraque historia auctores sequutus est scriptor. — *Orpheo sacrorum solennibus*. Unde Horat. libro de Arte Poëtica, 391 :

Silvestres homines sacer, interpresque deorum,
Cædibus et victu fœdo deterruit Orpheus. ED.

16. *Gladio cædit*. Facile dissolvit, Aristobulo teste, apud Arrian. de expeditione Alexandri.

VIII. 1. *Hæc illi* etc. Seqq. conf. Curt. III, 4, 8; coll. Diod. XVII, 31.

2. *Quingenta stadia*. I. e. 12 fere milliaria Germanica, aut 18 leucas Francicas 2,500 sexpedarum.

captus Cydni fluminis amœnitate, per mediam urbem
influentis, projectis armis, plenus pulveris ac sudoris,
4 in præfrigidam undam se projecit. Tum repente tantus
nervos ejus occupavit rigor, ut, interclusa voce, non
spes modo remedii, sed nec dilatio periculi inveni-
5 retur. Unus erat ex medicis, nomine Philippus, qui
solus remedium polliceretur : sed et ipsum Parme-
nionis pridie a Cappadocia missæ epistolæ suspectum
6 faciebant : qui ignarus infirmitatis Alexandri scripse-
rat, « a Philippo medico caveret; nam corruptum il-
7 lum a Dario ingenti pecunia esse. » Tutius tamen est
ratus, dubiæ se fidei medici credere, quam indubitato
8 morbo perire. Accepto igitur poculo, epistolas medico
tradidit; atque ita inter bibendum oculos in vultum
9 legentis intendit. Ut securum conspexit, lætior factus
est, sanitatemque quarta die recepit.

1 IX. Interea Darius cum quadringentis millibus pe-
ditum, ac centum millibus equitum in aciem procedit.
2 Movebat hæc multitudo hostium, respectu paucitatis
suæ, Alexandrum : sed interdum reputabat, quantas
res cum ista paucitate gessisset, quantosque populos
3 fudisset. Itaque quum spes metum vinceret, periculo-
sius differre bellum ratus, ne desperatio suis cresceret,

4. *Non spes modo remedii*. Pro *non modo non spes remedii*. Vide supra notas ad II, 1, 6. ED.

5. *Epistolæ*. Ut §. 8 pluralis pro singulari *epistola*, ut infra cap. XII, 1, 3 et 9, et supra I, 6, 1.

7. *Indubitato morbo*. Sebisius corrigit *indubitata morte*. ED.

IX. 1. *In aciem*. Apud Issum Ciliciæ, Diod. XVII, 30-39, olymp. 111, 4, A. U. 421, qui peditum numerum 400,000, equitum 100,000 excessisse dicit : ex quibus Noster § 10 Persas amisisse narrat 111,000; Diod. XVII, 36 autem in acie cecidisse dicit 110,000 Persas; Macedonas contra non nisi 450, et Justinus noster 280. — A. U. 421.

3. *Vinceret*. Superaret, spes metu superior, major esset. — *Singulas gentes diversa oratione adloquitur*. Est geminus huic loco locus apud Liv. XXX, 33, 8. ED. — *Suis cresceret*. Num igitur, ait Grævius, jam Alexandri milites in desperationem inciderant? Nam si tum nulla fuit desperatio, quomodo potuit *crescere*? Malo igitur sequi Schefferum

circumvectus suos, singulas gentes diversa oratione
adloquitur. Illyrios et Thracas opum ac divitiarum 4
ostentatione; Græcos veterum bellorum memoria,
internecivique cum Persis odii, accendebat: Mace- 5
dones autem nunc Europæ victæ admonet, nunc Asiæ
expetitæ; nec inventas illis toto orbe pares vires glo-
riatur. Cæterum et laborum finem hunc, et gloriæ 6
cumulum fore. Atque inter hæc identidem consistere 7
aciem jubet, ut hac mora consuescant oculis turbam
hostium sustinere. Nec Darii segnis opera in ordi- 8
nanda acie defuit. Quippe omissis ducum officiis, ipse
omnia circumire, singulos hortari, veteris gloriæ
Persarum, imperiique perpetuæ a Diis immortalibus
datæ possessionis admonere. Post hæc prælium ingen- 9
tibus animis committitur. In eo uterque rex vulne-
ratur. Tamdiu certamen anceps fuit, quoad fugeret
Darius. Exinde cædes Persarum sequuta est. Cæsa sunt 10
peditum unum et sexaginta millia, equitum decem
millia: capta quadraginta millia. Ex Macedonibus ce-
cidere pedestres CXXX, equites CL. In castris Persarum 11
multum auri cæterarumque opum inventum. Inter 12
captivos castrorum, mater, et uxor eademque soror,
et filiæ duæ Darii fuere. Ad quas visendas hortandas- 13

conjicientem *succrescere*. At militum desperationem adesse non minus necesse erat, quam regis, quem timuisse dicit auctor, novam autem *spem* concepisse.

4. *Illyrios et Thracas*. De quibus cap. 1, 6, et not. ad IX, 5, 7, utpote gentes barbaras accendit, opes ac divitias a Persis capiendas, Græcos contra admonens gloriæ majorum in bellis Persicis partæ. Confer II, 6, 1, et cap. XIV, 10-11.

5. *Vires*. Modius post Juntas corrigit *viros*. ED.

8. *Datæ*: Is. Vossius mavult *dati*, ut sit imperium perpetuæ possessionis datum. Antea vel *regis* pro *segnis* est legendum cum MSS. Bongars., vel cum editionibus antiquis *fuit* pro *defuit*.

11. *Multum... opum*. De quibus multus est Diod. XVII, 35-36.

12. *Inter captivos castrorum, mater, et uxor eademque soror, et filiæ duæ* etc. Mater Darii Sisygambis; uxor, filiæ duæ (ἐπίγαμοι, nubiles), et filius adhuc puer (Diod. XVII, 36), et quidem sex annorum.

que quum Alexander venisset, conspectis armatis, invicem se amplexæ, velut statim moriture, complo-
14 rationem ediderunt. Provolutæ deinde genibus Alexandri, non mortem, sed dum Darii corpus sepeliant,
15 dilationem mortis deprecantur. Motus tanta mulierum pietate Alexander, et Darium vivere dixit, et timentibus mortis metum demsit, easque haberi ut reginas
16 præcepit. Filias quoque non sordidius dignitate patris sperare matrimonium jussit.

1 X. Post hæc opes Darii, divitiarumque adparatum contemplatus, admiratione tantarum rerum capitur.
2 Tunc primum luxuriosa convivia, et magnificentiam epularum sectari : tunc Barsinem captivam diligere
3 propter formæ pulchritudinem cœpit. A qua postea
4 susceptum puerum Herculem vocavit. Memor tamen adhuc Darium vivere, Parmenionem ad occupandam Persicam classem, aliosque amicos ad recipiendas
5 Asiæ civitates misit; quæ statim, audita fama victoriæ, ipsis Darii præfectis cum auri magno pondere traden-
6 tibus se, in potestatem victorum venerunt. Tunc in Syriam proficiscitur : ubi obvios cum infulis multos
7 Orientis reges habuit. Ex his pro meritis singulorum

14. *Non mortem, sed dilationem mortis deprecantur* In hoc loco potest observari illud *deprecantur* in diversa significatione sumtum esse. Qui enim mortem deprecatur, orat, ne, sibi mors adferatur; qui deprecatur dilationem, orat, *ut* dilatio sibi concedatur. Ideo Bongarsius pro *mortem* conjicit *vitam*, existimans *deprecari* h. l. esse *valde precari*. ED.

15. *Haberi. Et salutari* addunt plures MSS. et edd. antiq.

16. *Filias quoque... jussit.* Ne sordidius, inquit, quam patris vestri dignitas postulat, matrimonium sperate; sive, ut, Diodorus XVII, 38, ait : τῆς ὑμῶν ἐκδόσεως βέλτιον τῆς πατρὸς ὑμῶν κρίσεως προνοήσομαι.

X. 2. *Barsinem.* Scilicet Artabazi filiam, Memnonis viduam, captam capta Damasco, referente Arriano et Plutarcho.

3. *A* Gron. avus recte mavult *e*.

6. *In Syriam.* In Syriam demum Alexandrum profectum narrat Diodor. XVII, 53, Tyro expugnata, Ægypto recepta, Jovis Hammonii oraculo salutato, et Alexandriæ fundamento jacto per annos 422 et 423. — *Obvios... habuit.* In his Jaddum, summum Judæorum pontificem, narrante Josepho Antiq. XI, 8.

alios in societatem recepit: aliis regnum ademit, suf-
fectis in loca eorum novis regibus. Insignis præter 8
cæteros fuit Abdolonymus, rex ab Alexandro Sidoniæ
constitutus. Quem Alexander, quum operam oblocare 9
ad puteos exhauriendos, hortosque irrigandos solitns
esset, misere vitam exhibentem, regem fecerat, spretis
nobilibus, ne generis id, non dantis beneficium pu-
tarent. Tyriorum civitas quum coronam auream magni 10
ponderis per legatos in titulum gratulationis Alexan-
dro misisset, grate munere accepto, « Tyrum se ire
velle ad vota Herculi reddenda, » dixit. Quum legati 11
« rectius id eum in Tyro vetere et antiquiore templo
facturum » dicerent, in deprecantes ejus introitum ita
exarsit, ut urbi excidium minaretur: confestimque 12
exercitu insulæ applicato, non minus animosis Tyriis
fiducia Carthaginiensium, bello excipitur. Augebat 13
enim Tyriis animos Didonis exemplum, quæ, Cartha-
gine condita, tertiam partem orbis quæsisset; turpe
ducentes, si feminis suis plus animi fuisset in imperio
quærendo, quam sibi in tuenda libertate. Amota igi- 14
tur imbelli ætate Carthaginem, et arcessitis mox auxi-
liis, non magno post tempore per proditionem ca-
piuntur.

8. *Abdolonymus.* Sic dedi ex Ald. cæteris edd. et MSS., nt fit in nominibus propriis, mire variantibus. De re conf. Curt. IV, 1, 19; Diod. XVII, 46-47, ubi scribitnr *Ballonymus*, de quo docte disserit ibidem *Wesseling.* — *Sidoniæ.* Puta *urbis.* Vel lege cum MS. Bong. *Sidone.* ED.

9. *Exhibentem.* Aptius est, quod Ald. et margo Coloniensis habent, *exigentem.*

10. *Herculi.* Cotta apud Cic. Nat. Deor. III, 16, 7: *Quartus Hercules,* inquit, *est Jovis et Asteriæ filius, qui Tyri maxime colitur.*

11. *Tyro vetere.* Per annos 13 oppugnata, et anno demnm Urbis 163, expugnata a Nebucadnezare Babylonio. Nova autem Tyrus condita fuit in insula.

13. *Didonis* De qua consule *mein histor. Handb.*, vol. 1, pag. 191; coll. infra XVIII, 4, 3. — *Ducentes.* Constructio postulat *ducentibus,* quod jam Gronov. avus monuit. Hanc autem constructionem Nostro nsitatam jam vidimus. an.

14. *Per proditionem.* Ant polius septem demum menses oppugnati ad deditionem coguntur, Diodor.

1 XI. Inde Rhodum Alexander, Ægyptum, Ciliciam-
2 que, sine certamine recipit. Ad Jovem deinde Hammonem pergit, consulturus et de eventu futurorum,
3 et de origine sua. Namque mater ejus Olympias confessa viro suo Philippo fuerat, « Alexandrum non ex eo se, sed ex serpente ingentis magnitudinis concc-
4 pisse. » Denique Philippus ultimo prope vitæ suæ tempore, « filium suum non esse, » palam prædicaverat.
5 Qua ex caussa Olympiadem, velut stupri compertam,
6 repudio dimiserat. Igitur Alexander cupiens originem divinitatis adquirere, simul et matrem infamia liberare, per præmissos subornat antistites, quid sibi
7 responderi velit. Ingredientem templum statim anti-
8 stites ut Hammonis filium salutant. Ille lætus Dei
9 adoptione hoc se patre censeri jubet. Rogat deinde, « An omnes interfectores parentis sui sit ultus? » respondetur, « Patrem ejus nec posse interfici, nec mori:
10 regis Philippi peractam plene ultionem esse. » Tertiam interrogationem poscenti, « victoriam omnium bellorum, possessionemque terrarum » dari, responde-
11 tur. Comitibus quoque ejus responsum, « ut Alexan-

XVII, 40-47; Curt. IV, 2-4; coll. infra XVIII, 3, 18. — A. U. 422.

XI. 1. *Ægyptum*. Conf. Diodor. XVII, 49-51. — *Ciliciam*. Quæ quum diu jam esset capta, *Syriam* conjicit Is. Vossius, *Cyrenen* Freinsh. — Anno Urbis 423.

2. *Hammonem*. Respice not. ad I, 9, 3, et adde Diod. XVII, 49-51.

3. *Namque mater ejus* etc. Conf. infra XII, 16, 2.

6. *Originem divinitatis*. I. e. divinitatem ortam. Sensus autem quum postulet originem divinam Alexandri; Gronov. avus conjicit *originis divinitatem*. — *Per præmissos* etc. Id est, quosdam viros præmissos subornat antistites, suggerit sacerdotibus templi. — *Velit*. Recte, quum præcedat præsens *subornat;* at ex Nostri latinitate recte se habet imperf. *vellet* edit. Bougars. Hac de re autem confer, verbi caussa, XXXI, 1, 2; XXXI, 2, 1; XXXIV, 3, 1.

9. *Ultus*. Respice cap. 2, 1. — *Respondetur*. Edd. antiq. *respondent* (antistites). Et sic §. 10 quoque.

10. *Tertiam interrogationem*. Schefferus legit *tertia interrogatione* ex manuscripto quodam, bene. ED. — *Poscenti*. Videtur auctor scripsisse *ponenti*, ut Cicer. Orat. I, 22, 9; ad div. IX, 26, 4; Phædr. III, 14, 8. Contra autem Schefferus ita

drum pro Deo, non pro rege, colerent. » Hinc illi 12
aucta insolentia, mirusque animo increvit tumor,
exemta comitate, quam et Græcorum literis, et Macedonum institutis didicerat. Reversus ab Hammone 13
Alexandriam condidit, et coloniam Macedonum caput
esse Ægypti jubet.

XII. Darius, quum Babyloniam profugisset, per 1
epistolas Alexandrum deprecatur, « redimendarum
sibi captivarum potestatem faciat, » inque eam rem
magnam pecuniam pollicetur. Sed Alexander in pre- 2
tium captivarum regnum omne, non pecuniam petit.
Interjecto tempore, aliæ epistolæ Darii Alexandro 3
redduntur, quibus filiæ matrimonium et regni portio
offertur. Sed Alexander « sua sibi dari » rescripsit; 4
jussitque supplicem venire, et regni arbitria victori
permittere. Tum spe pacis amissa, bellum Darius re- 5
parat: cum quadringentis millibus peditum, et centum millibus equitum, obviam vadit Alexandro. In 6
itinere nuntiatur, « Uxorem ejus ex collisione abjecti
partus decessisse, ejusque mortem illacrymatum
Alexandrum, exsequiasque benigne prosequutum, idque eum non amoris, sed humanitatis caussa fecisse. »

legit et distinguit : *tertia interrogatione* (qui ablat. est in 2 codd.) *poscenti victoriam... terrarum, dari respondetur.*

12. *Græcorum literis.* Quibus excultus fuerat ab Aristotele A. U. 412-418. Vid. supra IX, 8, 18, et conf. Laërt. V, 10.

13. *Alexandriam.* Adi Diod. XVII, 52, olymp. 112, 2; A. U. 423.

XII. 1. *Babyloniam profugisset.* Post prælium Issense (cap. 9, 1 not.) Diod. XVII, 39 : unde jam movet Darius an. 423, cap. 53, coll. de sequentibus eodem cap. 54-61. Hoc autem loco legimus *Babyloniam* ex Nostri more, regionem pro urbe ponentis (vid. ind.); re ipsa melius quod habet Ald., *Babylona.* — *Deprecatur.* Rectius Ald. et Bongars. *precatur.* De magna illa pecunia conf. Diodor. XVII, 54.

2. *In pretium.* Præpositionem *in*, quod abest uno MS., melius abesse opinatur Gron. avus.

5. *Cum quadringentis* etc. Diodor. XVII, 53 numerat 800,000 pedites, 200,000 equites, præterea currus falcatos 200.

6. *Mortem illacrymatum.* Bernecc. legit *morti.* EN. — Diod. XVII, 54 caussa mortis non commemorata,

7 Nam semel tantum eam Alexandro visam esse, quum
matrem filiasque ejus parvulas frequenter consola-
8 retur. Tunc Darius se ratus vere victum, quum post
tot prælia etiam beneficiis ab hoste superaretur, gra-
tumque sibi esse, si vincere nequeat, quod a tali po-
9 tissimum vinceretur. Scribit itaque et tertias epistolas,
10 et gratias agit, quod nihil in suos hostile fecerit. Offert
deinde majorem partem regni usque flumen Euphra-
ten, et alteram filiam uxorem; pro reliquis captivis
11 triginta millia talentum. Ad hæc Alexander, « Gratia-
rum actionem ab hoste supervacaneam esse, » respon-
12 dit : « nec a se quicquam factum in hostis adulatio-
nem, nec quod in dubios belli exitus, aut in leges
13 pacis sibi lenocinia quæreret; sed animi magnitu-
dine, qua didicerit adversus vires hostium, non ad-
14 versus calamitates contendere, » polliceturque, « præ-
staturum se ea Dario, si secundus sibi, non par haberi
15 velit. Cæterum neque mundum posse duobus solibus

magnifice dicit reginam ab Alexandro sepultam esse : tragice autem et mortem et funus reginæ effert suo more Curt. IV, 10, 18-34.

7. *Parvulas.* Falso, quæ Diodoro XVII, 36, sunt ἐπίγαμοι, Curtio III, 11, 25 *adultæ.* Hinc Cuperus Observ. 4, 10, corrigi vult : *filias, filiumque ejus parvulum* (sex annorum Curt. III, 11, 24; Diod. XVII, 38). Facilior est medela Gron. patris (ad Arrian. II, 11) corrigentis *pavidas :* quod tamen non facile coit cum *frequenter.* Primum enim has visens rex terruerat, non item iterum iterumque easdem revisens.

10. *Offert deinde* etc. De re conf. Diod. XVII, 54, qui tamen non 30, sed tantum 3 millia talentum habet, Arrianus decem millia.

12. *Lenocinia quæreret.* Exemplum habes infra XV, 1, 8; coll. cap. 2, 7.

14. *Præstaturum.* MSS. Bongars. *præsentaturum*, unde Gronov. avus correx. *repræsentaturum.*

15. *Cæterum neque mundum* etc. Confer Plutarch. Apophth. cap. 8. Diodor. XVII, 54 regem Darii legatis respondisse refert : οὔθ' ὁ κόσμος δυοῖν ἡλίων ὄντων τηρῆσαι δύναιτ' ἂν τὴν ἰδίαν διακόσμησίν τε καὶ τάξιν, οὔθ' ἡ οἰκουμένη, δύο βασιλέων ἐχόντων τὴν ἡγεμονίαν, ἀταράχως καὶ ἀστασιάστως διαμένειν ἂν δύναιτο. At sine dubio, hanc sententiam hauserat Alexander ex Homero suo, quem semper cum pugione sub pulvino repositum habebat. Sic enim ille Iliad. II, 204 :

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω.

Hæc autem et proxime sequentia,

regi : neque orbem summa duo regna salvo statu ter-
rarum habere : proinde aut deditionem ea die, aut in 16
posteram, aciem paret : nec polliceatur sibi aliam,
quam sit expertus, victoriam. »

XIII. Postera die aciem producunt. Tum repente 1
ante prælium, confectum curis Alexandrum somnus 2
arripuit. Quum ad pugnam solus rex deesset, a Par-
menione ægre excitatus, quærentibus somni caussas
omnibus inter pericula, cujus etiam in otio semper
parcior fuerit : « Magno se æstu liberatum, ait, som- 3
numque sibi a repentina securitate datum, quod liceat
cum omnibus Darii copiis confligere : veritum se lon-
gam belli moram, si Persæ exercitum divisissent. »
Ante prælium utraque acies hostibus spectaculo fuit. 4
Macedones multitudinem hominum, corporum mag- 5

adeo similia, et, ut ita dicam, gemina sunt his quæ Curt. IV, 2, 22, habet, ut alteruter imitatus videri possit alterum. ED.

XIII. 2. *Alexandrum somnus arripuit.* Nos etiam Galli meminimus nostræ gentis heroem, Condæum scil. qui Alexandrum ingenii magnitudine referebat, in pari discrimine, nempe ante Rocroyense prælium, e somno quoque excitandum fuisse. Cui rei solita eloquentia adludit *Bossuet*, *Oraison funèbre du prince de Condé*, his verbis : *On sait que le lendemain à l'heure marquée, il fallut réveiller d'un profond sommeil cet autre Alexandre.* Quam manifestior autem illa utriusque herois similitudo apparet, in alio ejusdem orationis loco; ubi *Bossuet*, postquam Alexandrum ante oculos nobis induxit, qui, ut ait Daniel, cap. 8, v. 5, *veniebat ab Occidente, et non tangebat terram*; in regem Persarum *efferatus est*, *missumque in terram conculcavit*, subito quasi dubius utrius facinora referat, insuper addit : *A n'entendre que ces paroles de Daniel, qui croiriez-vous voir sous cette figure, Alexandre, ou le prince de Condé?* — *Cujus etiam in otio. Cujus* pro *quum* ex Juntina editione et Bongarsii conjectura, probante Grævio, edidit Vorstius; quam quidem lectionem adprobat Schefferus. De re autem, scil., quum quærerent duces caussas somni insoliti inter tanta pericula, quo parcius uti solebat, respondit se liberatum magna solicitudine. ED.

3. *Magno se æstu liberatum.* Virg. Æneid. VIII, 19 :

... Vario curarum fluctuat æstu.

Plin. Epist. : *Explica æstum meum.* Noster supra I, 10, 15, *æstuante rege.* Non est igitur cur alii conjiciant *metu.* ED.

4. *Utraque acies hostibus spectaculo fuit. Ostendere aciem*, ait Vorstius, dicuntur imperatores, terrendi hostis caussa; Liv. XXIX : *ad terrorem hostium aciem ostendisset.* ED.

nitudinem, armorumque pulchritudinem mirabantur: Persæ a tam paucis victa suorum tot millia stupebant.
6 Sed nec duces circumire suos cessabant. Darius « vix
7 denis armatis singulos hostes, si divisio fieret, evenire »
8 dicebat. Alexander Macedonas monebat, « Ne multitudine hostium, nec corporis magnitudine, vel coloris novitate moverentur: tantum meminisse jubet, cum
9 iisdem se tertio pugnare; nec meliores factos putarent fuga, quum in aciem secum tam tristem memoriam cædium suarum, et tantum sanguinis duobus præliis
10 fusi ferrent: et quemadmodum Dario majorem tur-
11 bam hominum esse, sic virorum sibi. » Hortatur, « spernant illam aciem auro et argento fulgentem, in qua plus prædæ, quam periculi sit; quum victoria non armorum decore, sed ferri virtute quæratur. »

1 XIV. Post hæc prælium committitur. Macedones in ferrum cum contemtu toties a se victi hostis ruebant: contra Persæ mori, quam vinci præoptabant. Raro
2 ullo prælio tantum sanguinis fusum est. Darius quum vinci suos videret, mori voluit et ipse; sed a proximis
3 fugere compulsus est. Suadentibus deinde quibusdam, ut pons Cydni fluminis, ad iter hostium impediendum,

7. *Darius vix denis* etc. In Darii enim exercitu numerabat auctor, cap. 12, 5, 500,000; Alexandro, cap. 6, 2, non uisi 34,500 attribuebat.

9. *Cædium*. Cladium, ut 8, 1, 4. Non est igitur, cur cum Gron. avo corrigas *suorum* pro *suarum*. Nam quam cladem passi sunt mei, eam ipse passus dici possum.

10. *Esse*. I. e. sit. Respice not. ad cap. 3, 10.

11. *Aciem auro et argento... periculi sit*. Conf. Liv. IX, 40, 5; Curt. III, 2, 22; Tacit. Agricola 32, 7. ED. — *Armorum*. Edd. antiq. *ornamentorum*, quod probat Gron. avus.

XIV. 1. *Prælium committitur*. Apud Gaugamela vicum, sive *Arbelam*, urbem Assyriæ, ad partem Tigridis Orientalem. Conf. Diodor. XVII, 53-61. — *In ferrum... ruebant*. Virg. Æneid. VIII, 648:

Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant. ED.

— *Tantum sanguinis*. Diod. XVII, 61, de Persis cæsa tradit 90,000; de Macedonibus 500. — Anno Urbis 423.

3. *Cydni*. Alii Lycum nominant, quum uterque fluvius non multum a se invicem dissitus effundatur in Tigridem. Illum habent Arrianus, et Curtius IV, 9, 9.

intercideretur : « Non ita se saluti suæ velle consul- 4
tum, ait, ut tot millia sociorum hosti objiciat : debere
et aliis fugæ viam patere, quæ patuerit sibi. » Alexander 5
autem periculosissima quæque adgrediebatur : et ubi
confertissimos hostes acerrime pugnare conspexisset,
eo se semper ingerebat, periculaque sua esse, non
militum volebat. Hoc prælio Asiæ imperium rapuit, 6
quinto post acceptum regnum anno : cujus tanta feli- 7
citas fuit, ut post hoc nemo rebellare ausus sit, pa-
tienterque Persæ, post imperium tot annorum, ju-
gum servitutis acceperint. Donatis refectisque mili- 8
tibus XXXIV diebus, prædam recognovit. In urbe deinde 9
Susa XL millia talentum invenit. Expugnat et Perse- 10
polim, caput Persici regni, urbem multis annis illus-
trem, refertamque orbis terrarum spoliis, quæ interitu
ejus primum apparuere. Inter hæc DCCC admodum 11
Græci occurrunt Alexandro, qui pœnam captivitatis
truncata corporis parte tulerant, rogantes, ut, « sicuti
Græciam, se quoque ab hostium crudelitate vindica-
ret. » Data potestate redeundi, agros accipere malue- 12
runt, ne non tam gaudium parentibus, quam detes-
tandum sui conspectum reportarent.

XV. Interea Darius in gratiam victoris a cognatis 1

4. *Sociorum*. Ex conjectura Acidalii *suorum*. ED.

6. *Asiæ imperium rapuit*. Et in Europam transtulit. Primus igitur *Europæorum* Alexander condidit monarchiam, quam ante ipsum in *Asia* tenuerant Assyrii et Persæ : ut insequens periodus A. U. 400-600 jure suo nominari possit ætas *Macedonica*. Ponit hoc prælium Diod. loc. laud. olymp. 112, 2; A U. 423; Philippi autem cædem olymp. 111, 1; Anno Urbis 418.

9. *Susa*. Diod. XVII, 65, τὰ ἐν Σούσοις βασίλεια, ut recte inde Ald. et Junt. dent hoc loco *Susis*. — Anno Urbis 424.

10. *Persepolim*. Diod. XVII, 69-71. — *Interitu ejus*. Confer Diodor. XVII, 72-73.

11. *Hostium*. Edd. antiq. *hostis*.

12. *Ne non... reportarent*. Non enim tam gaudium parentibus, quam conspectum sui detestandum reportaturi fuissent.

XV. 1. *Darius*. Diod. XVII, 64. — *Cognatis*. Besso et Nabarzane XII, 5, 10. — *Thara*. Etymologo M. est

suis, aureis compedibus catenisque in vico Parthorum
2 Thara vincitur : credo, ita Diis immortalibus judicantibus, ut in terra eorum, qui successuri imperio erant,
3 Persarum regnum finiretur. Alexander quoque citato cursu postera die supervenit; ibique cognovit Darium
4 clauso vehiculo per noctem exportatum. Jusso itaque exercitu subsequi, cum sex millibus equitum fugientem insequitur : in itinere multa et periculosa prælia
5 facit. Emensus deinde plura millia passuum, quum nullum Darii indicium reperisset, respirandi equis data potestate, unus ex militibus, dum ad fontem proximum pergit, in vehiculo Darium, multis quidem vulneribus confossum, sed spirantem adhuc invenit :
6 qui applicito capite, quum civem ex voce cognovisset, « Id saltem præsentis fortunæ solatium habere se dixit, quod apud intellecturum loquuturus esset, nec in-
7 cassum postremas voces emissurus. » Perferri hæc Alexandro jubet: « Se nullis in eum meritorum officiis, maximorum illi debitorem mori, quod in matre liberisque suis, regium ejus, non hostilem animum ex-

Darus, coll. infra XLI, 5, 2, ubi *Dara* a Theodoto demum condita dicitur, quæ Plinio VI, 18, est *Dareium*, Δαρεῖον. Diodorus autem XVII, 73, *Bactra* nominat, unde refugiens Darius a Besso, Bactrorum satrapa, sit occisus.

2. *Qui... erant.* Parthi enim a Syris deficientes novum in Asia an. 498 condiderunt regnum, XLI, 4, 3. In Parthorum igitur terra ultimus Persarum rex est occisus, diis ita judicantibus, sive decernentibus.

5. *Emensus deinde* etc. Alexander deinde quum plura millia passuum emensus esset, nec ullum Darii indicium reperisset, indeque equis respirandi potestatem dedisset; unus ex militibus, etc.

6. *Qui applicito capite.* Qui (Darius) applicito *captivo* (i. e. quum captivus, scilicet Darius, applicitus esset, se applicuisset), quum cognovisset : sensu sane perverso. Correxi igitur *capite* pro *captivo* cum Bongarsio. Alii explicant : Qui (miles), adhibito Persa captivo, etc. At nec sic constructio constat, nisi referas *qui* ad Darium ita : qui (Darius), quum sibi ab illo milite captivus esset adhibitus, et ex hujus voce Persam agnovisset, dixit.

7. *Se nullis in eum* etc. Equidem morior debitor tibi, Alexander, maximorum in me meritorum, quum nulla sint mea in te meritorum officia. — *Hostem.* Alexandrum. — *Cognatos.* Bessum, §. 1.

pertus, felicius hostem, quam cognatos sortitus sit; quippe matri et liberis suis ab eodem hoste vitam 8
datam : sibi a cognatis ereptam, quibus et vitam et regna dederit. Quamobrem gratiam illis eam futuram, 9
quam ipse victor volet. Alexandro referre se, quam 10
solam moriens potest, gratiam : precari superum inferumque numina, et regales Deos, ut illi terrarum omnium victori contingat imperium. Pro se justam 11
magis, quam gravem sepulturæ veniam orare. Quod 12
ad ultionem pertineat, jam non suam, sed exempli, communemque omnium regum esse caussam, quam negligere, illi et indecorum et periculosum esse: quippe quum in altero justitiæ ejus, in altero etiam utilitatis, caussa versetur. In quam rem unicum pignus fidei 13
regiæ, dextram se ferendam Alexandro dare.» Post hæc, porrecta manu, exspiravit. Quæ ubi Alexandro 14
nuntiata sunt, viso corpore defuncti, tam indignam illo fastigio mortem lacrymis prosequutus est; corpusque regio more sepeliri, et reliquias ejus majorum tumulis inferri jussit.

8. *Regna dederit.* Scil. Satrapiam.

9. *Quamobrem... volet.* Isti igitur scelesto Besso Alexander victor ex arbitrio statuet pœnam.

10. *Potest.* Corrigendum *possit.*

11. *Justam... gravem.* Is. Vossius conjicit *justæ... gravis* (Alexandro gravis, i. e. sumtuosæ), nisi mavis cum N. Heinsio (ad Ovid. Her. VII, 188) *impensam* corrigere pro *veniam.* Alii *justam... gravem* interpretantur *debitam* (ex justitiæ legibus) potius quam *molestam* (Alexandro). ED.

12. *Esse.* Id est sit. Vid. not. ad cap. 3, 10. — *Justitiæ ejus*, etc. Justitiæ caussa versatur in hoc, ut Alexander regum cædem injustam ulciscatur; simul quoque ipsius utilitatis caussa, ne, hac cæde multa exemplum latius serpat, Alexandro ipsi periculosum futurum.

LIBER XII.

1 I. Alexander in persequendo Dario amissos milites
magnis funerum impensis extulit; reliquis expeditio-
2 nis ejus sociis tredecim millia talentum divisit. Equo-
rum major pars æstu amissa, inutilesque etiam, qui
3 superfuerant, facti. Pecunia omnis, centum nonaginta
millia talentum, Ecbatana congesta, eique Parmenio
4 præpositus. Dum hæc aguntur, epistolæ Antipatri e
Macedonia ei redduntur, quibus bellum Agidis, regis
Spartanorum, in Græcia; bellum Alexandri, regis
Epiri, in Italia; bellum Zopyrionis, præfecti ejus, in
5 Scythia, continebatur. Quibus varie adfectus, plus
tamen lætitiæ, cognitis mortibus duorum æmulorum
regum, quam doloris amissi cum Zopyrione exercitus,
6 suscepit. Namque post profectionem Alexandri, Græ-
cia ferme omnis, in occasionem recuperandæ liber-
tatis, ad arma concurrerat, auctoritatem Lacedæmo-
7 niorum sequuta, qui Philippi Alexandrique pacem
8 soli spreverant, et leges respuerant. Dux hujus belli
Agis, rex Lacedæmoniorum, fuit. Quem motum Anti-

I. 1. *Tredecim millia talentum.* Diod. XVII, 64 tria millia argenti talentum Arbelis inventa tradit.

4. *Agidis.* §. 8. De Antipatro respice not. ad XI, 7, 1, et XI, 5, 3. — *Alexandri.* Cap. 2. — *Zopyrionis.* Cap. 2, 16.

6. *Namque* etc. Conf. Diod. XVII, 62-63, olymp. 112, 3; A. U. 424.

7. *Qui Philippi Alexandrique... spreverant.* Respice IX, 5, 3.

8. *Agis.* Qui antea jam A. U. 422 Cretam insulam in Persarum potestatem redegerat. Diod. XVII, 48, qui cap. 62 et 63, hanc rem ponit olymp. 112, 3, A. U. 424, additque, hunc exercitum ex tota fere Peloponneso confluxisse 20,000 peditum, 2,000 equitum; Antipatrum contra motu in Thracia composito 40,000 fere ex sociis confecisse, hisque instructum, Peloponnesum

pater, contractis militibus, in ipso ortu oppressit.
Magna tamen utrinque cædes fuit. Agis rex quum suos 9
terga dantes videret, dimissis satellitibus, ut Alexandro 10
felicitate, non virtute inferior videretur, tantam stra-
gem hostium edidit, ut agmina interdum fugaret. Ad 11
postremum, etsi a multitudine victus, gloria tamen
omnes vicit.

II. Porro Alexander, rex Epiri, in Italiam a Taren- 1
tinis, auxilia adversus Brutios deprecantibus, solici-
tatus, ita cupide profectus fuerat, veluti in divisione
orbis terrarum, Alexandro, Olympiadis sororis suæ
filio, Oriens, sibi Occidens sorte contigisset; non mi- 2
norem rerum materiam in Italia, Africa, Siciliaque,
quam ille in Asia, et in Persis habiturus. Huc acce- 3
debat, quod, sicut Alexandro Magno Delphica oracula
insidias in Macedonia, ita huic responsum Dodonæi
Jovis circa urbem Pandosiam, amnemque Acherusium
prædixerat. Quæ utraque quum in Epiro essent, igna- 4
rus eadem et in Italia esse, ad declinanda fatorum
pericula, peregrinam militiam cupidius elegerat. Igi- 5
tur, quum in Italiam venisset, primum illi bellum
cum Apulis fuit: quorum cognito urbis fato, brevi 6
post tempore pacem et amicitiam cum rege eorum
fecit. Erat namque tunc temporis urbs Apulis Brun- 7

ingressum fuisse: ipsum de suis amisisse in hoc prælio acerrimo 3,500; de Lacedæmoniis autem, quorum rex fortissime pugnans occubuerit, cecidisse 5,300.

II. 1. *Alexander.* De quo confer in indice nostro excitata sub nomine *Alexander* nr. 3.

2. *Habiturus.* Hoc participium quum cohæreat cum præc. *profectus fuerat*, explica: *putans, se habiturum esse.* Conf. not. ad IX, 2, 1. Livius, qui VIII, 3, 6, et cap. 17, 10, A. U. 415, hunc Alexandrum classem in Italiam appulisse, et an. 422 Samnitum et Lucanorum victorem cum Romanis pacem fecisse narrat: addit cap. 24, eundem A. U. 429, ab exsule Lucano fuisse interfectum eodem, quo Alexandria in Ægypto condita sit, anno. Quod posterius quum Gattererum sequutus anno 423 adposuerim supra XI, 11, 13, huic eidem anno, Livium sequutus, adposui Alexandri Epirotæ mortem.

7. *Brundisium.* Vett. *Brundusium:*

disium, quam Ætoli, sequuti dudum fama rerum in
Troja gestarum clarissimum ac nobilissimum ducem
8 Diomedem, condiderant: sed pulsi ab Apulis, consu-
lentes oracula, responsum acceperant, « Locum, quem
9 repetissent, perpetuo possessuros. » Hac igitur ex
caussa, per legatos cum belli comminatione, restitui
10 sibi ab Apulis urbem postulaverant. Sed ubi Apulis
oraculum innotuit, interfectos legatos in urbe sepe-
lierunt, perpetuam ibi sedem habituros. Atque ita
11 defuncti responso, diu urbem possederunt. Quod fac-
tum quum cognovisset Alexander, antiquitatis fata
12 veneratus, bello Apulorum abstinuit. Gessit et cum
Brutiis Lucanisque bellum; multasque urbes cepit:
tum et cum Metapontinis, et Pediculis, et Romanis,
13 fœdus amicitiamque fecit. Sed Brutii Lucanique, quum
auxilia a finitimis contraxissent, acrius bellum repe-
14 tivere. Ibi rex juxta urbem Pandosiam, et flumen
Acheronta, non prius fatalis loci cognito nomine,
quam occideret, interficitur; moriensque, non in
patria fuisse sibi periculosam mortem, propter quam
15 patriam fugerat, intellexit. Corpus ejus Thurii publice
16 redemtum sepulturæ tradiderunt. Dum hæc aguntur
in Italia, Zopyrion quoque, præfectus Ponti ab Alexan-
dro Magno relictus, otiosum se ratus, si nihil et ipse
gessisset, adunato xxx millium exercitu, Scythis bel-

Græci Βρεντέσιον. ED. — *Diomedem.* Diomedes, Tydei filius, una cum Sthenelo et Euryalo dux fuit Argivorum contra Trojanos, Hom. Il. II, 559-568: in patriam reversus et insidiis uxoris Ægialeæ pulsus, in Italiam devectus est, ubi a Dauno, Apulorum rege, receptus, ejusque gener factus, Brundisium, ut hoc loco est, et Arpos infra XX, 1, 10 condidit. Hac de re autem confer Heynii Excurs. I, ad Virg. Æn. XI.

14. *Flumen Acheronta.* Becharius et alii edidere *Flumen Acherusium;* ut paullo ante *amnem Acherusium.* ED. — Anno Urbis 423.

15. *Corpus... tradiderunt.* Aliter narrat mortis genus et sepulturam Alexandri Liv. VIII, 24. Conf. infra XXIII, 1, 15.

16. *Zopyrion.* De Zopyrione confer Curt. X, 1, 44.

lum intulit; cæsusque cum omnibus copiis, pœnas 17
temere illati belli genti innoxiæ luit.

III. Hæc quum nuntiata in Parthis Alexandro es- 1
sent, simulato mœrore, propter Alexandri cognatio-
nem, exercitui suo triduum luctum indixit. Omnibus 2
deinde, velut perpetrato bello, reditum in patriam
exspectantibus, conjugesque ac liberos suos animo
jam quodammodo complectentibus, ad concionem
exercitum vocat: ibi, « Nihil actum tot egregiis præ- 3
liis, ait, si incolumis Orientalis barbaria relinquatur;
nec se corpus, sed regnum Darii, petisse; persequen-
dosque esse eos, qui a regno defecerint. » Hac oratione 4
velut ex integro incitatis animis, Hyrcaniam, Mar-
dosque subegit. Ibi ei occurrit Thalestris (sive Mini- 5
thya), Amazonum regina, cum ccc mulieribus, xxv
dierum inter infestissimas gentes itinere confecto, ex
rege liberos quæsitura: cujus conspectus adventusque 6
admirationi omnibus fuit, et propter insolitum feminis
habitum, et propter expetitum concubitum. Ob hoc 7
tredecim diebus otio a rege datis, ut visa est uterum
implesse, discessit. Post hæc Alexander habitum re- 8
gum Persarum, et diadema insolitum antea regibus
Macedonicis, velut in leges eorum, quos vicerat,
transiret, adsumit. Quæ ne invidiosius in se uno 9
conspicerentur, amicos quoque suos longam vestem
auratam purpureamque sumere jubet. Ut luxum quo- 10
que, sicuti cultum, Persarum imitaretur, inter pelli-

III. 4. *Hyrcaniam.* Confer Diod. XVII, 75-76.

5. *Thalestris.* Respice II, 4, 33, et conf. Diod. XVII, 77. — *Quinque et viginti dierum... itinere confecto.* Habitabant enim Amazones ad Mæotin et Tanain: Curtius autem VI, 5, 24, hanc gentem facit Hyrcanorum genti finitimam. — A. U. 425.

8. *Post hæc Alexander habitum regum Persarum*, etc. Confer Diodor. XVII, 77, et respice XI, 10, 1-2.

9. *Longam vestem auratam.* Quam Curt. III, 3, 28, *pallam auro distinctam*; Plutarch. ibid, *stolam barbaricam* appellat ED.

10. *Ut luxum.* Hæc puncto, non commate, a præced. separanda. ED.

cum regiarum greges electæ pulchritudinis nobilita-
11 tisque, noctium vices dividit. His rebus ingentes epularum adparatus adjicit, ne jejuna et destructa luxuria videretur, conviviumque juxta regiam magnificentiam ludis exornat: immemor prorsus, tantas opes amitti his moribus, non quæri solere.

1 IV. Inter hæc indignatio omnium totis castris erat, a Philippo illum patre tantum degeneravisse, ut etiam patriæ nomen ejuraret, moresque Persarum adsu-
2 meret, quos propter tales mores vicerat. Sed ne solus vitiis eorum, quos armis subegerat, succubuisse videretur, militibus quoque suis permisit, si quarum captivarum consuetudine tenerentur, ducere uxores:
3 existimans minorem in patriam reditus cupiditatem futuram, habentibus in castris imaginem quandam
4 larium, ac domesticæ sedis; simul et laborem militiæ
5 molliorem fore dulcedine uxorum. In supplementa quoque militum minus exhauriri posse Macedoniam, si veteranis patribus tirones filii succederent, milita-
6 turi in vallo, in quo essent nati; constantioresque futuri, si non solum tirocinia, verum et incunabula
7 in ipsis castris posuissent. Quæ consuetudo in succes-

11. *Destructa*. Ne cum Persarum regno destructo destructa simul videretur esse luxuria Persarum. Conf. XI, 10, 1-2. Grævius tamen mavult *restricta*, id est, parca, coll. infra XLIV, 2, 1, ubi est *adstricta* parcimonia; Tacit. Ann. XV, 48, 5, ubi est *imperium non restrictum, nec perseverum ejus, qui magnificentiæ, et aliquando luxui indulget*; Cic. ad Div. III, 8, 28: *Natura semper ad largiendum ex aliena fui restrictior*; Propert. II, 23, ubi *pater restrictus* est attentus ad rem, nimis diligens.

IV. 1. *Patriæ nomen ejuraret*. Non amplius Macedo vellet appellari, sed rex potius Persarum, quippe quorum mores et luxum imitaretur, neque a Macedonibus vellet salutari, sed a Persis adorari, cap. 7, 1. Similiter sunt infra XIII, 6, 12, Philippi et Alexandri nomina. — *Propter tales mores*. Talibus moribus corruptos, cap 3, 11.

4. *Laborem militiæ*. Tacit. Annal. III, 34, 5: *Bella plane accinctis obeunda: sed revertentibus post laborem, quod honestius quam uxorium levamentum?* ED.

7. *In*. I. e. *ad*, nisi malis cum Bong. et uno cod. legere *in successoribus*.

sores quoque Alexandri mansit. Igitur et alimenta 8
pueris statuta; et instrumenta armorum equorumque
juvenibus data; et patribus, pro numero filiorum,
præmia statuta. Si quorum patres occidissent, nihilo- 9
minus pupilli stipendia patrum trahebant; quorum
pueritia inter varias expeditiones, militia erat. Itaque 10
a parvula ætate periculis laboribusque indurati, in-
victus exercitus fuere: neque castra aliter, quam pa-
triam, neque pugnam aliud unquam, quam victoriam,
duxere. Hæc soboles nomen habuit Epigoni. Parthis 11
deinde domitis, præfectus his statuitur ex nobilibus 12
Persarum Andragoras: unde postea originem Partho-
rum reges habuere.

V. Interea Alexander non regio, sed hostili odio 1
sævire in suos cœpit. Maxime indignabatur, carpi se 2
sermonibus suorum, Philippi patris, patriæque mores
subvertisse. Propter quæ crimina Parmenion quoque 3
senex, dignitate regi proximus, cum Philota filio, de
utroque prius quæstionibus habitis, interficitur. Fre- 4
mere itaque omnes universis castris cœpere, innoxii
senis filiique casum miserantes; interdum, « se quo-
que non debere melius sperare, » dicentes. Quæ quum 5
nuntiata Alexandro essent, verens, ne hæc opinio
etiam in Macedoniam divulgaretur, et ne victoriæ
gloria sævitiæ macula infuscaretur, simulat se ex ami-
cis quosdam in patriam victoriæ nuntios missurum.
Hortatur milites suis scribere, rariorem habituros 6
occasionem propter militiam remotiorem. Datos fasces 7
epistolarum tacite ad se deferri jubet: ex quibus co- 8

V. 3. *Propter quæ crimina* etc. Conf. Diod. XVII, 79-80, qui olymp. 112, 4, A. U. 425, Philotam conjurationis accusatum; non autem convictum refert. — *Senex*. Scilicet annorum septuaginta. — A. U. 425.

5. *Macedoniam*. MSS. *Macedonia*.

6. *Habituros*. Dicens ipsos habituros esse.

7. *Tacite*. Scilicet clam, secreto.

gnito de se singulorum judicio, in unam cohortem eos, qui de rege durius opinati fuerant, contribuit, aut consumturus eos, aut in ultimis terris in colonias
9 distributurus. Inde Drancas, Evergetas, Parymas, Parapammenos, Adaspios, cæterosque populos, qui
10 in radice Caucasi morabantur, subegit. Interea unus ex amicis Darii Bessus, vinctus perducitur, qui regem
11 non solum prodiderat, verum et interfecerat. Quem in ultionem perfidiæ excruciandum fratri Darii tradidit; reputans, non tam hostem suum fuisse Darium,
12 quam amicum ejus, a quo esset occisus. Et ut his terris nomen relinqueret, urbem Alexandriam super amnem Tanain condidit, intra diem septimum decimum muro VI millium passuum consummato, translatis eo trium civitatum populis, quas Cyrus condi-
13 derat. In Bactrianis quoque Sogdianisque XII urbes condidit, distributis his, quoscunque in exercitu seditiosos habebat.

1 VI. His ita gestis, solenni die amicos in convivium
2 vocat: ubi orta inter ebrios rerum a Philippo gestarum mentione, præferre se patri ipse, rerúmque suarum magnitudinem extollere cælo tenus cœpit, ad-

8. *Durius opinati.* Hoc est, maledice loquuti. Ita verbum hoc usurpat et Sueton. Aug. cap. 51, 4: *Inter cætera crimina objiciebatur, quod male opinari de Cæsare soleret;* et cap. 67: *servum gravissime de se opinantem compedibus coercuit.* ED.

9. *Drancas.* Scilicet Drangas (ut est in Ald.), quum *Dranginem* vocet regionem Diodorus XVII, 78; XVIII, 3. — *Evergetas.* Οἱ πρότερον μὲν Ἀριμασποὶ, νῦν δὲ Εὐεργέται ὀνομαζόμενοι, Diod. XVII, 81. — *Parymæ.* Quum autem non alibi occurrant, Bernecer. acute conjecit *Arimaspos:* ex quo facile illud corrumpi potuit. — *Parapammenos.* Quos Diod. XVII, 82, vocat *Paropamisadas* (ut est in Colon.), id est, habitantes juxta Paropamisum, sive Caucasum, ergo *Caucasios*, infra XIII, 4, 21, *Paropamisios.* — Anno Urbis 425-426.

11. *Fratri Darii.* Oxatri. De re respice XI, 15, 8-10.

12. *Cyrus.* De quo supra I, 4 seqq.

13. *Bactrianis.* Devictis ibi satrapis Besso et Satibarzane. Hac de re autem confer Diod. XVII, 82-83; coll. cap. 74.

sentante majore convivarum parte. Itaque, quum 3
unus e senibus Clitus, fiducia amicitiæ regiæ, cujus
palmam tenebat, memoriam Philippi tueretur, laudaretque ejus res gestas, adeo regem offendit, ut, telo a satellite rapto, eundem in convivio trucidaverit.
Qua cæde exsultans, mortuo patrocinium Philippi, 4
laudemque paternæ militiæ objectabat. Postquam sa- 5
tiatus cæde animus conquievit, et in iræ locum successit æstimatio, modo personam occisi, modo caussam occidendi considerans, pigere eum facti cœpit:
quippe paternas laudes tam iracunde accepisse se, 6
quam nec convicia debuisset; amicumque senem et innoxium, a se occisum inter epulas et pocula, dolebat. Eodem igitur furore in pœnitentiam, quo pridem 7
in iram, versus, mori voluit. Primum in fletus pro- 8
gressus amplecti mortuum, vulnera tractare, et quasi audienti confiteri dementiam; arreptum telum in se vertit; peregissetque facinus, nisi amici intervenissent. Mansit hæc voluntas moriendi etiam sequentibus 9
diebus. Accesserat enim pœnitentiæ, nutricis suæ, 10
sororis Cliti, recordatio, cujus absentis eum maxime
pudebat, tam fœdam illi alimentorum suorum mer- 11
cedem redditam; ut, in cujus manibus pueritiam egerat, huic, juvenis et victor, pro beneficiis funera remitteret. Reputabat deinde, quantum in exercitu 12
suo, quantum apud devictas gentes fabularum atque

VI. 3. *Clitus*. Conf. Curt. VIII, 1; Arrian. IV, 8; Plutarch. in Alex. 50-51.

4. *Mortuo... objectabat*. Abi jam ad Philippum, ab eoque ipsius laudis præmium exspecta!

5. *Æstimatio*. Vid. ind. Vocabulum ipsum a multis codd. exhibitum, Bongarsio probatum receperunt Berneccerus et Grævius, quum in editionibus sit *existimatio*.

8. *Vulnera tractare*. Idem enim censebant officium esse erga defunctos et vulneratos. Stat. Theb. III, 154; XI, 654.

10. *Sororis Cliti*. Hellanices, Curt. VIII, 1, 21.

11. *Alimentorum*. Scil. Τῆς τροφῆς.

12. *Fabularum*. Rumoris et sermonis. Ita Sueton. Aug. 70, 1: *Cœna*

invidiæ, quantum apud cæteros amicos metum et
13 odium sui fecerit: quam amarum et triste reddiderit convivium suum, non armatus in acie, quam in con-
14 vivio terribilior. Tunc Parmenion et Philotas, tunc Amyntas consobrinus, tunc noverca fratresque interfecti: tunc Attalus, Eurylochus, Pausanias, aliique
15 Macedoniæ exstincti principes occurrebant. Ob hæc illi quatriduo perseverata inedia est, donec exercitus universi precibus exoratus est, precantis, « Ne ita
16 mortem unius doleat, ut universos perdat: quos in ultimam deductos Barbariam, inter infestas et irri-
17 tatas bello gentes, destituat. » Multum profuere et Callisthenis philosophi preces, condiscipulatu apud Aristotelem familiaris illi, et tunc ab ipso rege ad
18 prodenda memoriæ acta ejus accitus. Revocato igitur ad bellum animo, Chorasmos et Dahas in deditionem accepit.

1 VII. Deinde, quod primo ex Persico superbiæ regiæ more distulerat, ne omnia pariter invidiosiora essent, non salutari, sed adorari se jubet. Acerrimus

ejus secretior in fabulis fuit; Tibull. Eleg. I, 4: *ne turbis fabula fiam.* Propert. Eleg I, 15, dixit, *historiam fieri;* Juven. X, v. 167, *declamationem.* ED.

14. *Consobrinus.* Aut potius patruelis. Dicitur enim Perdiccæ filius (Curt. VI, 10, 24); ut sit filius Perdiccæ illius, quem, relicto parvulo filio, periisse Noster supra retulit VII, 5, 8. De illis respice cap. 5, 8. — *Noverca.* Cleopatra IX, 7, 12; cujus filius parvulus XI, 2, 3. — *Attalus.* Respice XI, 2, 1 not. — *Eurylochus.* Quem conjurationis ab Hermolao contra Alexandrum initæ indicem profert Curt. VIII, 6, 20-26. — *Pausanias.* Num qui patrem occiderat IX, 6 et 7? At hunc nec ipse occiderat (vid. not. ad IX, 7, 10), nec injuste.

15. *Ne ita mortem unius doleat.* Codices quidem MSS., teste Bong., *morte unius doleat:* quod æque recte dicitur. ED. — *Perdat* Gronov. avus mavult *prodat;* coll. XIX, 3, 10.

17. *Callisthenis.* Qui referente Plutarcho in vita Alex. cap. 52, placida et modesta oratione animum regis erigebat.

VII. 1. *Adorari.* Respice VI, 2, 13. Construe autem verba ita: quod primo distulerat, ne omnia pariter invidiosiora essent, jam ex Persico superbiæ regiæ more se jubet adorari (VI, 2, 13).

inter recusantes Callisthenes fuit. Quæ res et illi, et 2
multis principibus Macedonum exitio fuit; siquidem
sub specie insidiarum omnes interfecti. Retentus ta- 3
men est a Macedonibus mos salutandi regis, explosa
adoratione. Post hæc Indiam petit, ut Oceano, ulti- 4
moque Oriente finiret imperium. Cui gloriæ ut etiam 5
exercitus ornamenta convenirent, phaleras equorum,
et arma militum argento inducit; exercitumque suum,
ab argenteis clypeis, Argyraspidas appellavit. Quum 6
ad Nysam urbem venisset, oppidanis non repugnantibus fiducia religionis Liberi patris, a quo condita
urbs erat, parci jussit, lætus non militiam tantum,
verum et vestigia se dei sequutum. Tunc ad spectacu- 7
lum sacri montis duxit exercitum, naturalibus bonis,
vite, hederaque non aliter vestiti, quam si manu cultus, colentiumque industria exornatus esset. Sed exer- 8
citus ejus, ubi ad montem accessit, repentino impetu
mentis, in sacros dei ululatus instinctus, cum stupore
regis, sine noxa discurrit: ut intelligeret, non tam
oppido se parcendo, quam exercitui suo consuluisse.
Inde montes Dædalos, regnaque Cleophidis reginæ, 9
petit. Quæ quum se dedidisset ei, concubitu redemtum regnum ab Alexandro recepit, illecebris conse-

2. *Callisthenes*. Conf. Curt. VIII, 5, 13; VIII, 6, 1 et 27; VIII, 8, 21-22.

3. *Explosa*. Schefferus conjicit *expulsa*; nec male, ut videtur. ED.

4. *Indiam*. Diod. XVII, 84-104, olymp. 113, 1 et 2; A.U. 426 et 427.

5. *Argyraspidas*. Ἀργυρ-ασπίδας, Plutarch. in Eum. cap. 13.

6. *Non repugnantibus*. Aliter Curtius VIII, 10, 7.

7. *Sacri montis*. Qui *Meros* dicitur Curtio VIII, 10, 20; ubi Bacchum enutritum fabulatur antiquitas. ED.

8. *Ululatus*. Clamores feros, quales esse solebant bacchantium, qui Baccho suo εὖ οἱ adclamabant. Quo eodem modo Ovid. Met. III, 528, bacchantium clamores describit: *festis fremunt ululatibus agri*. — *Impetu*. Is. Vossius acute conjicit *incitu*; coll. Plin. II, 45: *Adsiduo mundi incitu nascuntur venti*. — *Non tam oppido* etc. Se parcendo (oppidanis) consuluisse non tam oppido (plures oppidanis), quam exercitui suo.

9. *Cleophidis*. De Cleophide conf. Curt. VIII, 10, 22.

10 quuta, quod virtute non potuerat; filiumque ab eo
genitum, Alexandrum nominavit, qui postea regno
11 Indorum potitus est. Cleophis regina, propter pro-
stratam pudicitiam *scortum regium* ab Indis exinde
12 appellata est. Peragrata India, quum ad saxum miræ
asperitatis et altitudinis, in quod multi populi confu-
gerant, pervenisset, cognoscit, Herculem ab expug-
13 natione ejusdem saxi terræ motu prohibitum. Captus
itaque cupidine Herculis acta superare, cum summo
labore ac periculo potitus saxo, omnes ejus loci gentes
in deditionem accipit.

1 VIII. Unus ex regibus Indorum fuit, Porus nomine,
viribus corporis et animi magnitudine pariter insignis:
2 qui bellum jam pridem, audita Alexandri opinione,
3 in adventum ejus parabat. Commisso itaque prælio,
exercitum suum Macedonas invadere jubet; sibi re-
4 gem eorum privatum hostem deposcit. Nec Alexander
pugnæ moram fecit: sed prima congressione vulne-
rato equo, quum præceps in terram decidisset, con-
5 cursu satellitum servatur. Porus multis vulneribus
6 obrutus capitur. Qui victum se adeo doluit, ut, quum
veniam ab hoste invenisset, neque cibum sumere
voluerit, neque vulnera curari passus sit; ægreque sit
7 ab eo obtentum, ut vellet vivere. Quem Alexander
ob honorem virtutis incolumem in regnum remisit.
8 Duas ibi urbes condidit: unam Nicæam, alteram ex

12. *Saxum. Aornon*, Curt. VIII; 11, 2.

VIII. 1. *Unus ex regibus* etc. Conf. Diod. XVII, 87-93; Curt. VIII, 12, 13. — Anno Urbis 427.

4 *Nec Alexander* etc. Aliter Curtius VIII, 14, 34; fusius Gellius V, 2, hanc historiam narrat.

6. *Invenisset.* Hoc verbom elegantius, quam quod Bongars. dedit, *accepisset*, inest edd. antiq. Conf. III, 7, 10.

7. *Ob honorem virtutis.* Erat Alexander *virtutis etiam in hoste mirator.* Curt. IV, 6, 38, et VIII, 14, 75: *Habet hoc virtus, ut viros fortes species ejus et pulchritudo, etiam in hoste posita, delectet.* ED.

8. *Nicæam.* In memoriam *victæ*, sive victoriæ, Diod. XVII, 95.

nomine equi Bucephalen vocavit. Inde Adrestas, Ges- 9
teanos, Præsidas, Gangaridas, cæsis eorum exercitibus,
expugnat. Quum ad Cuphites venisset, ubi eum cum 10
ducentis millibus equitum hostes opperiebantur, exer-
citus omnis, non minus victoriarum numero, quam
laboribus fessus, lacrymis eum deprecatur, « Finem
tandem belli faceret; aliquando patriæ, reditusque 11
meminisset; respiceret militum annos, quibus vix
ætas ad reditum sufficeret: » ostendere alius canitiem, 12
alius vulnera, alius ætate consumta corpora, alius
cicatricibus exhausta : « Solos se esse, qui duorum 13
regum, Philippi Alexandrique, continuam militiam
pertulerint. » Tandem orare, « ut reliquias saltem suas 14
paternis sepulcris reddat, quorum non studiis deficia-
tur, quam annis : ac si non militibus, vel ipsi sibi par- 15
cat, ne fortunam suam nimis onerando fatiget. » Motus 16
his tam justis precibus, velut in finem victoriæ, castra
solito magnificentiora fieri jussit, quorum molitioni-
bus et hostis terreretur, et posteris admiratio sui re-
linqueretur. Nullum opus milites lætius fecere. Itaque 17
cæsis hostibus, cum gratulatione in eadem reverterunt.

IX. Inde Alexander ad amnem Acesinem pergit : 1
per hunc in Oceanum devehitur. Ibi Hiacensanas, 2
Sileosque, quos Hercules condidit, in deditionem ac-

9. *Adrestas* etc. Omnes hi populi habitabant juxta Hydraoten et Hydaspem fluvios. — *Præsidas*. Diod. XVII, 93, vocat *Præsios*. — *Gangaridas*. Diod. XVII, 93, olymp. 113, 2; A. U. 427, qui *Gandaridas* (ut est in Ald., Junt.) vocat, nec victos tradit, sed fama tantum Alexandro innotuisse.

10. *Quum ad Cuphites venisset*, etc. Conf. Diod. XVII, 94.

12. *Canitiem... ætate consumta corpora*. Respice XI, 6, 4. Tacit. Annal. I, 18, 1 : *Hi verberum notas, illi canitiem; plurimi detrita corpora, et nudum corpus exprobrantes*. xu.

14. *Quam*. Hoc si salvum esse statuis, suppl. ante studiis *tam : non tam studiis, quam annis*. Antiq. tamen edd. habent *sed*.

15. *Ipsi*. Hanc vocem quam postulat antithesis *militibus* dedi cum Vorstio ex Ald. et MSS. Bongars. pro vulg. *ipse*.

IX. 1. *Ad amnem Acesinem pergit*. Vide Diod. XVII, 96.

3 cepit. Hinc in Ambros et Sygambros navigat. Quæ
gentes eum cum armatis LXXX millibus peditum, et LX
4 millibus equitum excipiunt. Quum prælio victor esset,
5 exercitum ad urbem eorum ducit. Quam desertam a
defensoribus, quum de muro, quem primus ceperat,
animadvertisset, in urbis planitiem sine ullo satellite
6 desiliit. Itaque quum eum hostes solum conspexissent,
clamore edito, undique concurrunt, si possint in uno
capite orbis bella finire, et ultionem tot gentibus dare.
7 Nec minus Alexander constanter resistit, et unus ad-
8 versus tot millia præliatur. Incredibile dictu est, ut
eum non multitudo hostium, non vis magna telorum,
non tantus lacessentium clamor terruerit; solus tot
9 millia ceciderit ac fugaverit. Ubi vero obrui multitu-
dine se vidit, trunco se, qui propter murum stabat,
10 applicuit; cujus auxilio tutus quum diu agmen susti-
nuisset, tandem cognito periculo ejus, amici ad eum
11 desiliunt; ex quibus multi cæsi: præliumque tamdiu
anceps fuit, quoad omnis exercitus, muris dejectis,
12 in auxilium veniret. In eo prælio sagitta sub mamma
trajectus, quum sanguinis fluxu deficeret, genu posito
tamdiu præliatus est, donec eum, a quo vulneratus
13 fuerat, occideret. Curatio vulneris gravior ipso vul-
nere fuit.

1 X. Itaque ex magna desperatione tandem saluti
redditus, Polyperchonta cum exercitu Babyloniam
mittit. Ipse, cum lectissima manu navibus conscensis,

3. *Ambros.* Non Ambros sed *Abritas* ex Diod. XVII, 103.

4. *Quum prælio victor esset*, etc. Conf. Diod. XVII, 98.

6. *In.* I. e., *per*, ut XXXII, 1, 7.

7. *Resistit.* Ita bene Aldina et Juntina, quum sequatur præs. *præliatur.* Cæteri habent *restitit*.

10. *Amici.* Peucestes, Timæus, Leonnatus, Aristonus, aliique. Vide Curtium IX, 5, qui hæc eleganter et copiose narrat. ED.

11. *Muris dejectis.* Grævius mavult cum Juntina editione *dejectus*: scilicet quum exercitus muris dejectus esset, se dejecisset.

Oceani litora peragrat. Quum venisset ad urbem Am- 2
bigeri regis, oppidani invictum ferro audientes, sa-
gittas veneno armant; atque ita gemino mortis vul-
nere, hostem a muris submoventes, plurimos inter-
ficiunt. Quum inter multos vulneratus etiam Ptolemæus 3
esset, moriturusque jamjam videretur, per quietem
regi monstrata in remedia veneni herba est, qua in
potu accepta, statim periculo liberatus est; majorque
pars exercitus hoc remedio servata. Expugnata deinde 4
urbe, reversus in naves, Oceano libamenta dedit,
prosperum in patriam reditum precatus; ac veluti 5
curru circa metam acto, positis imperii terminis, qua-
tenus aut terrarum solitudines prodire passæ sunt, aut
mare navigabile fuit, secundo æstu ostio fluminis Indi
invehitur. Ibi in monumenta rerum a se gestarum, 6
urbem Barcen condidit; arasque statuit, relicto ex nu-
mero amicorum, litoralibus Indis præfecto. Inde iter 7
terrestre facturus, quum arida loca medii itineris dice-
rentur, puteos opportunis locis fieri præcipit, quibus
ingenti dulci aqua inventa, Babyloniam redit. Ibi 8
multæ devictæ gentes præfectos suos accusaverunt:
quos sine respectu amicitiæ Alexander in conspectu
legatorum necari jussit. Filiam post hæc Darii regis, 9

X. 1. *Oceani*. Diod. XVII, 106.

2. *Ambigeri*. Is. Vossins reponit *Ambisari*, id est, Ambi-Sar (שר princeps), ex Arriano V. — *Gemino mortis vulnere*. Fere simili modo Claudianus Stil. I, vers. 351:

.... Æthiopum geminata venenis
Vulnera.

Et Ovidina de Getis, Pont. I, 2:

Qui mortis sævo geminent ut vulnere causas,
Omnia vipereo spicula felle linunt. 20.

3. *Per quietem... servata*. Ecce Magnetismi antiquitatem! Confer Curt. IX, 8; Cic. Divin. II, 66; Diod. XVII, 103; Oros. III, 19.

6. *In monumenta*. Gronov. avus omitti vult *in*, ut *monumenta* sit adpositio nominis *urbem*: condidit urbem (tanquam), monumentum; coll. Plaut. Curc. III, 69: *statuam dat, factis monimentum suis*; Liv. I, 55, 1: *Jovis templum reliquit, regni sui monimentum*.

7. *Babyloniam redit*. Redit (non amplius progreditur), et quidem Babylonem tendit.

9. *Filiam post hæc* etc. Confer Diod. XVII, 107; alteram Darii

Statiram, in matrimonium recepit: sed et optimatibus Macedonum lectas ex omnibus gentibus nobilissimas virgines tradidit, ut communi facto crimen regis levaretur.

1 XI. Hinc ad concionem exercitum vocat; et promittit, « se æs alienum omnium propria impensa soluturum, » ut prædam præmiaque integra domos ferant.
2 Insignis hæc munificentia non summa tantum, verum etiam titulo muneris fuit, nec a debitoribus magis, quam a creditoribus gratius excepta, quoniam
3 utrisque exactio pariter ac solutio difficilis erat. xx
4 millia talentum in hos sumtus expensa. Dimissis vete-
5 ranis, exercitum junioribus supplet. Sed retenti veteranorum discessum ægre ferentes, missionem et ipsi flagitabant: « Nec annos, sed stipendia sua numerari jubebant: pariter in militiam lectos, pariter sacra-
6 mento solvi æquum censentes: » nec jam precibus, sed convicio agebant, jubentes « eum solum cum patre suo Hammone inire bella, quatenus milites suos fasti-
7 diat. » Contra ille nunc castigare milites, nunc lenibus verbis monere, « ne gloriosam militiam seditionibus
8 infuscarent. » Ad postremum, quum verbis nihil proficeret, ad corripiendos seditionis auctores, e tribunali in concionem armatam inermis ipse desiliit, et nemine prohibente, tredecim correptos, manu sua ipse

filiarum Hephæstioni dat in matrimonium, ibid. — *Levaretur.* Ut *levatio vitiorum* apud Cic. Fin. IV, 24, 5. Simile apud Ovid. Met. II, 281; III, 338. Non est igitur, cur cum Trillero corrigas *velaretur.* — *Optimatibus.* Octoginta ex suis amicis; nec non 10,000 militibus, uxores hic ducentibus (cap. 4, 2), nuptias suo sumtu adparavit.

XI. 2. *Nec a debitoribus magis... gratius excepta.* Ita Noster supra III, 2, 7, *magis clarior.* ED.

4. *Dimissis* etc Conf. cap. 12. 7-10.

5. *Sed retenti* etc. Conf. Diodor. XVII, 109-110. — *Pariter... censentes.* Quum censerent, æquum esse, se, quum pariter in militiam fuissent lecti, pariter quoque jam sacramento solvi.

6. *Cum patre suo Hammone.* De re autem respice XI, 11, 7.

ad supplicia duxit. Tantam vel illis moriendi patien- 9
tiam metus regis, vel huic exigendi supplicii constan-
tiam disciplina militaris dabat.

XII. Inde separatim auxilia Persarum in concione 1
adloquitur. Laudat perpetuam illorum, tum in se, tum 2
in pristinos reges fidem; sua in illos beneficia comme-
morat; « Ut nunquam quasi victos, sed veluti victoriæ
socios habuerit : denique se in illorum, non illos in
gentis suæ morem transisse; adfinitatibus connubio-
rum victos victoribus miscuisse. Nunc quoque, ait, 3
custodiam corporis sui non Macedonibus tantum se,
verum et illis crediturum. » Atque ita mille ex his 4
juvenes in numerum satellitum legit, auxiliorum quo-
que portionem, formatam in disciplinam Macedonum,
exercitui suo miscet. Quam rem ægre Macedones tu- 5
lerunt, jactantes « hostes suos in officium suum a rege
subjectos. » Tunc universi flentes regem adeunt; orant, 6
« suppliciis suis potius saturet se, quam contumeliis. »
Qua modestia obtinuerunt, ut undecim millia militum 7
veteranorum exauctoraret. Sed ex amicis dimissi se- 8
nes, Polyperchon, Clitus, Gorgias, Polydamas, Ama-
das, Antigenes. Dimissis his Craterus præponitur, 9
jussus præesse Macedonibus in Antipatri locum; An-

9. *Tantam... dabat* etc. Vel *illi* igitur tam patienter mortem tulerunt metu regis, vel *hic* tam constanter exegit ab illis supplicium, disciplinæ militaris fiducia.

XII. 2. *Se... transisse.* Se in illorum (ipsorum), non illos (ipsos) in gentis suæ morem transisse. Respice cap. 3, 8-11. — *Adfinitatibus connubiorum.* Respice cap. 10, 9. *His igitur*, inquit rex, *connubiis adfinitates junxi*, *victosque victoribus miscui.* — Anno Urbis 428.

3. *Nunc quoque, ait*, etc. Jam quoque non ex Macedonibus meis solum, sed ex vobis quoque corporis mei custodes eligam.

5. *Jactantes* (frequenter dicentes). Hostes nostros (Persas) in officium nostrum, (munus nostrum, regis custodiam) rex subjecit, (sublegit, suffecit).

8. *Amadas.* Is. Vossius mavult *Amyntas.* — *Antigenes.* Aldina editio *Antigonus*, quod nomen etiam Med., Ven., Col. et Parisiensis dare voluerunt, quæ quidem editiones habent *Antigonas.*

tipatrumque cum supplemento tironum in locum ejus
10 evocat : stipendia revertentibus, veluti militantibus,
11 data. Dum hæc aguntur, unus ex amicis ejus Hephæstion decedit, dotibus primo formæ pueritiæque, mox
12 obsequiis, regi percarus, quem contra decus regium Alexander diu luxit; tumulumque ei XII millium talentorum fecit; eumque post mortem coli ut Deum jussit.

1 XIII. Ab ultimis litoribus Oceani Babyloniam revertenti nuntiatur, legationes Carthaginiensium, cæterarumque Africæ civitatum, sed et Hispaniarum, Siciliæ, Galliæ, Sardiniæ, nonnullas quoque ex Italia,
2 ejus adventum Babyloniæ opperiri. Adeo universum terrarum orbem nominis ejus terror invaserat, ut cunctæ gentes, veluti destinato sibi regi adularentur.
3 Hac igitur ex caussa Babyloniam festinanti, veluti conventum terrarum orbis acturo, quidam ex Magis prædixit, « ne urbem introiret, » testatus « hunc locum ei
4 fatalem fore. » Ob hoc, omissa Babylonia, in Borsippam urbem trans Euphratem, desertam olim, concessit.
5 Ibi ab Anaxarcho philosopho compulsus est rursum

11. *Decedit.* Susis Mediæ, Diod. XVII, 110, A. U. 428, cujus funus Babylonem translatum splendidissime adparavit an. 430, cap. 114-115. — *Obsequiis.* Amore impuro, aut, si mavis, adulatione aulica, Tacit. Hist. III, 50, 4. Quanti autem hunc juvenem Alexander fecerit, apparet, *tum*, quod, quum primum hoc uno comite Darii matrem captam viseret, et hæc Hephæstionem, utpote corpore majorem formaque pulchriorem, regem salutaret, errore autem cognito, pudefacta Alexandrum salutaret, hic reginam adlevans : *Non est, inquit, quod hac re angaris : nam et hic Alexander est,* referente Diodoro XVII, 37 : *tum* quod rex eidem alteram Darii filiarum in matrimonium dedit, quum ipse alteram duxisset, c. 10, 9 not.

XIII. 1. *Legationes.* Diod. XVII, 113. — *Italia.* In his Brutii, Lucani, Tusci, et, si Plinio (III, 5, 30) credimus, etiam Romani.

3. *Quidam ex Magis.* Diod. XVII, 112 Chaldæos nominat, qui principes ex se lectos ad Alexandrum miserint, hoc ipsi significaturos. — Anno Urbis 429.

4. *Borsippam.* Sic editio Aldina et Juntina; cæteræ editiones et omnes MSS. habent *Byrsia*, *Bursia*, *Brusia*.

Magorum prædicta contemnere, ut falsa et incerta;
et si fatis constent, ignota mortalibus; at si naturæ
debeantur, immutabilia. Reversus igitur Babyloniam, 6
multis diebus otio datis, intermissum olim convivium
solenniter instituit: totusque in lætitiam effusus, quum 7
diei noctem pervigilem junxisset, recedentem jam e
convivio Medius Thessalus, instaurata comessatione,
et ipsum et sodales ejus invitat. Accepto poculo, me- 8
dia potione repente veluti telo confixus, ingemuit: 9
elatusque e convivio semianimis, tanto dolore cruciatus
est, ut ferrum in remedia posceret, tactumque homi-
num velut vulnera indolesceret. Amici caussam morbi 10
intemperiem ebrietatis disseminaverunt: re autem
vera insidiæ fuerunt, quarum infamiam successorum
potentia oppressit.

XIV. Auctor insidiarum Antipater fuit, qui quum 1
carissimos amicos ejus interfectos videret; Alexan-
drum Lyncestam, generum suum, occisum; se mag- 2
nis rebus in Græcia gestis, non tam gratum apud
regem, quam invidiosum esse; a matre quoque ejus 3

5. *Magorum prædicta.* Quæ Magi prædicunt, mortis nostræ modus et ratio, si fatis constant, constituta, fixa sunt, mortalibus sunt ignota: si naturæ debentur, si sunt necessaria, mutari non possunt, neque nobis evitari. — Tacit. Histor. I, 18: *Quæ fato manent, quamvis significata, non vitantur;* Val. Max. I, 6, 10: *Dirum omen quemadmodum timemus, ita vitare non possumus.* ED.

6. *Reversus igitur* etc. Diod. XVII, 116. — Anno Urbis 430.

7. *Medius.* Diod. XVII, 117, qui idem hoc nomen dat, quod ex Junt. dedi, et Ald. voluit dare in *Midius,* quum cæteræ editiones depravarint in *medicus.*

10. *Oppressit.* Gronovius avus mavult *suppressit.*

XIV. 1. *Auctor... Antipater fuit.* Conf. Diod. XVII, 118, ubi quosdam perhibere refert, Antipatrum ab Olympiade apud Alexandrum sæpius accusatum, quum suam apud regem gratiam deminui videret, Cassandri filii, qui erat regi a poculis, opera regem veneno necasse. — *Occisum.* Diod. XVII, 80, olymp. 112, 4, anno Urbis 425, per triennium in custodia detentus, ergo anno Urbis 423 accusatus et carceri inclusus.

2. *Magnis rebus in Græcia gestis.* Respice cap. 1, 6-11. — *Gratum... invidiosum.* Respice V, 2, 4.

4 Olympiade variis se criminationibus vexatum. Huc
accedebant ante paucos dies supplicia in præfectos
5 devictarum nationum crudeliter habita. Ex quibus se
quoque a Macedonia non ad societatem militiæ, sed
6 ad pœnam evocatum arbitrabatur. Igitur ad occu-
pandum regem, Cassandrum filium, dato veneno, su-
bornat, qui cum fratribus, Philippo et Iolla, ministrare
7 regi solebat: cujus veneni tanta vis fuit, ut non ære,
non ferro, non testa contineretur, nec aliter ferri,
nisi in ungula equi, potuerit: præmonito filio, ne
8 alii, quam Thessalo et fratribus crederet. Hac igitur
9 ex caussa apud Thessalum paratum repetitumque con-
vivium est. Philippus et Iollas prægustare ac temperare
potum regis soliti, in aqua frigida venenum habue-
runt, quam prægustatæ jam potioni supermiserunt.
1 XV. Quarta die Alexander indubitatam mortem
sentiens, « Agnoscere se fatum domus majorum suo-
rum ait: nam plerosque Æacidarum intra trigesimum
2 annum defunctos. » Tumultuantes deinde milites, in-
sidiis periisse regem suspicantes, ipse sedavit; eosque
omnes, quum prolatus in editissimum urbis locum
esset, ad conspectum suum admisit, osculandamque
3 dextram suam flentibus porrexit. Quum lacrymarent
omnes, ipse non sine lacrymis tantum, verum etiam

3. *Se.* Hanc voculam deleri vult Schefferus, quum idem pronomen præcedat §. 2.

4. *Huc... habita.* Resp. cap. 10, 8.

5. *Se... evocatum.* Respice cap. 12, 9; coll. XI, 5, 3.

7. *Thessalo.* Illi Medio cap. 13, 7. — *Ungula equi.* Conf. Ælian. Var. Hist. X, 40; Plin. XXX extr.; Curt. X, 10, 25; coll. Herodot. VI, 74; Senec. Quæst. Nat. III, 25; Vitruv. VIII, 3. — Veterum mendacia. ED.

9. *Temperare.* Aqua miscere, diluere. Confer indicem in Horatium a me editum. De re autem confer Xenoph. Cyrop. I, 3, 8; Plin. XXI, 3; Tacit. Annal. XII, 66, 3; XIII, 16, 2.

XV. 1. *Nam plerosque Æacidarum... defunctos.* Respice XI, 3, 1. *Nam et Achillem clarum cita mors abstulit,* ut ait Horatius. — *Domus majorum suorum.* Glossa quidem inepta, adsuta, quam vidit Faber, qui acute corrigit *domus suæ*, quod glossator explicare voluit suo *majorum*.

sine ullo tristioris mentis argumento fuit, ut quosdam
impatientius dolentes consolatus sit; quibusdam man-
data ad parentes eorum dederit : adeo, sicuti in hos- 4
tem, ita et in mortem invictus animus fuit. Dimissis 5
militibus, amicos circumstantes percontatur, « vi-
deanturne similem sibi reperturi regem? » Tacentibus 6
cunctis, tum ipse, « ut hoc nesciat, ita illud scire
vaticinarique se, ac pæne oculis videre dixit, quantum
sit in hoc certamine sanguinis fusura Macedonia;
quantis cædibus, quo cruore, mortuo sibi parenta-
tura. » Ad postremum, corpus suum in Hammonis 7
templo condi jubet. Quum deficere eum amici viderent, 8
quærunt, « quem imperii faciat heredem : » respondit,
« dignissimum. » Tanta illi magnitudo animi fuit, ut, 9
quum Herculem filium, quum fratrem Aridæum,
quum Roxanen uxorem prægnantem relinqueret,
oblitus necessitudinum, dignissimum nuncuparet he-
redem : prorsus quasi nefas esset viro forti alium 10
quam virum fortem succedere; aut tanti regni opes
aliis, quam probatis, relinqui. Hac voce, veluti belli- 11
cum inter amicos cecinisset, aut malum discordiæ
misisset, ita omnes in æmulationem consurgunt, et
ambitione vulgi tacitum favorem militum quærunt.

4. *Animus*. Bernecc. mavult *animi*, ut Tacit. Annal. I, 32, 6; I, 69, 3, *ferox animi*, *ingens animi*; Virg. Æn. IV, 529, *infelix animi*. De re ipsa autem, sic fere simili modo *Bossuet, Oraison funèbre de la Duchesse d'Orléans* : « *Madame fut douce envers la mort, comme elle l'était envers tout le monde.* » ED.

6. *Parentatura*. Vid. ind. in hac voce apud Curt. X, 5, 5 : *Magni*, inquit, *ludi funebres parantur mihi*. Conf. Diod. XVII, 117; XVIII, 1; Arrian. VII, 26.

7. *Hammonis templo*. Quod et factum est XIII, 4, 6; coll. supra VII, 2, 4.

8. *Dignissimum*. *Optimum*, Curt. X, 5, 7; τὸν ἄριστον, τὸν κράτιστον, Diod. XVII, 117; XVIII, 1.

9. *Roxanen*. Filiam Oxyartæ, Bactrianorum regis (Diod. XVIII, 3), quæ deinde peperit Alexandrum Ægum. Conf. Curt X, 3, 13. De Hercule filio, et Aridæo, fratre Alexandri, conf. infra XIII, 2, 7-8

11. *Malum discordiæ*. Quale Eris olim in nuptiis Pelei et Thetidis je-

12 Sexto die præclusa voce, exemtum digito annulum Perdiccæ tradidit: quæ res gliscentem amicorum dis-
13 sensionem sedavit. Nam etsi non voce nuncupatus heres, judicio tamen electus esse videbatur.

1 XVI. Decessit Alexander, mensem unum, annos tres et triginta natus; vir supra humanam potentiam
2 magnitudine animi præditus. Qua nocte eum mater Olympias concepit, visa per quietem est cum ingenti serpente volutari; nec decepta somnio est: nam profecto majus humana mortalitate opus utero tulit:
3 quam quum Æacidarum gens ab ultima sæculorum

cisse fertur inscriptum, *Pulcherrimæ detur*. Hinc natum bellum Trojanum. — *Ambitione vulgi*. Quæ est I, 1, 1, *ambitio popularis*, et infra XIII, 3, 2, *vulgi adulatio*. Pro *tacitum* autem recte conjicit Schisius tacita, aut Grævius *tacite*, vel *taciti*. Principes enim ambitiosi, regnandi cupidi, quærunt militum favorem tacite, non palam profitentes regnandi cupidinem. Militum autem favor tacitus esse non poterat, quippe quorum erat declarare regem, non tacere.

12. *Sexto die præclusa voce*, etc. Conf. Curt. X, 5, 4.

13. *Judicio*. Extremo judicio, extrema voluntate, ut supra V, 11, 3.

XVI. 1. *Annos tres et triginta natus*. Natus A. U. 398, denatus A. U. 430, complevit annos 33. Conf. XI, 1, 9, et Cic. Phil. V, 17. Adcuratius Arrian. VII, 28, definit annos 32, menses 8 vitæ; 12 autem annos et 8 menses regni. Quantam autem de hujus herois animi magnitudine injicit *Montesquieu* (*Lysimaque*) his verbis: *Alexandre mourut, et toutes les nations furent sans maître*. Illam quoque Alexandri potentiam quam magnifice amplificat *Bossuet*, *Discours sur l'Histoire univer.*, I *part.*, 8 *époque*, quum Pellæum juvenem nobis ostendit terras emensum victoria, his verbis: *Il vengea la mort de son père; il dompta les peuples rebelles qui méprisaient sa jeunesse... Puissant et victorieux, il marche après tant d'exploits à la tête des Grecs contre Darius, qu'il défait en trois batailles rangées; entre triomphant dans Babylone et dans Suse; détruit Persépolis, ancien siége des rois de Perse; pousse ses conquêtes jusqu'aux Indes....* Postquam autem virum ad supremum potestatis fastigium ita extulit *Bossuet*, quem tristem subito humanæ infirmitatis reputationem nobis injicit, quam fœde heroem præcipitat, prosternit, his ultimis verbis: *et vient mourir à Babylone, âgé de trente-trois ans*. ED. — Anno Urbis 430.

2. *Volutari*. Coire, concumbere, cujus glossa *voluptari* est in Junt. et MSS. Bongars., *voluptuari* in Ald. Conf. supra XI, 11, 3. — *Serpente*. Apollini et Æsculapio sacro. Ergo concepisse Olympias videri volebat Alexandrum ex Apolline. — *Opus*. Aut potius *onus*, ex Grævio.

3. *Quam quum Æacidarum* etc. Atque Olympias quum illustrissimæ

memoria, et regna patris, fratris, mariti, ac deinceps
majorum omnium illustraverint, nullius tamen no-
mine, quam filii, clarior fuit. Prodigia magnitudinis 4
ejus in ipso ortu nonnulla apparuere. Nam ea die, 5
qua natus est, duæ aquilæ tota die perpetes supra cul-
men domus patris ejus sederunt, omen duplicis im-
perii, Europæ Asiæque, præferentes. Eadem quoque 6
die nuntium pater ejus duarum victoriarum accepit;
alterius, belli Illyrici; alterius, certaminis Olympici,
in quod quadrigarum currus miserat : quod omen
universarum terrarum victoriam infanti portendebat.
Puer acerrimis literarum studiis eruditus fuit. Exacta 7
pueritia, per quinquennium sub Aristotele, doctore 8
inclyto [omnium philosophorum], crevit. Accepto 9
deinde imperio, « regem se terrarum omnium ac
mundi » appellari jussit : tantamque fiduciam sui mi- 10
litibus fecit, ut, illo præsente, nullius hostis arma nec
inermes timuerint. Itaque cum nullo hostium un- 11
quam congressus est, quem non vicerit : nullam ur-
bem obsedit, quam non expugnaverit : nullam gentem
adiit, quam non calcaverit. Victus denique ad postre- 12
mum est, non virtute hostili, sed insidiis suorum, et
fraude civili.

Æacidarum gentis esset (XI, 3, 1), cujus pater (Neoptolemus VII, 3, 10; XVII, 3, 14), frater (Alexander XVII, 3, 15; coll. ind. nr. 3), maritus (Philippus) reges fuissent illustrissimi; longe tamen illustrissimum nomen adepta est filio Alexandro. Conf. not. ad XIV, 6, 12.

6. *Illyrici* Respice VII, 6, 7 not.

7. *Acerrimis*. Aut potius *acerrimus*, ut legimus in Med., Ald., Junt., Ven. et Parisiensi.

8. *Per quinquennium sub Aristotele, doctore inclyto... crevit*. Aut potius ab anno inde 412-418 : et perstitit, mortuo Philippo, apud Alexandrum ad annum usque 420, quo hic in Asiam transiit. Verba *omnium philosophorum*, Scheffero et Fabro damnata, inclusi uncis. Quæquidem enim constructa cum *doctore* sensum præbent falsum, nec ab *inclyto* pendere possunt, quum sit positivus, non superlativus.

LIBER XIII.

1 I. Exstincto in ipso ætatis ac victoriarum flore Alexandro Magno, triste apud omnes tota Babylone silen-
2 tium fuit. Sed nec devictæ gentes fidem nuntio habuerunt, quod ut invictum regem, ita immortalem esse
3 crediderant; recordantes, quoties præsenti morte ereptus esset, quam sæpe pro amisso, repente se non sospitem tantum suis, verum etiam victorem obtu-
4 lisset. Ut vero mortis ejus fides adfuit, omnes barbaræ gentes, paullo ante ab eo devictæ, non ut hostem,
5 sed ut parentem luxerunt. Mater quoque Darii regis, quam, amisso filio, a fastigio tantæ majestatis in captivitatem redactam, indulgentia victoris, in eam diem vitæ non pœnituerat, audita morte Alexandri, mor-
6 tem sibi ipsa conscivit; non quod hostem filio præferret, sed quod pietatem filii in eo, quem ut hostem
7 timuerat, experta esset. Contra Macedones [versa vice], non ut civem, ac tantæ majestatis regem, verum ut hostem amissum gaudebant: severitatem nimiam, et
8 adsidua belli pericula exsecrantes. Huc accedebat,

I. 1. *Exstincto in... flore*. Duæ sunt diversæ metaphoræ, ab igni et herba florente desumtæ.

3. *Morte*. *Morti* edd. antiquæ non minus bene.

4. *Ut vero mortis ejus... ut parentem luxerunt*. « *Qu'est-ce que ce conquérant, qui est plaint de tous les peuples qu'il a soumis? qu'est-ce que cet usurpateur, sur la mort duquel la famille qu'il a renversée du trône verse des larmes? Montesquieu.* » ED.

5. *Mater... Darii*. Respice XI, 9, 12, et conf. Diodor. XVII, 118; Curt. X, 5, 39.

7. *Versa vice*. Hæc verba uncis inclusimus, quia pluribus habentur glossema. ED. — *Amissum*. Editiones antiq. *amisissent*. — *Severitatem*. Respice XII, 14, 4; XII, 10, 8; XII, 11, 8. — *Adsidua belli pericula*. Respice XII, 8, 10.

quod principes regnum et imperia, vulgus militum
thesauros et grande pondus auri, velut inopinatam
prædam, spectabant; illi successionem regni, hi opum
ac divitiarum hereditatem cogitantes. Erant enim in
thesauris quinquaginta millia talentum, et in an-
nuo vectigali [tributo] tricena millia. Sed nec amici 10
Alexandri frustra regnum spectabant: nam ejus vir-
tutis ac venerationis erant, ut singulos reges putares.
Quippe ea formæ pulchritudo, et proceritas corporis, 11
et virium ac sapientiæ magnitudo in omnibus fuit, ut,
qui eos ignoraret, non ex una gente, sed ex toto ter-
rarum orbe electos judicaret. Neque enim unquam 12
ante Macedonia, vel ulla gens alia, tam clarorum vi-
rorum proventu floruit: quos primo Philippus, mox 13
Alexander, tanta cura legerat, ut non tam ad societatem
belli, quam in successionem regni, electi viderentur.
Quis igitur miretur, talibus ministris orbem terrarum 14
victum, quum exercitus Macedonum tot, non ducibus,
sed regibus regeretur? qui nunquam sibi reperissent 15
pares, si non inter se concurrissent: multosque Mace-
donia pro uno Alexandros habuisset, nisi fortuna eos
æmulatione virtutis in perniciem mutuam armasset.

8. *Principes*. Duces exercituum, §. 10, amici Alexandri. — *Vulgus militum*. Milites gregarii. — *Spectabant*. Fortius hoc quam quod in Junt. est Grævio probatum *sperabant*.

9. *Vectigali* [*tributo*]. Hic etiam merito metus Scheffero ne glossa irrepserit. Quis enim unquam hæc verba *vectigal tributum* junxit ex scriptoribus probatis? ED.

10. *Spectabant*. Bechar. et aliæ antiquiores edd. *exspectabant*. ED.

11. *Quippe ea formæ pulchritudo*, etc. Forma enim omnes erant pulcherrimi, corpore procerissimi, viribus ac sapientia maximi.

12. *Clarorum virorum proventu*. Senec. de Tranquill. animi cap. 7: *Si inter Platonas, et Xenophontas, et illum Socratici cœtus proventum, bonos quæreres*. Plin. Epist. I, 13: *Magnum proventum poetarum annus hic attulit*; et Quintil. Inst. Orat.: *Tum deinde efflorescat, non multum inter se distantium temporum, ingens oratorum proventus*. ED.

15. *Multosque... armasset*. Ita optime dixit *Montesquieu, Lysimaque*: « *Les capitaines d'Alexandre levèrent les yeux sur son trône : mais l'ambition de chacun fut contenue par l'ambition de tous.* » ED.

1 II. Cæterum, occiso Alexandro, non ut læti, ita et securi fuere, omnibus unum locum competentibus:
2 nec minus milites invicem se timebant, quorum et
3 libertas solutior, et favor incertus erat. Inter ipsos vero æqualitas discordiam augebat, nemine tantum
4 cæteros excedente, ut ei aliquis se submitteret. Armati itaque in regiam coeunt, ad formandum rerum præ-
5 sentium statum. Perdiccas censet, « Roxanes exspectari partum, quæ, exacto mense octavo, matura jam ex Alexandro erat; et si puerum peperisset, hunc dari
6 successorem patri. » Meleager negat « differenda in partus dubios consilia; nec exspectandum, dum reges
7 nascerentur, quum jam genitis uti liceret. Seu puer illis placeat, esse Pergami filium Alexandri, natum ex
8 Barsine, nomine Herculem: seu mallent juvenem, esse in castris fratrem Alexandri Aridæum, comem, et cunctis non suo tantum, verum et patris Philippi
9 nomine acceptissimum. Cæterum Roxanen esse originis Persicæ; nec esse fas, ut Macedonibus ex sanguine eorum, quorum regna deleverint, reges constituantur: quod nec ipsum Alexandrum voluisse » dicit.
10 « Denique morientem nullam de eo mentionem ha-
11 buisse. » Ptolemæus recusat regem Aridæum, « non propter maternas modo sordes, quod ex Larissæo

II. 1. *Omnibus... competentibus.* Quum omnes illi principes unum locum (summum regni) simul peterent, regnum adpeterent.

3. *Ipsos.* Principes. — *Æqualitas.* Ut infra XVI, 3, 1, adsiduum inter pares discordiæ malum. — *Se submitteret:* Ald., Junt. et Col. *submitteretur*, quod præfert Vorstius, ut infra § 12, *subjici.*

5. *Perdiccas.* Respice XII, 15, 12. — *Roxanes.* XII, 15, 9. — *Matura.* Scilicet vicina partui.

7. *Herculem.* XII, 15, 9, et XI, 10, 3.

8. *Aridæum.* XII, 15, 9; IX, 8, 2; Diod. XVIII, 1; Curt. X, 7, et Senec. de Benef. IV, 21, ubi: *Quid sibi, inquit, voluit providentia, quæ Aridæum regno imposuit? Illi putas hoc datum? Patri ejus datum est et fratri.*

11. *Recusat.* Pro *recusabat* ita recep. ex edd. antiq. quum præcedant præsentia *censet*, *negat*, §. 5 et 6. — *Ex Larissæo scorto nasceretur.* Saltatrice Larissæa, Philinna IX, 8, 2, *nasce-*

scorto nasceretur; sed etiam propter valetudinem
majorem, quam patiebatur; ne ille nomen regis, alius
imperium teneret : melius esse ex his legi, qui pro 12
virtute regi suo proximi fuerint, qui provincias re-
gant, quibus bella mandentur, quam sub persona
regis indignorum subjiciantur imperio. » Vicit Per- 13
diccæ sententia, consensu universorum. Placuit itaque
Roxanes exspectari partum, et si puer natus fuisset,
tutores Leonatum, Perdiccam, Craterum et Antipa-
trum constituunt; confestimque in tutorum obsequia
jurant.

III. Quum equites quoque idem fecissent, pedites 1
indignati, nullas sibi consiliorum partes relictas; Ari-
dæum, Alexandri fratrem, regem appellant, satelli-
tesque illi ex tribu sua legunt, et nomine Philippi
patris vocari jubent. Quæ quum nuntiata equitibus 2
essent, legatos ad mitigandos eorum animos, duos ex
proceribus, Attalum et Meleagrum mittunt, qui po-
tentiam ex vulgi adulatione quærentes, omissa lega-
tione, militibus consentiunt. Statim et seditio crevit, 3
ubi caput et consilium habere cœpit. Tunc ad delen- 4
dum equitatum cuncti armati in regiam irrumpunt :
quo cognito, equites trepidi ab urbe discedunt, cas- 5

retur. — *Valetudinem majorem.* Morbum comitialem Romanis, nobis *fallende Sucht.* Diodoro autem XVIII, 2, dicitur ψυχικοῖς πάθεσι συνεχόμενος ἀνιάτοις. Conf. infra XIV, 5, 2.

13. *Tutores.* Ut infra XVII, 3, 10 et 21; XXXIV, 3, 6.

III. 1. *Tribu.* Honestius hoc, quam alterum Bongarsiõ et Modio probatum, a Berneccero receptum *turba.* De Aridæo respice not. ad cap. 8, 8.

2. *Mitigandos.* Ita dedi cum Bong., quamquam et *mitigandum* stare potest; coll. XXII, 8, 15. — *Ex vulgi adulatione.* Vulgo adulantes. — *Militibus.* Id est spec. *peditibus* qui κατ' ἐξοχὴν dicuntur, milites, quum in pedite præcipuum sit robur exercitus. Hinc Cæsar : *milites equitesque in expeditionem misit.*

4. *Delendum.* Est autem primus iræ exardescentis et indignationis excitatæ impetus. Hinc non est, cur cum MSS. Bongarsianis corrigas *deligandum*, nec magis cur eum Scheffero conjicias *territandum*. Nihil mutandum est.

6 trisque positis, et ipsi pedites terrere cœperunt. Sed
7 nec procerum inter se odia cessabant. Attalus ad interficiendum Perdiccam, ducem partis alterius mittit :
8 ad quem armatum, et ultro vocantem, quum accedere percussores ausi non fuissent, tanta constantia Perdiccæ fuit, ut ultro ad pedites veniret, et in concionem vocatos edoceret, quod facinus molirentur :
9 « Respicerent, contra quos arma sumsissent : non illos Persas, sed Macedonas; non hostes, sed cives esse; plerosque etiam cognatos eorum, certe commilitones,
10 eorumdem castrorum ac periculorum socios : edituros deinde egregium hostibus suis spectaculum, ut, quorum armis victos se doleant, eorum mutuis cædibus gaudeant, parentaturosque sanguine suo manibus hostium a se interfectorum. »

1 IV. Hæc quum pro singulari facundia sua Perdiccas perorasset, adeo movit pedites, ut, probato consilio
2 ejus, dux ab omnibus legeretur. Tum equites in concordiam revocati, in Aridæum regem consentiunt.
3 Servata est portio regni Alexandri filio, si natus esset.
4 Hæc agebant, posito in medio corpore Alexandri, ut
5 majestas ejus testis decretorum esset. His ita compositis,

5. *Et ipsi... cœperunt. Serzen Ouch sie das Fussvolk in Furcht.*

7. *Mittit.* Scil. aliquot percussores. Quod autem Attalo Noster, id Meleagro tribuit Curtius X, 8, 1. — *Vocantem.* Plures MSS. et edd. antiq. *provocantem.*

10. *Edituros... gaudeant.* Ut hostes jam gaudeant mutuis cædibus eorum (Macedonum), quorum armis victos se doleant : si ipsi, inquit, parentaturi estis manibus hostium, quos occidistis, mutuo jam vos ipsi cædentes. Conf. de re Hom. Il. I, 255; Virg. Æn. II, 104; Ovid. Heroid. IX, 7; Tacit. Germ. 33, 2-3; Joseph. Antiq. XIII, 24. — *Parentaturosque... hostium.* Vide quæ supra ad XII, 15, 6, notavimus. ED.

IV. 1. — Anno Urbis 431.

2. *In Aridæum regem.* Cujus procurator sit Perdiccas, Diod. XVII, 2.

5. *His ita compositis.* Aliorum scriptorum alia est divisio, v. c. Diodori XVIII, 3; Arriani et Dexippi apud Photium nr. 92 et 82; Curtii X, 10; quam tibi facile conspiciendam proposui *in meinem histor. Handb.* vol. II, pag. 43-44. Noster autem quam dat, hæc est divisio :

Macedoniæ et Græciæ Antipater præponitur : regiæ pecuniæ custodia Cratero traditur : castrorum et exer-

Ex terris secundum literarum ordinem positis :

1.	Ægyptus.	Vide §. 10.	26.
2.	Africæ pars.	10.	26.
3.	Arabia.	10.	26.
4.	Aracossi.	22.	31.
5.	Arei.	22.	32.
6.	Armenia.	23.	25.
7.	Babylonii.	23.	21.
8.	Bactriana.	19, 23.	1.
9.	Cappadocia.	16.	11.
10.	Caria.	15.	8.
11.	Castra, exercitus.	5.	16.
12.	Castrorum tribunatus.	17.	30.
13.	Caucasus.	21.	12.
14.	Cilicia.	12.	24.
15.	Classis (cap. 6).	15.	9.
16.	Drancæ.	22.	32.
17.	Gedrosi.	22.	31.
18.	Græcia.	5.	3.
19.	Hyrcani.	23.	22.
20.	Illyrii.	12.	23.
21.	India.	19.	
22.	Indicæ coloniæ.	21.	27.
23.	Lycia.	15.	18.
24.	Lydia.	15.	17.
25.	Macedonia.	5.	3.
26.	Media major.	13.	6.
27.	Media minor.	13.	Alc.
28.	Mesopotamia.	23.	4.
29.	Pamphylia.	15.	18.
30.	Paphlagonia.	16.	11.
31.	Paropamisii.	21.	12.
32.	Parthi.	23.	19.
33.	Pecunia regia.	5.	10.
34.	Pelasgi.	23.	5.
35.	Persæ.	23.	34.
36.	Phrygia major.	14.	2.
37.	Phrygia minor.	16.	14.
38.	Pontus.	16.	15.
39.	Sogdiani.	23.	29.
40.	Stipatores et sat. regis.	18.	7.
41.	Susiana.	14.	28.
42.	Syria.	12..	13.
43.	Thracia.	16.	15.

Ex ducibus eodem modo se subsequentibus :

1.	Amyntas.	8. Vid. §.	23.
2.	Antigonus.	36.	14.
3.	Antipater.	18, 25.	5.
4.	Arcesilaus.	28.	23.
5.	Archon.	34.	23.
6.	Atropatus.	26.	13.
7.	Cassander.	40.	18.
8.	Cassander.	10.	15.
9.	Clitus.	15. (c. 6)	15.
10.	Craterus.	33.	5.
11.	Eumenes.	9, 30.	16.
12.	Extarches.	13, 31.	21.
13.	Laomedon.	42.	12.
14.	Leonatus.	37.	16.
15.	Lysimachus.	43, 38.	16.
16.	Meleager.	11.	5.
17.	Menander.	24.	15.
18.	Nearchus.	23, 29.	15.
19.	Nicanor.	32.	23.
20.	Perdiccas.	11.	5.
21.	Peucestes.	7.	23.
22.	Philippus.	19.	23.
23.	Philo.	20.	12.
24.	Philotas	14.	12.
25.	Phrataphernes.	6.	23.
26.	Ptolemæus.	1, 2, 3.	10.
27.	Python.	22.	21.
28.	Scynus.	41.	14.
29.	Scythæus.	39.	23.
30.	Seleucus.	12.	17.
31.	Sibyrtius.	4, 17.	22.
32.	Stasanor.	16, 5.	22.
33.	Taxiles.		20.
34.	Tleptolemus.	35.	23.

Provincias imperii Macedonici *Asiaticas* Diodorus XVIII, 5-7, nominat has : Sogdianam cum Bactriana; Aream et Parthiam; Mediam; Armeniam, Lycaoniam, Cappadociam; Phrygias; Lydiam, Cariam, Pisidiam, Lyciam; Græcorum colonias; Indiam, in qua Gandaridas (Al. Gangaridas), nec non Pori et

citus, et rerum cura Meleagro et Perdiccæ adsignatur:
6 jubeturque Aridæus rex corpus Alexandri in Ham-
7 monis templum deducere. Tunc Perdiccas infensus seditionis auctoribus, repente, ignaro collega, lustrationem castrorum, propter mortem regis, in poste-
8 rum edicit. Postquam armatum exercitum in campo constituit, consentientibus universis, evocatos, dum transit, de singulis manipulis seditiosos, supplicio
9 tradi occulte jubet. Reversus inde, inter principes provincias dividit, simul ut et removeret æmulos, et
10 munus imperii, beneficii sui faceret. Prima Ptolemæo Ægyptus, et Africæ Arabiæque pars, sorte venit, quem ex gregario milite Alexander virtutis caussa provexe-
11 rat : cui ad tradendam provinciam Cleomenes, qui

Taxilis regna; Arachosiam, Gedrosiam; Carmaniam; Persidem, in qua Susianam et Sittacenam; Babyloniam; Mesopotamiam; Syriam; Ciliciam, Pamphyliam; Cœle-Syriam; Phœnicen; Ægyptum. — *Macedoniæ et Græciæ.* Quibus ante jam fuerat præfectus XI, 7, 1; XII, 1, 4; XII, 12, 9; coll. infra cap. 5, 8. — *Regiæ pecuniæ.* Cap. 1, 9. — *Rerum.* Id est, belli, ergo militiæ præfectura in bello; unde dictator rei gerendæ; coll. XII, 2, 2, ubi rerum (gerendarum) materia; XIX, 2, 3, ubi res (bella) Carth. geruntur, ut apud Horatium Epist. I, 17, 33:

Res gerere et captos ostendere civibus hostes.

6. *Rex.* §. 2, et cap. 3, 1. Deportatum autem dicit A. U. 432, Diod. XVIII, 26-28, ubi adcuratius describit currum magnificum, quo cadaver est devectum Alexandriam, non ab Aridæo rege, sed ab alio Aridæo, uno ex ducibus, Diodor. XVIII, 36. — *Hammonis templum.* Respice XII, 15, 7; coll. VII, 2, 4.

7. *Ignaro collega.* Meleagro, quippe qui peditibus seditiosis consensisset cap. 3, 2. De re conf. Diod. XVIII, 4. — *Lustrationem castrorum.* Conf. Curt. X, 9, 12; Liv. XL, 6, et cap. 13, 2.

8. *Transit.* Exercitus : *Zieht jene, indem das ganze Heer vor ihm vorbei geht, heraus, schickt sie weg, und lässt sie heimlich hinrichten.* Aliter Curtius X, 9, 18, qui in conspectu totius exercitus trecentos elephantis objectos esse tradit.

9. *Et munus imperii.* Scil. ut imperium, ipsum, præfecturam provinciarum singulis ducibus attributarum *faceret* (rem) *beneficii sui;* coll. XXIV, 2, 4; Tacit. Ann. XV, 52, 5.

10. *Africæ... pars.* Libya *Arabiæ pars,* Arabia Petræa : de *Cyrene* vid. infra cap. 6, 20. — *Quem... provexerat.* Falso. Hujus enim mater Arsinoe ex Philippo gravida, nupserat Lago, Macedoni nobili, qui ordines duxerat sub Philippo.

11. *Cleomenes.* Qui Africæ et Ægypti vectigalibus erat præpositus,

Alexandriam ædificaverat, datur. Confinem huic pro- 12
vinciæ Syriam Laomedon Mitylenæus, Ciliciam Philotas, Philo Illyrios accipiunt. Mediæ majori Atropa- 13
tus, minori socer Perdiccæ præponitur. Susiana gens 14
Scyno, Phrygia major Antigono, Philippi filio, adsignatur. Lyciam et Pamphyliam Nearchus, Cariam Cas- 15
sander, Lydiam Menander, sortiuntur. Leonato minor 16
Phrygia evenit : Thracia et regiones Pontici maris Lysimacho : Cappadocia cum Paphlagonia Eumeni data. Summus castrorum tribunatus Seleuco, Antiochi 17
filio, cessit. Stipatoribus regis satellitibusque Cassan- 18
der, filius Antipatri, præficitur. In Bactriana ulteriore, 19
et Indiæ regionibus, priores præfecti retenti. Terras 20
inter amnes Hydaspem et Indum Taxiles habebat. In colonias in Indis conditas Python, Agenoris filius, 21
mittitur. Paropamisios et fines Caucasi montis Extarches accepit. Aracossi Gedrosique Sibyrtio traduntur : 22
Drancæ et Arei Stasanori. Bactrianos Amyntas sorti- 23
tur, Sogdianos Scythæus, Nicanor Parthos, Philippus Hyrcanos, Phrataphernes Armenios, Tleptolemus Persas, Peucestes Babylonios, Archon Pelasgos, Arcesilaus Mesopotamiam. Quum hæc divisio, veluti fatale mu- 24

Curt. IV, 8, 5, quum contra *Dinocrates* Alexandriam ædificasse tradatur, Valer. Max. I, 5, ext. 1; Plin. VII, 38.

13. *Atropatus*. Aut potius *Atropates* ex Arriani lib. VII. — *Socer*. Aut potius *frater Alcetas* ex cap. 6, 15, quod Paris., Ald. et Colon. exhibent corrupte *Alcetæ frater*.

14. *Scyno*. Aut potius *Cyno*, quod est in Junt. et MS. Bong., aut ex Diod. XVII, 57 *Cœno*.

21. *Paropamisios*. Scil. *Parapamenos*, ut supra scripl. XII, 5, 9, et hoc loco habet MS. Bong. — *Extarches*. Aut potius *Oxyarches* ex Arriano et Dexippo apud Photium, quod corrup. in *Axiarches* edd. antiq.

22. *Aracossi*. Aut potius *Arachosii*, quod ex Ald. et Junt. recep. Gron. nepos et est apud Diod. XVII, 81; XVIII, 3.

23. *Bactrianos*. Aut, quum *Bactriana* jam §. 19 adfuerit, *Barcanos* ex Curt. III, 2, 9. — *Philippus*. Cæterum ignotus, si aliter nomen sincerum est. Seqq. Palmerius in Exerc. pag. 139 ex Diod. XVIII, 3, et Arriano ita bene corrigit : *Tleptolemus Carmanos, Persas Peucestes, Babylonios Archon Pellæus* (Pellæ, Macedoniæ urbe natus).

nus, singulis contigisset, ita magna incrementorum
25 materia plurimis fuit: siquidem non magno post tempore, quasi regna, non præfecturas divisissent, sic reges ex præfectis facti, magnas opes non sibi tantum paraverunt, verum etiam posteris reliquerunt.
1 V. Dum hæc in Oriente aguntur, in Græcia Athenienses et Ætoli bellum, quod jam vivo Alexandro
2 moverant, summis viribus instruebant. Caussæ belli erant, quod reversus ab India Alexander, epistolas in Græciam scripserat, quibus omnium civitatum
3 exsules, præter cædis damnatos, restituebantur. Quæ recitatæ, præsente universa Græcia, in mercatu Olym-
4 piaco, magnos motus fecerunt: quod plurimi non legibus pulsi patria, sed per factionem principum fuerant; verentibus iisdem principibus, ne revocati
5 potentiores in republica fierent. Palam igitur jam tunc multæ civitates libertatem bello vindicandam freme-
6 bant. Principes tamen omnium Athenienses et Ætoli
7 fuere. Quod quum nuntiatum Alexandro esset, mille naves longas sociis imperari præceperat, quibus in Occidente bellum gereret; excursurusque cum valida
8 manu fuerat ad Athenas delendas. Igitur Athenienses, contracto xxx millium exercitu, et cc navibus, bellum cum Antipatro, cui Græcia sorte evenerat, gerunt;

Quid enim sibi volunt h. l. *Pelasgi?*

25. *Præfecturas.* Provincias, quibus *præficiuntur* regendis, ut satrapæ Persarum, consules Romanorum.

V. 1. *Quod... moverant.* Anno jam U. 428, olymp. 113, 3, Diod. XVII, 111, coll. 109; quod est initium belli Lamiaci.

2. *Caussæ belli* etc. Conf. Diodor. XVIII, 8; coll. 17, 109, Anno Urbis 427.

3. *Mercatu Olympiaco.* I. e. ludis Olympiacis, scil. certamine Olympico, XII, 16, 6. Nam in mercatu illo, ut ait Pythagoras apud Ciceronem Tuscul. V, 3, *qui habetur maximo ludorum adparatu totius Græciæ celebritate, alii corporibus exercitatis gloriam et nobilitatem coronæ petunt; alii emendi aut vendendi quæstu et lucro ducuntur.* — Anno Urbis 427.

7. — Anno Urbis 428.

8. *Sorte evenerat.* Cap. 4, 5, ergo post Alexandri demum mortem, A. U. 431, olymp. 114, 2, Diod.

cumque detrectantem prælium, et Heracleæ urbis
mœnibus tuentem se, obsidione cingunt. Eodem tem- 9
pore Demosthenes, Atheniensis orator, pulsus patria,
ob crimen accepti ab Harpalo auri, qui crudelitatem
Alexandri fugerat, quod civitatem in ejusdem Alexan-
dri bellum impelleret, forte Megaris exsulabat : qui 10
ut missum ab Atheniensibus Hyperidem legatum co-
gnovit, qui Peloponnenses in societatem armorum
solicitaret, sequutus eum, Sicyona, Argos et Corin-
thum, cæterasque civitates, eloquentia sua Athenien-
sibus junxit. Ob quod factum, missa ab Atheniensibus 11
obviam nave, ab exsilio revocatur. Interim in obsi- 12
dione Antipatri, Leosthenes, dux Atheniensium, telo
e muris in transeuntem jacto occiditur. Quæ res tan- 13
tum animorum Antipatro dedit, ut etiam vallum re-
scindere auderet. Auxilium deinde a Leonato per le- 14

XVIII, 8. — *Heracleæ*. Aut potius *Lamiæ* in Thessalia, unde bellum ipsum denominatum *Lamiacum*.

9. *Harpalo*. Conf. de Harpalo Diod. XVIII, 9; XVII, 108, qui eum collectis argenti talentis 5,000, Babylone in Atticam aufugisse narrat A. U. 427. Est igitur Alexandri non crudelitas, sed ira justissima. — *Quod... impelleret*. Impulisset (Demosthenes). Cohærent igitur hæc verba cum præc. *pulsus patria*. De re ipsa conf. Plutarch. in Demosth. 25 seqq. — Non plane intelligo quid sibi velit eruditissimi *Wetzel* explicatio. Nempe innuere videtur, Demosthenem *pulsum fuisse* patria, *ob eam caussam quod impulerat* civitatem in bellum Alexandro inferendum. Sed minime, ni fallor. Ob eam caussam pulsus fuerat Demosthenes, quam refert supra Justinus, scilicet *ob crimen accepti auri ab* Harpalo. Hæc igitur verba *quod impelleret* non cohærent cum præced. *pulsus patria*, sed cum his verbis *accepti auri* : aurum videlicet *acceperat* Demosthenes, *quod impelleret*, id est, *ob quod impelleret*, *quo impelleret* Athenienses ad bellum Alexandro inferendum. Fateor equidem haud sæpius simili modo *quod* pro *ut* accipi. Sed num Justinum elegantius dicentem inducit *Wetzel*, quum explicat *quod impelleret* his verbis *quia impulerat?* Malo igitur cum Freinshemio et Vorstio, pro *quod* conjicere *quo*, *ut* : et ita sensum explico : exsulabat Megaris Demosthenes ob crimen auri ab Harpalo accepti, ut impelleret, etc. EN.

14. *Leonato*. Phrygiæ minori præfecto cap. 4, 16. De re confer Diodor. XVIII, 15, qui idem de §. 15-17, consulendus est cap. 16-18. Craterus enim (cap. 4, 5) novis copiis instructus quum e Cilicia Antipatro venisset auxilio, Græci ab

gatos petit: qui quum venire cum exercitu nuntiatus
esset, obvii ei Athenienses cum instructis copiis fuere,
ibique equestri prælio, gravi vulnere ictus exstingui-
15 tur. Antipater, tametsi auxilia sua videret victa, morte
tamen Leonati lætatus est: quippe et æmulum subla-
16 tum, et vires ejus accessisse sibi gratulabatur. Statim
igitur exercitu ejus recepto, quum par hostibus etiam
prælio videretur, solutus obsidione, in Macedoniam
17 concessit. Græcorum quoque copiæ, finibus Græciæ
hoste pulso, in urbes dilapsæ.

1 VI. Interea Perdiccas, bello Ariarathi, regi Cappa-
docum, illato, prælioque victor, nihil præmii præter
2 vulnera et pericula retulit. Quippe hostes ab acie in
urbem recepti, occisis conjugibus et liberis, domos
3 quisque suas cum omnibus copiis incenderunt. Eodem
congestis etiam servitiis, et semetipsos præcipitant, ut
nihil hostis victor suarum rerum, præter incendii
4 spectacula frueretur. Inde, ut viribus auctoritatem
regiam adquireret, ad nuptias Cleopatræ, sororis
Alexandri Magni, et alterius Alexandri quondam uxo-
ris, non adspernante Olympiade, matre ejus, intendit:
5 sed prius Antipatrum, sub adfinitatis obtentu, capere

his ducibus victi pacem impetrant.

VI. 1. *Interea* etc. Conf. Diod. XVIII, 16. Cappadociæ autem, in provinciæ formam redactæ, præficit victor Eumenem (cap. 4, 16). Quæ autem §. 2-3 narrat, non hic acciderunt, sed in Pisidia Isaurica, Diod. XVIII, 22. — Anno Urbis 431.

2. *Copiis.* Hoc est annona seu commeatu. ED. — De re autem similia desperationis exempla referunt Xenoph. Anab. IV, 7; Polyb. XVI, 16; Liv. XLI, 11; Plut. in Bruto cap. 46; Livius XXI, 14; XXVIII, 22; Flor. II, 15, 28; II, 18, 26; Joseph. de Bello Jud. VI, 38: quæ loca debes Berneccero.

3. *Servitiis.* Id est servis, mancipiis. Plures edd. pro *servitiis, opibus* habent. — *Spectaculo.* Aut *spectaculum* ut habent plerique MSS., non autem *spectaculo*, quamquam ex grammaticæ canonibus melius hoc videtur. ED

4 *Ad nuptias Cleopatræ*, etc. De re conf. Diod. XVIII, 23-25. De *Cleopatra* respice IX, 6, 1. — *Alterius Alexandri.* Qui Alexander erat rex Epirotarum, in Italia occisus, A. U. 428, supra VIII, 6, 4 not.

cupiebat. Itaque fingit, se in matrimonium filiam ejus 6
petere, quo facilius ab eo supplementum tironum ex
Macedonia obtineret. Quem dolum præsentiente An- 7
tipatro, dum duas eodem tempore uxores quærit, neu-
tram obtinuit. Post hæc bellum inter Antigonum et 8
Perdiccam oritur. Antigono Craterus et Antipater 9
auxilium ferebant: qui, facta cum Atheniensibus pace,
Polyperchonta Græciæ et Macedoniæ præponunt. Per- 10
diccas, alienatis rebus, Aridæum, et Alexandri Magni
filium in Cappadocia, quorum cura illi mandata fue-
rat, de summa belli in consilium adhibet. Quibusdam 11
placebat bellum in Macedoniam transferri, ad ipsum
fontem et caput regni, ubi Olympias esset, mater
Alexandri, non mediocre momentum partium, et ci- 12
vium favor, propter Alexandri Philippique nomina:
sed in rem visum est, ab Ægypto incipere, ne in 13
Macedoniam profectis, Asia a Ptolemæo occuparetur.
Eumeni, præter provincias, quas acceperat, Paphla- 14
gonia, et Caria, et Lycia, et Phrygia adjiciuntur. Ibi 15

6. *Filiam*. Scilicet Nicæam, Diod. XVIII, 23.

8. *Post hæc*. Hanc eandem ob caussam, quod Antigonus, Antipatri amicus, Perdiccæ consilia fraudulenta perspiceret, qui regias copias (cap. 4, 5) regumque tutelam (hoc loco §. 10) adeptus, summum ipse imperium adpeteret, persuasum habens, Cleopatræ, Alexandri Magni sororis, gratia et auctoritate, summam potestatem a Macedonibus facile se impetraturum esse.

9. *Antigono... ferebant*. Minus adcurate et hæc narrantur. Nam Craterus jam Antipatro aderat cap. 5, 14 not.; neque tam Antigono Antipater, quam Antipatro Antigonus auxilium ferebat.

10. *Alexandri... filium*. E Roxane posthumum natum, Alexandrum Ægum XII, 15, 9 not., et XIII, 2, 5. — *Quorum fuerat*. Quorum (regum) tutor fuerat constitutus, cap. 2, 13.

13. *Ab Ægypto*. Nam et Ptolemæus, Ægypti præfectus (cap. 4, 10) societati illi accesserat, Perdiccæ, a quo insidiis fuerat adpetitus, infensus, Diod. XVIII, 25.

14. *Quas acceperat*. Cappadociam et Paphlagoniam, cap. 4, 16. Ergo h. l. *Paphlagonia* vel est delenda, vel cum Glareano corrig. *Paphlagoniam*. Quæ sequuntur provinciæ Eumeni adjectæ, adimuntur Cassandro, Antipatri filio, Nearcho, Antigono et occiso jam Antipatri amico, Leonato, in cujus locum Antipater ipse successerat (cap. 5,

Craterum et Antipatrum opperiri jubetur; adjutores
ei dantur cum exercitibus frater Perdiceæ Alcetas, et
16 Neoptolemus : Clito cura classis traditur : Cilicia Phi-
lotæ adempta Philoxeno datur : ipse Perdiccas Ægyp-
17 tum cum ingenti exercitu petit. Sic Macedonia, in
duas partes discurrentibus ducibus, in sua viscera
armatur; ferrumque ab hostili bello in civilem san-
guinem vertit, exemplo furentium, manus ac membra
18 sua ipsa cæsura. Sed Ptolemæus in Ægypto solerti
19 industria magnas opes parabat : quippe et Ægyptios
insigni moderatione in favorem sui solicitaverat : et
reges finitimos beneficiis obsequiisque devinxerat :
20 terminos quoque imperii, adquisita Cyrene urbe, am-
pliaverat; factusque jam tantus erat, ut non tam time-
ret, quam timendus ipse hostibus esset.

1 VII. Cyrene autem condita fuit ab Aristæo, cui
2 nomen Batto propter linguæ obligationem fuit. Hujus
pater Grinus, rex Theræ insulæ, quum ad oraculum
Delphos, propter dedecus adolescentis filii nondum
loquentis, Deum deprecaturus venisset, responsum
accepit, quo jubebatur filius ejus Battus « Africam
petere, et urbem Cyrenen condere, usum linguæ ibi
3 accepturus. » Quum responsum ludibrio simile vide-

14); coll. cap. 4, 15-16. De re ipsa conf. Cornel. XVIII, 3, et Diod. XVIII, 29-32.

16. *Cilicia Philotæ*. Cap. 4, 12. Stant igitur a *Perdiccæ* partibus Eumenes, Alcetas, Neoptolemus, Clitus, Philoxenus; *Antipatri* contra partes amplectuntur Antigonus, Craterus, Ptolemæus.

20. *Adquisita Cyrene*. De bello, quo Cyrenen Ptolemæus adquisivit an. 431, exposuit Diod. XVIII, 19-21 : qui idem cap. 43, anno insеq. 432, Syriam quoque et Phœnicen ab hoc in ditionem suam redactam refert. — Anno Urbis 431.

VII. 1. *Aristæo*. De Aristæo conf. loca ab Heynio ad Virg. Georg. I, 14, excitata, in his Diod. IV, 81-82, ubi simul ætas hujus definiri potest ex eo, quod ex Autonoe, Cadmi filia, Actæonem genuisse dicitur.

2. *Grinus*. Sic et apud Herodot. IV, 150 scribitur, ubi auctor de hoc Batto, cap. 150-159 exponit, et suam de *Batti* nomine sententiam proponit, cap. 155, ubi dicitur fuisse *ἰσχνόφωνος καὶ τραυλός*. Alii

retur, propter solitudinem Theræ insulæ, ex qua co-
loni ad urbem condendam in Africam tam vastæ re-
gionis proficisci jubebantur, res omissa est. Interjecto 4
deinde tempore, velut contumaces, pestilentia Deo
parere compelluntur: quorum tam insignis paucitas
fuit, ut vix unam navem complerent. Quum venissent 5
in Africam, pulsis accolis, montem Cyram, et propter
amœnitatem loci, et propter fontium ubertatem,
occupavere. Ibi Battus, dux eorum, linguæ nodis 6
solutis, loqui primum cœpit: quæ res animos eorum,
ex promissis Dei jam parte percepta, in reliquam spem
condendæ urbis accendit. Positis igitur castris, opi- 7
nionem veteris fabulæ accipiunt, Cyrenen, eximiæ
pulchritudinis virginem, a Thessaliæ monte Pelio ab
Apolline raptam, perlatamque in ejusdem montis juga,
cujus collem occupaverant, a Deo repletam, quatuor
pueros peperisse, Nomium, Aristæum, Authocum,
Argæum: missos a patre Hypseo, rege Thessaliæ, qui 8
perquirerent virginem, loci amœnitate captos in iis-
dem terris cum virgine resedisse: ex his pueris tres 9
adultos in Thessaliam reversos, avita regna recepisse:
Aristæum in Arcadia late regnasse, eumque primum, 10
et apium et mellis usum, et lactis ad coagula, homi-
nibus tradidisse, solstitialesque ortus sideris primum

antem habent *Cirnus*, *Cyrnus*, *Cyrenus*, *Circinus*.

6. *Quæ res* etc. Quæ res, quum Dei promissorum pars jam esset percepta, accendit eorum animos, ut et alteram oraculi promissionis partem, nimirum urbis condendæ exspectarent, et ex sua parte explere studerent.

7. *Quatuor pueros peperisse.* Diod. IV, 81, tradit Nymphas Aristæi nutrices tria huic nomina imposuisse Nomii, Aristæi et Agrei.

8. *Hypseo.* Sic Ald., Junt. et Bech. cum Diod. IV, 81, ubi est *Hypseus*, quod in Nostri edd. correctum est in *Speo*, *Spheo*, *Hispero*.

10. *Lactis ad coagula.* I. e. rationem lactis coagulandi, caseosque ex coagulo premendi. Neque spernenda lectio Ald. et Junt. *lactis coagulandi*, quod est Diodoro τοῦ γάλακτος πῆξις, qui præterea hunc a Nymphis edoctum invenisse tradit *olivarum cultum*, sive olei usum, coll. Schol. ad Theocrit. V, 53, qui idem

11 invenisse. Quibus auditis, Battus, virginis nomine ex
responsis agnito, urbem Cyrenen condidit.
1 VIII. Igitur Ptolemæus hujus urbis auctus viribus,
2 bellum in adventum Perdiccæ parabat. Sed Perdiccæ
plus odium arrogantiæ, quam vires hostium noce-
bant: quam exosi etiam socii ad Antipatrum gregatim
3 profugiebant. Neoptolemus quoque in auxilium Eu-
meni relictus, non solum transfugere, verum etiam
4 prodere partium exercitum voluit. Quam rem quum
præsensisset Eumenes, cum proditore decernere præ-
5 lio necesse habuit. Victus Neoptolemus ad Antipatrum
et Polyperchonta profugit, hisque persuadet, ut con-
tinuatis mansionibus, læto ex victoria et securo fuga
6 Eumeni superveniant. Sed res Eumenem non latuit.
Itaque insidiæ in insidiatores versæ: et qui securum
adgressuros se putabant, securis in itinere, et pervi-
7 gilio noctis fatigatis occursum est. In eo prælio Poly-
perchon occiditur. Neoptolemus quoque cum Eumene
congressus, diu, mutuis vulneribus acceptis, colluctatus
8 est; in summa victus, occumbit. Victor igitur duobus

ex Aristotele refert. Adde Pausan. X, 17, 3; Plin. XIV, 4; Nostrum infra XLIV, 4, 2. — *Sideris*. Sirii, cujus ortus *invenit*, id est, primus observavit.

11. *Virginis nomine... agnito*. Faber delet vocem *agnito*, ita locum explicans: Battus ex oraculi responsis condidit urbem Cyrenen, ex virginis nomine. Adprobat Schefferus. ED.

VIII. 2. *Odium arrogantiæ*. Odium arrogantia contractum, quippe qui summum imperium solus sibi arrogaret. Vid. not. ad cap. 6, 8. — *Gregatim*. Faber mavult *certatim* coll. XI, 6, 14, et XXII, 8, 3.

3. *Neoptolemus* etc. Conf. Cornel. XVIII, 4; Diod. XVIII, 29; coll. supra cap. 6, 15. — A. U. 432.

5. *Mansionibus*. Sive habitationibus ad quas viatores interventu hostis se recipiunt. Σταθμοὺς τῆς ὁδοιπορίας appellat Herodianus in fine libri II. ED.

6. *Securis... occursum est*. Legit Faber: *Securis eis, et itinere et pervigilio noctis fatigatis occursum est*. Etenim quid tale ratio orationis postulat. ED.

7. *Occiditur*. Falso. Polyperchon enim in Macedonia anno hoc 432 ab Antipatro relictus Thessaliam recipit occupatam ab Ætolis, qui, a Perdicca excitati, illuc incursionem fecerant, Diod. XVIII, 38. Ille anno demum 436 a Cassandro pulsus est. — *Occumbit*. Conf. Corn.

præliis continuis Eumenes adflictas partes transitione sociorum paullulum sustentavit. Ad postremum tamen Perdicca occiso, ab exercitu hostis cum Pythone, et Illyrio, et Alceta, fratre Perdiccæ, appellatur: bellumque adversus eos Antigono decernitur. 9

XVIII, 4, et Diod. XVIII, 30, qui et Craterum (cap. 6, 15) in hoc prælio cecidisse tradunt.

9. *Occiso*. Ab equitatu suo, quum Nilum transire voluisset (Diodor. XVIII, 33-37), ubi præterea refert, milites ad Ptolemæum descivisse, Perdiccæ crudelitatem omnibusque imperandi cupidinem exosos, Ptolemæi contra liberalitate et æquitate allectos : cujus ejusdem consilium sequuti Pythoni (cap. 4, 21), uni ex Perdiccæ ducibus, et Aridæo (cap. 4, 6) regum tutelam deferunt. — *Bellum... decernitur*. Antigonus imperator Asiæ constituitur, Diod. XVIII, 39 et 40. — Anno Urbis 432.

LIBER XIV.

1 I. Eumenes, ut Perdiccam occisum, se hostem a Macedonibus judicatum, bellumque Antigono decretum
2 cognovit, ultro ea militibus suis indicavit, ne fama aut rem in majus extolleret, aut militum animos re-
3 rum novitate terreret; simul, ut, quomodo circa se animati essent, cognosceret, sumturus consilium ex
4 motu universorum. Constanter tamen præfatus est: « Si cui hæc terrori essent, habere eum discedendi
5 potestatem. » Qua voce adeo cunctos in studium partium suarum induxit, ut ultro illum omnes hortarentur, « rescissurosque se ferro decreta Macedonum
6 adfirmarent. » Tunc exercitu in Ætoliam promoto, pecunias civitatibus imperat; recusantes dare hosti-
7 liter diripit. Inde Sardes profectus est ad Cleopatram,

I. 1. *Eumenes, ut Perdiccam occisum*, etc. Respice XIII, 8, 9

2. *Ultro... indicavit* Conf. Cornel. in Vita Eumenis, cap. 5, 1; coll. cap. 3, 4-5, ubi contrarium refertur. Conf. similia exempla et dissimilia apud Tacit. Hist. I, 18; III, 54; Thucyd. VII, 48; Sueton. in Cæs. 66 Senec. in OEd. v. 515; in Agam 413-414; Martial. Epigr. III, 42 : quæ loca debes Berneccero — *Fama rem in majus extolleret.* Tacit. Ann. III, 44, 1 : *Cuncta, ut mos famæ, in majus credita*; Hist. IV, 50, 1 : *Vera et falsa more famæ in majus innotuere.*

5. *Illum*. Duo MSS. *bellum*, quod probat post Gronovium avum Grævius. Recte enim dicitur aliquis hortari bellum, ut Ovidius : *cupio non persuadere, quod hortor.* Adfirmabant milites Eumeni imperatori suo, se paratos esse ad rescindenda ferro (repellenda bello et irrita facienda) decreta Macedonum (Antipatri, et hujus sociorum, Antigoni et Ptolemæi, XIII, 6, 16 not.)

6. *Ætoliam*. Unus cod. *Ætuliam*, quæ est aliis *Ætulane*, Armeniæ minoris portio in Cappadocia, ubi tunc versabatur Eumenes. Hinc hanc lectionem præferunt vulgatæ Is. Vossius, Faber et Vorstius; contra Glareanus conjicit *Æoliam*.

7. *Sardes*. Lydiæ urbem principem. Plures volunt *Sardis*, male. ED.

sororem Alexandri Magni, ut ejus voce centuriones
principesque confirmaret, existimaturos, ibi majesta-
tem regiam verti, unde soror Alexandri staret. Tanta 8
veneratio magnitudinis Alexandri erat, ut etiam per
vestigia mulierum favor sacrati ejus nominis quære-
retur. Quum reversus in castra esset, epistolæ totis 9
castris abjectæ inveniuntur: quibus iis, qui Eumenis
caput ad Antigonum detulissent, magna præmia de-
finiebantur. His cognitis, Eumenes, vocatis ad con- 10
cionem militibus, primo gratias agit, « quod nemo
inventus esset, qui spem cruenti præmii fidei sacra-
mento anteponeret: » deinde callide subnectit, « con- 11
fictas has a se epistolas ad experiendos suorum ani-
mos esse. Cæterum salutem suam in omnium potestate 12
esse; nec Antigonum, nec quenquam ducum sic velle
vincere, ut ipse in se exemplum pessimum statuat. »
Hoc facto, et in præsenti labantium animos retinuit, 13
et in futurum providit, ut, si quid simile accidisset,
non se ab hoste corrumpi, sed ab duce tentari arbi-

— *Cleopatram.* XIII, 6, 4. — *Centuriones.* Qui Græcis sunt ἑκατόνταρχαι. — *Principes.* Duces. — *Confirmaret.* Ita recte Ald., Junt. et unus eod., ut Faber quoque conjecit. Vulg. enim *confirmarentur* non cohæret cum seq. accus. *existimaturos*, quippe qui existimaturi sint, sive, quos putaret existimaturos esse. Respice de hoc participii futuri usu ad XII, 2, 2. — *Verti.* Esse ibi, unde, ab ea parte, a qua staret, quacum sentiret, ut Liv. XXI, 10, *unde jus stat;* XXIV, 45: *aliunde stat semper, aliunde sentit infidus socius;* XXV, 15: *non satis fido animo unde pugnabat, stabat;* Noster supra V, 4, 12: *Alcibiades unde steterat, eo se victoria transferebat.*

8. *Tanta... quæreretur.* Tanta veneratione milites et nunc Alexandrum olim suum prosequebantur, ut Eumenes etiam per hujus sororem præsentem militum favorem conciliare sibi studeret, persuadens his, divum hunc heroa ibi esse, ubi ipsius sit soror. Conf. cap. 2, 10.

10. *Fidei sacramento. Dem Eid der Treue*, fidei per sacramentum militare datæ. Contra si cum Gronovio et Grævio amplecteris lect. codd. Bong. et Modii *sacramenti; fides sacramenti* dicitur, ut religio sacramenti, jurisjurandi, cap. 4, 8.

13. *Retinuit.* In fide, ut Sueton. in Cæs. 4 et 17; Cic. ad div. I, 7, 7 et 16. Sic Ald. et Junt. Vulg. *deterruit* explicat Græv. dehortatus est, dissuasit, rationibus compulit, ne illud committerent.

14 trarentur. Omnes igitur operam suam certatim ad
custodiam salutis ejus offerunt.

1 II. Interim Antigonus cum exercitu supervenit,
2 castrisque positis, postera die in aciem procedit. Nec
Eumenes moram prælio fecit; qui victus in munitum
3 quoddam castellum confugit: ubi quum videret se
fortunam obsidionis subiturum, majorem exercitus
partem dimisit, ne aut consensu multitudinis hosti
traderetur, aut obsidio ipsa multitudine gravaretur.
4 Legatos deinde ad Antipatrum, qui solus par Antigoni
viribus videbatur, supplices mittit: a quo quum auxilia
Eumeni missa Antigonus didicisset, ab obsidione re-
5 cessit. Erat quidem solutus ad tempus metu mortis
Eumenes: sed nec salutis, dimisso exercitu, magna
6 spes erat. Omnia igitur circumspicienti optimum vi-
sum est, ad Alexandri Magni Argyraspidas, invictum
exercitum, et tot victoriarum præfulgentem gloria,
7 decurrere. Sed Argyraspides post Alexandrum omnes
duces fastidiebant, sordidam militiam sub aliis, post
8 tanti regis memoriam, existimantes. Itaque Eumenes
blandimentis agere; suppliciter singulos adloqui, nunc
« commilitones suos, » nunc « patronos » appellans,
nunc « periculorum et operum Orientalium socios: »
nunc « refugia salutis suæ, et unica præsidia » com-
9 memorans: « Solos esse, quorum virtute Oriens sit
domitus; solos, qui militiam Liberi patris, qui Her-

II 1. *Interim*. Vulg *quum* huic præmissum omisi cum edd. antiq., quum nullam habeat constructionem, nisi ita velis distinguere: *omnes offerunt: quum... venit*.

2. *Castellum*. Noram inter Lycaoniam et Cappadociam, Corn. XVIII, 5, 3; Plut. in Eum. 18.

4. *Legatos deinde ad Antipatrum... mittit*. Vid. quæ notavi ad Cornel. XVIII, 5, 7. — Anno Urbis 433.

6. *Argyraspidas*. Respice XIV, 2, 6; coll. Cornel. XVIII, 8, 2.

8. *Commilitones suos*. Alexander ipse non est veritus, militum suorum se *alumnum commilitonemque* dicere, Curt. IX, 2, 44. Ejusmodi blanditias tribuit Suetonius Cæsari 67, 3; et Galbæ 20, 1. ED.

9. *Liberi... Herculis*. Respice XII,

culis monumenta superarint : per hos Alexandrum 10
magnum factum; per hos divinos honores, et immor-
talem gloriam consequutum : » orat, « ut non tam du- 11
cem se, quam commilitonem, recipiant, unumque ex
corpore suo esse velint. » Receptus hac lege paullatim 12
imperium primum monendo singulos, mox, quæ per-
peram facta erant, blande corrigendo usurpat : nihil
in castris sine illo agi, nihil administrari sine solertia
illius poterat.

III. Ad postremum, quum Antigonum venire cum 1
exercitu nuntiatum esset, compellit eos in aciem des-
cendere. Ibi dum ducis imperia contemnunt, hostium 2
virtute superantur. In eo prælio non gloriam tantum 3
tot bellorum cum conjugibus et liberis, sed et præmia
longa militia parta perdiderunt. Sed Eumenes, qui 4
auctor cladis erat, nec aliam spem salutis reliquam
habebat, victos hortabatur. Nam « et virtute eos supe- 5
riores fuisse » adfirmabat : « Quippe ab his quinque
millia hostium cæsa : et si in bello perstent, ultro
hostes pacem petituros. Damna, quibus se victos pu- 6
tent, duo millia mulierum, et paucos infantes, et ser-
vitia esse, quæ melius vincendo possint reparare,
quam deserendo victoriam. » Porro Argyraspides « ne- 7
que fugam se tentaturos dicunt, post damna patri-
moniorum, et post conjuges amissas, neque bellum
gesturos contra liberos suos; » ultroque eum conviciis 8

7, 6; XII, 9, 2; coll. I, 7, 12-13.
III. 2. — Anno Urbis 438.

3. *In eo prælio... perdiderunt.* Conf. de cap. 3-4 Diod. XIX, 37-44; coll. Corn. XVIII, 10.

4. *Auctor cladis.* Quatenus milites in aciem descendere compulerat. — *Hortabatur.* Bono animo eos esse jubebat. Conf. XI, 3, 1; XI, 1, 8; XI, 9, 13.

7. *Patrimoniorum.* Ita pro *matrimonium*, id est, conjugum §. 3, mulierum §. 6; quod quum sequatur *conjuges amissas*, ineptam facit tautologiam. Correxi igitur cum Grævio ex Ald. et Junt. *patrimoniorum*, coll. IX, 2, 7, quæ sunt §. 3, *præmia militia parta*; §. 3, *præmia tot bellorum*; §. 10, *felicis militiæ quæstus*. Conf. Vell. II, 120, 3.

agitant, « quod se post tot annos emeritorum stipen-
diorum, redeuntes domum cum præmiis tot bellorum,
ab ipsa missione rursus in novam militiam immensa-
9 que bella revocaverit, et a laribus jam quodam modo
suis, et ab ipso limine patriæ abductos, inanibus pro-
10 missis deceperit: nunc quoque amissis omnibus felicis
militiæ quæstibus, ne victos quidem in misera et inopi
11 senecta quiescere sinat. » Ignaris deinde ducibus,
confestim ad Antigonum legatos mittunt, petentes,
« ut sua reddi jubeat. Is redditurum se pollicetur, si
12 Eumenem sibi tradant. » Quibus cognitis, Eumenes
cum paucis fugere tentavit: sed retractus, desperatis
rebus, quum concursus multitudinis factus esset, pe-
tit, ut postremum sibi adloqui exercitum liceret.

1 IV. Jussus ab universis dicere, facto silentio, laxa-
tisque vinculis, prolatam, sicut erat catenatus, ma-
2 num ostendit: « Cernitis, milites, inquit, habitum
« atque ornamenta ducis vestri, quæ mihi non hos-
« tium quisquam imposuit: nam hoc etiam mihi so-
3 « latio foret. Vos me ex victore victum, vos me ex
« imperatore captivum fecistis. Quater intra hunc an-
4 « num in mea verba jurejurando obstricti estis. Sed
« ista omitto (neque enim miseros convicia decent):
5 « unum oro, si propositorum Antigoni in meo capite
6 « summa consistit, inter vos me velitis mori. Nam
« neque illius interest, quemadmodum aut ubi ca-
7 « dam; et ego fuero ignominia mortis liberatus. Hoc
« si impetro, solvo vos jurejurando, quo toties vos

8. *Tot annos emeritorum stipendiorum*. Tot annis post emerita stipendia: ut XXXVIII, 8, 1, *post annos viginti sumti regni*, id est, annis 20 post sumtum regnum.

IV. 3. *In mea verba jurejurando*. Jurejurando, cujus verba ego vobis præivi. Cæterum ex oratione Eumeni a Plutarcho cap. 32 tributa, diversos conspicis non imperatores, sed scriptores, qui ex suo quemque imperatorem ingenio fingunt.

7. *Quo*. Gron. avus bene corrigit *qui*. Nam inepta tautologia: *quo*

« sacramento mihi devovistis. Aut si ipsos pudet ro- 8
« ganti vim adhibere, ferrum huc date, et permittite,
« quod vos facturos pro imperatore jurastis, impera-
« torem pro vobis sine religione jurisjurandi facere. »
Quum non obtineret, preces in iram vertit. « At vos, 9
« ait, devota capita, respiciant Dii perjuriorum vin- 10
« dices, talesque vobis exitus dent, quales vos duci-
« bus vestris dedistis! Nempe vos iidem paullo ante et 11
« Perdiccæ sanguine estis adspersi, et in Antipatrum
« eadem moliti. Ipsum denique Alexandrum, si fas 12
« fuisset eum mortali manu cadere, interemturi, quod
« maximum erat, seditionibus agitastis. Ultima nunc 13
« ego perfidorum victima, has vobis diras atque infe-
« rias dico; ut inopes extorresque omne ævum in hoc 14
« castrensi exsilio agatis, devorentque vos arma ves-
« tra, quibus plures vestros, quam hostium duces,
« absumsistis. » Plenus deinde iræ, custodes suos præ- 15
cedere ab Antigoni castra cœpit. Sequitur exercitus, 16
prodito imperatore suo et ipse captivus, triumphum-
que de se ipso ad victoris sui castra ducit; omnia aus- 17
picia regis Alexandri, et tot bellorum palmas laureas-
que una secum victori tradens : et ne quid deesset 18

(*jurejurando*) devovistis vos *sacramento*, quum hoc idem sit cum illo.

8. *Roganti vim adhibere.* Me occidere : permittite (id) *imperatorem* (vestrum) *facere*, scil. mori me.

10. *At.* Qua particula iratos inchoare orationem, idque inprimis poetas amare, adnotat h. l. Gron. avus; coll. Virg. Æn. II, 535; Ovid. Her. XII, 13; Amor. III, 6, 105; Met. VIII, 279; Horat. Carm. V, 5, 1.

11. *Nempe vos iidem... estis adspersi.* Respice XIII, 8, 9.

12. *Maximum.* Aptius *proximum* corrigit Freinsh. ad Flor. II, 6, 8. Cæterum verba : *interemturi agitastis* resolve : interemturi eratis : ad quod facinus seditionibus vos præparastis, quum militum seditiones imperatorum cædem præcedere soleant. De re conf. XII, 11, 6.

15. *Plenus... iræ. Modius* ex MSS. legit *plenus ira.* Placet vulgatum. Liv. VI, 18, 3, *animorum irarumque plenior*; et III, 25, 5, *plenus prædæ.* ED.

17. *Auspicia regis.* Commoda præliis felicibus, duce rege, parta. — *Tradens.* Plures codd. *tradentes.* ED.

pompæ, elephanti quoque et auxilia Orientalia sub-
19 sequuntur. Tanto pulchrior hæc Antigono, quam Alexandro tot victoriæ fuerunt; ut, quum ille Orientem vicerit, hic etiam eos, a quibus Oriens victus
20 fuerat, superaverit. Igitur Antigonus domitores illos orbis exercitui suo dividit, redditis, quæ in victoria
21 ceperat. Eumenem vero, verecundia prioris amicitiæ, in conspectum suum venire prohibitum, adsignari custodibus præcepit.

1 V. Interea Eurydice, uxor Aridæi regis, ut Polyperchonta a Græcia redire in Macedoniam cognovit,
2 et ab eo arcessitam Olympiadem; muliebri æmulatione perculsa, abutens valetudine viri, cujus officia sibi
3 vindicabat, scribit regis nomine Polyperchonti, « Cassandro exercitum tradat, in quem regni administrationem rex transtulerit; eadem et in Asiam Antigono

19. *Orientem vicerit.* Supra cap. 2, 9; infra XVIII, 1, 2.

21. *Eumenem vero,* etc. Confer Cornel. XVIII, 11-12; Diod. XIX, 44, qui uterque eum necatum tradit. — *Adsignari* Scheffer. mavult *adservari;* coll. Cic. ad Att. 10, 20, ubi est *custodiis adservari.*

V. 1. *Regis.* XIII, 3, 1; XIII, 4, 2. — *Polyperchonta.* Quem Antipater A. U. 433, ætatis 79 mortuus, successorem reliquerat, præterito Cassandro filio, utpote Olympiadi infestissimo. — *Arcessitam.* Ex Epiro, Corn. XVIII, 6, 1; Diod. XVIII, 57.

2. *Valetudine.* Morbi comitiali XIII, 2, 11.

3. *Polyperchonti.* Quem auctor obliviosus A. U. 432 occisum, h. l. an. 436 ex inferis resuscitat! Res autem a Nostro confusa ita se habet: Python, narrante Diodoro XVIII, 39, ad olymp. 114, 3, A. U. 432, regum tutelam deponit (vid. not. ad XIII, 8, 9), Eurydicen in omnibus sibi adversantem videns. Quo facto Macedones Antipatrum curatorem regum eligunt cum summa potestate. Qui, regibus ex Syria in Macedoniam secum reductis, Eurydicæ metu injecto, pro summa illa, quam acceperat, potestate provincias denuo distribuit. Antipater autem olymp. 115, 2, A. U. 435 morti proximus, Polyperchontem constituit summum imperatorem, regiæque stirpis tutorem; Cassandrum autem filium, ingenio vehementiorem, chiliarchum, sive in imperio secundum, Diod. XVIII, 48. Quo loco hic non contentus, contra illum societatem init cum Ptolemæo aliisque ducibus. Polyperchon contra Olympiadem ex Epiro, quo ob inimicitias cum Antipatro confugerat, in Macedoniam revocat cap. 49, Græciæque civi-

per epistolas nuntiat. Quo beneficio devinctus Cas- 4
sander, nihil non ex arbitrio muliebris audaciæ gerit.
Deinde profectus in Græciam, multis civitatibus bel- 5
lum infert : quarum excidio, veluti vicino incendio, 6
territi Spartani, urbem quam semper armis, non mu-
ris, defenderant, tum contra responsa fatorum et ve-
terem majorum gloriam, armis diffisi, murorum præ-
sidia includunt. Tantum eos degeneravisse a majori- 7
bus, ut, quum multis sæculis murus urbi civium virtus
fuerit, tunc cives salvos se fore non existimaverint,
nisi intra muros laterent. Dum hæc aguntur, Cassan- 8
drum a Græcia turbatus Macedoniæ status domum
revocavit. Namque Olympias, [mater Alexandri Magni 9
regis] quum Epiro in Macedoniam, prosequente Æa-
cida, rege Molossorum, veniret, prohiberique finibus
ab Eurydice et Aridæo rege cœpisset; seu memoria 10

tates, et Eumenem ab Antigono tentatum (cap. 50 et 53) sibi conciliare studet cap. 54-57. Eumenes regibus fidus, ex Asia an. 436 in Macedoniam transvectus, regum caussam magna vi sustentat cap. 58-61, indeque in Phænicen profectus, plures naves cogit cap. 62-63; ab Antigono autem pulsus, in Persiam se recipit cap. 72-73. Polyperchon non solum ipse rem infeliciter gerit in Peloponneso, sed Clitus quoque ab hoc in Hellespontum missus, ab Antigono fugatus, omnibus fere navibus amissis, perit, cap. 68-73. Hoc modo ut Polyperchontis res sunt attritæ, ita Cassandri opes creverunt, cap. 74-75. Cassandro tamen absente (cap. 6, 2), Polyperchon ab Æacida, Epiri rege, adjutus, Olympiadem ex hoc regno, quo ob Cassandri odium secesserat, iterum revocat in Macedoniam anno 437, ubi hæc mulier fœdissime sævit, non solum in hano Eurydicen ejusque maritum (§. 10, hoc loco), sed in Nicanorem etiam, Cassandri fratrem, hujusque adseclas, Diod. XIX, 11.

6. *Quarum... includunt.* Respice VI, 7, 3, et de comparatione IX, 3, 5. Ita vett. Romani existimaverant, Romanum esse, *non munitionibus, sed armis, suaque virtute securitatem sibi et opes parare, neque viros muris, sed muris viros defendere;* teste Strabone Lib. V. ED.

7. *Tantum eos* etc. Supple : *Est sane quod mireris.* Conf. VIII, 2, 12.

9. [*Mater Alexandri Magni regis*]. Totum isthuc Fabro delendum videtur. — *Epiro.* Ita ex MSS. quamquam MSS. omnes habeant *ab Epiro.* Familiare autem Nostro, ut ait Bernecerus, nomina regionum, ut propria urbium construere : ut III, 3, 12; VI, 1, 7; XXIII, 2, 6; XXIV, 3, 9; XXXIII, 2, 6; XXXIV, 2, 4. ED. — *Æacida.* Res-

mariti, seu magnitudine filii, et indignitate rei moti Macedones, ad Olympiadem transiere : cujus jussu et Eurydice, et rex occiditur, sex annis post Alexandrum potitus regno.

1 VI. Sed nec Olympias diu regnavit. Nam quum
principum passim cædes, muliebri magis, quam regio
2 more fecisset, favorem sui in odium vertit. Itaque
audito Cassandri adventu, diffisa Macedonibus, cum
nuru Roxane et nepote [Hercule], in Pydnam urbem
3 concedit. Proficiscenti Deidamia, Æacidæ regis filia,
et Thessalonice privigna, et ipsa clara Philippi patris
nomine, multæque aliæ principum matronæ, specio-
4 sus magis quam utilis grex, comites fuere. Hæc quum
nuntiata Cassandro essent, statim, citato cursu, Pyd-
5 nam venit, et urbem obsidione cingit. Quum fame
ferroque urgeretur Olympias, longæ obsidionis tædio,
6 pacta salute, victori se tradidit. Sed Cassander, ad con-
cionem vocato populo, sciscitaturus, « quid de Olym-
piade fieri velint, » subornat parentes interfectorum,
qui, sumta lugubri veste, crudelitatem mulieris accu-
7 sarent. A quibus accensi Macedones, sine respectu
8 pristinæ majestatis, occidendam decernunt : imme-
mores prorsus, quod per filium ejus virumque, non
solum vitam ipsi inter finitimos tutam habuissent;
verum etiam tantas opes imperiumque orbis quæsis-
9 sent. Sed Olympias ubi obstinatos venire ad se armatos

pice not. ad VIII, 6, 4, et infra XVII, 3, 16.

10. *Sex.* Aut potius septem, quum Diod. XIX, 11, ponat olymp. 115, 4; A. U. 437.

VI. 1. *Principum.* Ut Nicanoris, qui Cassandri frater erat. vid not. extr. ad cap. 5, 3. — A. U. 438.

2. *Cassandri.* Qui Tegeam Peloponnesi urbem obsidebat, Diodor. XIX, 35. — *Roxane.* XII, 15, 9; XIII, 2, 5, ubi jam adnotavi, hujus filium fuisse Alexandrum Ægum, non Herculem, quem Alexander suscepit ex Barsine XI, 10, 3; XIII, 2, 7; XV, 2, 3; Diod XIX, 52.

3. *Philippi.* Aridæi §. 13.

7. *A quibus accensi* etc. Conf. Diod. XIX, 49-51.

9. *Armatos.* Ducentos Diodoro.

vidit, veste regali, duabus ancillis innixa, ultro obviam procedit. Qua visa, percussores attoniti fortuna 10
majestatis prioris, et tot in ea memoriæ occurrentibus regum suorum nominibus, substiterunt; donec a Cas- 11
sandro missi sunt, qui eam confoderent, non refugientem gladium nec vulnera, aut muliebriter vociferantem, sed virorum more fortium, pro gloria veteris prosapiæ, morti succumbentem; ut Alexandrum posses etiam in moriente matre cognoscere. Insuper ex- 12
spirans, capillis et veste crura contexisse fertur, ne

10. *Percussores attoniti.* Landat Berneccer. similia loca XXXII, 1, 7; Plut. in Artax. 47; Curt. X, 8, 6; Suetonius August. 79, 2; Vell. II, 19, 3. His adde Valer. Max. II, 10, 6, de Mario; Silium Italicum, Bello Punico secundo XI, quum Perolla filium ab occidendo hospite Annibale dehortatur:

> .... Simul admoveris ora,
> Cannas et Trebiam ante oculos Thrasymenaque busta
> Et Paulli stare ingentem miraberis umbram. ED.

Confer etiam *Voltaire*, *Henriade*, *chant II*, *Mart de Coligny*:

> *Et de ses assassins ce grand homme entouré,*
> *Semblait un roi puissant de son peuple adoré.*

11. *Nan refugientem gladium.* « *Personne ne se présentait pour la défendre : elle vint au-devant de ses assassins, et mourut avec un courage digne d'Achille san aieul, et d'Alexandre son fils.* » Sainte-Croix, *Examen critique des historiens d'Alexandre.* Olympiadem autem Pausanias in Bœoticis pag 553, 30, lapidibus obrutam tradit. Pari animi robore se gessit regina famosa non minus, Cleopatra videlicet, quæ, ut ait Horat. Carm. I, Od. 37:

> .... Generosius
> Perire quærens, nec muliebriter
> Expavit ensem, nec latentes
> Classe cita reparavit oras. ED.

Confer etiam Tacit. Annal. XV, 57, de Epichari femina : *At illam non verbera, non ignes, non vis eo acrius torquentium, ne a femina spernerentur, pervicere, quin abjecta denegaret.* Videndus quoque Noster *Racine*, *Iphigénie*, ubi Eriphyle puella, quum illi pro ostia mactandæ jam manum infert Calchas : Act. V, ad fin.

> *Arrête, a-t-elle dit, et ne m'approche pas :*
> *Le sang de ces héros dont tu me fais descendre,*
> *Sans tes profanes mains saura bien se répandre.*

— *Alexandrum.* Fortissimo animo mortem exspectantem XII, 15, 4. — Anno Urbis conditæ 438.

12. *Capillis... contexisse.* Ut Polyxena Euripidis Hecub. 568-570 :

> .... Ἡ δὲ θνήσκουσ' ὅμως
> Πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχημόνως
> πεσεῖν.

Ovidius Fast. II, 833, de Lucretia :

> ... jam moriens, ne non procumbat honeste
> Respicit : hæc etiam cura cadentis erat.

Quæ quidem imitatus est noster *La Fantaine*, in fabula dicta, *les Filles de Minée*, de Thisbe puella :

> *Elle tombe, et tombant range ses vêtemens,*
> *Dernier trait de pudeur à ses derniers moments.* ED.

Vide etiam Sueton. in vita Cæsaris cap. 82, 3 : *Toga caput obvolvit, si-*

13 quid posset in corpore ejus indecorum videri. Post hæc Cassander Thessalonicen, regis Aridæi filiam, uxorem ducit: filium Alexandri cum matre, in arcem Amphipolitanam custodiendos mittit.

mul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis parte velata. De *capillis* antem, qnomodo *capillis* Olympias crura contexit? Hinc alii codd. inserunt *compsisse*, alii *composuisse* ante *insuper*, et legunt *capillos;* Schefferus conjicit *cooperuisse capillis os;* Græv. *papillas veste et crura contexisse fertur.* Atqne hunc quidem, ut ait Diodor. XIX, 51, vitæ finem sortita est Olympias, *mulier* omninm ætatis suæ mnlierum longe generosissima; *filia* Neoptolemi, Epirotarum regis; *soror* Alexandri expèditione Italica nobilissimi; *uxor* Philippi longe omnium ante se Enropæ regum potentissimi; *mater* Alexandri, rebus, quas gessit, plurimis iisque pulcherrimis longe illustrissimi.

13. *Aridæi.* Aut potius Philippi, ergo Alexandri sororem, Diodor. XIX, 52 et 35. — *Filium Alexandri cum matre.* Alexandrum cum matre Roxane, Diod. XIX, 52; coll. hoc loco not. ad §. 2. — *In arcem Amphipolitanam.* Ubi anno demum Urbis conditæ 443 hujus ejusdem Cassandri jnssn est interfectus. Confer not. ad XV, 2, 3.

LIBER XV.

I. Perdicca, et fratre ejus Eumene, ac Polyper- 1
chonte, cæterisque ducibus diversæ partis occisis,
finitum certamen inter successores Alexandri Magni
videbatur; quum repente inter ipsos victores nata
discordia est : quippe postulantibus Ptolemæo, et 2
Cassandro, et Lysimacho, « ut pecunia in præda
capta, provinciæque dividerentur; » Antigonus nega-
vit, « se in ejus belli præmia socios admissurum, in
cujus periculum solus descenderit. » Et ut honestum 3
adversus socios bellum suscipere videretur, divulgat,
« se Olympiadis mortem, a Cassandro interfectæ, ul-
cisci velle, et Alexandri, regis sui, filium cum matre
obsidione Amphipolitana liberare. » His cognitis, Pto- 4
lemæus et Cassander, inita cum Lysimacho et Seleuco
societate, bellum terra marique enixe instruunt. Te- 5
nebat Ptolemæus Ægyptum cum Africæ parte majore,
et Cypro, et Phœnice. Cassandro parebat Macedonia

I. 1. *Perdicca.* XIII, 8, 9. — *Fratre ejus.* Alceta XIII, 6, 15; XIII, 8, 9, quod nomen addunt edd. antiquæ. — *Eumene.* XIV, 4, 21. — *Polyperchonte.* Qui adhuc in vivis erat. Vid. not. ad cap. 2, 3. — *Cæteris.* In his Pythone, Diod XIX, 46-48; coll. Nostro XIII, 8, 9 : ita ut solus jam in Asia regnaret Antigonus. — Anno Urbis 439.

2. *Ptolemæo... Lysimacho.* Ægypti, Macedoniæ et Græciæ, Thraciæ præfectis XIII, 4, §. 10, 15; coll. 5 et 16, Antigoni sociis contra Perdiccam XIII, 6, 8 et 16, ibique not. Cæterum de §. 1-6, conferendus Diod. XIX, 55-62.

3. *Et ut honestum* etc Resp. XIV, 6, 11 et 13.

4. *Seleuco.* XIII, 4, 17, tum Babyloniæ præfecto, Diod. XIX, 55.

5. *Ptolemæus.* Respice XIII, 4, 10; XIII, 6, 18. — *Cassander.* Respice XIII, 4, 15, coll. 5.

6 cum Græcia. Asiam et partes Orientis occupaverat
Antigonus, cujus filius Demetrius, prima belli con-
7 gressione, a Ptolemæo apud Gamalam vincitur. In
quo prælio major Ptolemæi moderationis gloria, quam
8 ipsius victoriæ, fuit: siquidem et amicos Demetrii non
solum cum suis rebus, verum etiam additis insuper
muneribus, dimisit; et ipsius Demetrii privatum omne
instrumentum ac familiam reddidit, adjecto honore
9 verborum : « Non se propter prædam, sed propter
dignitatem inisse bellum, indignatum, quod Antigo-
nus, devictis diversæ factionis ducibus, solus commu-
nis victoriæ præmia corripuisset. »

1 II. Dum hæc aguntur, Cassander ab Apollonia re-
diens, incidit in Abderitas, qui propter ranarum mu-
riumque multitudinem relicto patriæ solo, sedes quæ-
2 rebant : veritus, ne Macedoniam occuparent, facta
pactione in societatem eos recepit; agrosque iis ulti-
3 mos Macedoniæ adsignat. Deinde, ne Hercules, Alexan-
dri filius, qui fere annos quatuordecim excesserat,
favore paterni nominis in regnum Macedoniæ voca-
retur, occidi eum tacite cum matre Barsine jubet,
corporaque eorum terra obrui, ne cædes sepultura
4 proderetur : et quasi parum facinoris in ipso primum

6. *Gamalam*. Proximam Gazæ, quod nomen habet Diod. XIX, 84. — *Occupaverat*. Anno 442, Diodor. XIX, 80-85.

7. — Anno Urbis conditæ 442.

8 *Adjecto verborum honore dimisit*. A. Gron. legit, *verum etiam adjectis insuper muneribus* .. Plures aliæ edd. pro *dimisit*, *honoravit*. ED.

II. 1. *Abderitas*. Freinsh. correx. *Autariatas* ex Diodoro XX, 19, et Athen. VIII, 2, quorum sedem in Dardaniæ et Pæoniæ finibus fuisse dicit Strabo lib. XVII. Atque quum duo codd. exhibeant *Audariates*, illud Gron. nepos recepit.

3. *Hercules*. Hic anno demum 445 a Polyperchonte est occisus, Diod. XX, 20, ubi eum, ut Cassandrum regno Macedoniæ pellat, Pergamo arcessit anno 444; et XX, 28, ubi Polyperchon, gratia cum Cassandro reconciliata, Herculem clam necat anno 445. Hoc autem anno 443 Alexander cum matre Roxane est occisus, Diod. XIX, 105, hoc loco §. 5. — *Sepultura*. Id est, exustione cadaverum in rogo. — A. U. 443.

rege, mox in matre ejus Olympiade ac filio admi-
sisset, alterum quoque filium cum matre Roxane, 5
pari fraude interficit : scilicet, quasi regnum Macedo-
niæ, quod adfectabat, aliter consequi, quam scelere,
non posset. Interea Ptolemæus cum Demetrio, navali 6
prælio, iterato congreditur, et amissa classe, hostique
concessa victoria, in Ægyptum refugit. Demetrius 7
filium Ptolemæi Leontiscum, et fratrem Menelaum,
amicosque ejus cum privati instrumenti ministerio,
pari provocatus antea munere, Ægyptum remittit : et 8
ut appareret eos non odio, sed dignitatis gloria ac-
censos, donis muneribusque inter ipsa bella conten-
debant. Tanto honestius tunc bella gerebantur, quam 9
nunc amicitiæ coluntur. Hac victoria elatus Antigonus, 10
regem se cum Demetrio filio appellari a populo jubet.
Ptolemæus quoque, ne minoris apud suos auctoritatis 11
haberetur, rex ab exercitu cognominatur. Quibus 12
auditis, Cassander et Lysimachus, et ipsi regiam sibi
majestatem vindicaverunt. Hujus honoris ornamentis 13
tamdiu omnes abstinuerunt, quamdiu filii regis sui
superesse potuerunt. Tanta in illis verecundia fuit, 14
ut, quum opes regias haberent, regum tamen nomi-

6. *Navali prælio*. Conf. Diod. XIX, 93, et XX, 49-52, A. U. 447. — Anno Urbis 442.

7. *Pari munere*. Cap. 1, 8.

8. *Et ut appareret*, etc. Atque ut ostenderent omnibus, se non odio, sed dignitatis gloria (cap. 1, 9) accensos (esse), contendebant... Sin mavis cum aliquot codd. τὸ *et* omittere, potes quoque cum Dresigio corrigere *contendere*, verba ita apte conjungens : *Demetrius remittit... ut appareret, eos contendere*.

9. *Quam*. Plures aliæ editiones habent et *quanto*. ED. Conf. autem supra II, 10, 11, de simili sententia.

10. *Hac victoria*. Non statim post hanc victoriam anno 445, sed anno demum 447, olymp. 118, 2, Diod. XX, 53. Antigonus autem universum imperium Alexandri adfectabat, omni hujus stirpe deleta, quippe regiæ ipse originis, et ad Temenum (vid. not. ad VII, 1, 7) genus referens.

11. — Anno Urbis conditæ 445.

12. *Lysimachus*. Nec non Seleucus Syriæ.

14. *Tanta... heres fuit*. Hoc *credat Judæus Apella!* Quo tandem modo

nibus æquo animo caruerint, quod Alexandro justus
15 heres fuit. Sed Ptolemæus et Cassander, cæterique
factionis alterius duces, quum carpi se singulos ab
Antigono viderent; dum privatum singulorum, non
commune universorum bellum ducunt, nec auxilium
ferre alteri volunt, quasi victoria unius, non omnium
16 foret, per epistolas se invicem confirmantes, tempus
et locum coeundi condicunt, bellumque communibus
17 viribus instruunt. Cui quum Cassander interesse prop-
ter finitimum bellum non posset, Lysimachum cum
ingentibus copiis in auxilium sociis mittit.

1 III. Erat hic Lysimachus illustri quidem Macedoniæ
loco natus, sed virtutis experimentis omni nobilitate
2 clarior: quæ tanta in illo fuit, ut animi magnitudine,
philosophia ipsa, viriumque gloria omnes, per quos
3 Oriens domitus est, vicerit. Quippe quum Alexander
Magnus Callisthenem philosophum, propter saluta-
tionis Persicæ interpellatum morem, insidiarum, quæ
sibi paratæ fuerant, conscium fuisse iratus finxisset;
4 eumque truncatis crudeliter omnibus membris, ab-
scissisque auribus, ac naso, labiisque, deforme ac
5 miserandum spectaculum reddidisset; insuper cum
cane in cavea clausum, ad metum cæterorum, cir-

vel cum his ipsis, quæ hucusque narravit, auctor hoc componere poterit?

15. *Cæteri.* Lysimachus §. 12 et 17; postea Seleucus cap. 4, Diod. XX, 106-109.

17. *Finitimum bellum.* Cum Demetrio (§. 10) in Thessalis, qui expugnata Sicyone, Corintho multisque Achaiæ urbibus, in Græcia dominabatur, Diod. XX, 102-103.

III. 1. — De hoc capite et seq. conf. *Montesquieu, Lysimaque.*

2. *Philosophia... ipsa.* Adridet lectio duorum codd. *philosophiam ipsam*, id est philosophos ipsos, quæ praeterea aptam format antithesin: animi magnitudine philophos ipsos, virium gloria omnes vicit. Quid autem in Lysimacho sibi velit, *vicit philosophia ipsa omnes*, equidem adsequi nequeo.

3. *Callisthenem.* Respice XII, 7, 2. — *Iratus finxisset.* Gronov. avus corrigit *ratus vinxisset* (in vincula conjecisset).

4. *Abscissisque.* Vett. libri *obcisisque*, nec barbare. ED.

cumferret : tunc Lysimachus, audire Callisthenem, 6
et præcepta ab eo virtutis accipere solitus, misertus
tanti viri, non culpæ, sed libertatis pœnas pendentis,
venenum ei in remedium calamitatum dedit. Quod 7
adeo ægre Alexander tulit, ut eum objici ferocissimo
leoni juberet. Sed quum ad conspectum ejus conci- 8
tatus leo impetum fecisset, manum amiculo involutam
Lysimachus in os leonis immersit, arreptaque lingua,
feram exanimavit. Quod quum nuntiatum regi esset, 9
admiratio in satisfactionem cessit, carioremque eum
propter constantiam tantæ virtutis habuit. Lysima- 10
chus quoque magno animo, regis, veluti parentis,
contumeliam tulit. Denique omni ex animo hujus facti 11
memoria exturbata, postea in India insectanti regi
quosdam palantes hostes, quum a satellitum turba,
equi sui celeritate desertus esset, solus ei per immen-
sas arenarum moles cursus comes fuit. Quod idem 12
antea Philippus, frater ejus, quum facere voluisset,
inter manus regis exspiraverat. Sed Lysimachum desi- 13
liens equo Alexander hastæ cuspide ita in fronte vul-
neravit, ut sanguis aliter cludi non posset, quam
diadema sibi demtum rex, adligandi vulneris caussa,

6. *Tunc Lysimachus... dedit.* Lysimachus, qui solitus fuerat... jam tanti viri misertus, dedit...

7. *Quod adeo... juberet.* Confer Curt. VIII, 1, 17.

8. *Concitatus.* Codd. aliquot *concitus*, non male.

9. *Admiratio tantæ virtutis.* Sic verba tansponi vult Scheffer., duo verba posteriora delens post *constantiam*.

11. *Exturbata.* Ut Liv. VI, 21 : *hæc injuria exturbavit omnem spem pacis*; Senec. Hipp. 129 : *casto pectore exturba nefanda*. Unus tamen cod. habet *exstirpata*, Berneccero et Vorstio adprobantibus. — *Postea in India insectanti regi quosdam palantes hostes, solus ei* etc. Legendum censet A. Gron. *insectante rege*, vel infra delendum *ei*, bene. ED. — *Turba.* Cod. *custodia*, quod est honestius. — *Cursus comes fuit.* Cursu comitatus est.

12. *Quod idem antea Philippus.* Philippus regem comitatus erat per 500 stadia (12 milliaria Germanica aut 18 leucas francicas 2500 sexpedarum. ED.), referente Curtio VIII, 2, 35.

13. *Aliter.* Gron. avus conjicit *ante*. — *Cludi.* Recentiorem formam *claudi* exhibent edd. antiq.

14 capiti ejus imponeret. Quod auspicium primum regalis
15 majestatis Lysimacho fuit. Sed et post mortem Alexan-
dri, quum inter successores ejus provinciæ divide-
rentur, ferocissimæ gentes, quasi omnium fortissimo,
16 adsignatæ sunt : adeo etiam consensu universorum
palmam virtutis inter cæteros tulit.

1 IV. Priusquam bellum inter Ptolemæum, sociosque
ejus, adversus Antigonum committeretur, repente ex
Asia majore digressus Seleucus, novus Antigono hostis
2 accesserat. Hujus quoque et virtus clara, et origo
3 admirabilis fuit. Siquidem mater ejus Laodice, quum
nupta esset Antiocho, claro inter Philippi duces viro,
visa est sibi per quietem ex concubitu Apollinis con-
4 cepisse; gravidamque factam, munus concubitus,
annulum a Deo accepisse, in cujus gemma ancora
sculpta esset : jussaque donum filio, quem peperisset,
5 dare. Admirabilem fecit hunc visum et annulus, qui
postera die, ejusdem sculpturæ, in lecto inventus est :
et figura ancoræ, quæ in femore Seleuci nata cum
6 ipso parvulo fuit. Quamobrem Laodice annulum Se-
leuco eunti cum Alexandro Magno ad Persicam mili-
7 tiam, edocto de origine sua, dedit. Ubi post mortem
Alexandri, occupato regno Orientis, urbem condidit,

15. *Ferocissimæ gentes.* Thraciæ, Ponti XIII, 4, 16.

IV. 1. *Repente.* Non repente. Nam jam an. 439, Seleucus Babylonia (432) pulsus ab Antigono, hanc recipit an. 442, Diod. XIX, 55 et 90. Atque ipse auctor noster obliviosus, cap. 1, 4, dixerat, Seleucum jam an. 439, cum Ptolemæo, Cassandro et Lysimacho societatem contra hunc ipsum Antigonum iniisse : quamquam ibi verba *et Seleuco*, unius cod. auctoritatem sequutus, potes omittere, quum de hoc auctor nihil addat, ut addit de Cassandro et Ptolemæo. Nihil tamen et ibi addit de quarto Lysimacho.

7. *Post mortem Alexandri.* Post mortem Alexandri Laomedonti Syria cessit sorte XIII, 4, 12 : quo pulso, provincia potitur Ptolemæus, pulsus paullo post ab Antigono, quem pellit hic Seleucus, qui ab anno inde 442 ad annum usque 473 totius Orientis dominus, Seleucidarum auctor, regnum longe omnium amplissimum reliquit filio Antiocho I. Soteri.

ibique geminæ originis memoriam consecravit. Nam 8
et urbem ex Antiochi patris nomine Antiochiam vo-
cavit; et campos vicinos urbi Apollini dicavit. Originis 9
ejus argumentum etiam in posteris mansit: siquidem
filii nepotesque ejus, ancoram in femore, veluti notam
generis naturalem, habuere. Multa in Oriente, post 10
divisionem inter socios regni Macedonici, bella gessit.
Principio Babyloniam cepit; inde auctis ex victoria 11
viribus, Bactrianos expugnavit. Transitum deinde in 12
Indiam fecit, quæ post mortem Alexandri, veluti cer-
vicibus jugo servitutis excusso, præfectos ejus occi-
derat. Auctor libertatis Sandrocottus fuerat: sed titu- 13
lum libertatis post victoriam in servitutem verterat:
siquidem occupato regno, populum, quem ab externa 14
dominatione vindicaverat, ipse servitio premebat.
Fuit hic quidem humili genere natus, sed ad regni 15
potestatem majestate numinis impulsus. Quippe quum 16
procacitate sua Alexandrum regem offendisset, in-
terfici a rege jussus salutem pedum celeritate quæsie-
rat. Ex qua fatigatione, quum somno captus jaceret, 17
leo ingentis formæ ad dormientem accessit, sudorem-
que profluentem lingua ei detersit, expergefactumque
blande reliquit. Hoc prodigio primum ad spem regni 18
impulsus, contractis latronibus, Indos ad novitatem
regni solicitavit. Molienti deinde bellum adversus 19
præfectos Alexandri elephantus ferus infinitæ magni-
tudinis ultro se obtulit, et, veluti domita mansuetudine,

11. *Babyloniam... Bactrianos*. Nec non Mediam, Assyriam, Susianam. Diod. XIX, 101.

18. *Novitatem regni*. Merito suspectum est Scheffero vocabulum *regni*; quo deleto vocabulo explica *novitatem* per *novas res* (moliendas); coll. XXII, 6, 12.

19. *Domita mansuetudine*. Mirum epitheton, ut ait Schefferus. Num enim mansuetudo etiam indomita? Suspicor scripsisse Nostrum: *domitus a mansuetudine*. — *Duxque belli... fuit*. De elephantorum arte bellica videndi Plin. VIII, 7; Ælianus de Animal. VII, 26; XIII, 22. ED.

eum tergo excepit, duxque belli, et præliator insignis
20 fuit. Sic adquisito regno, Sandrocottus ea tempestate,
qua Seleucus futuræ magnitudinis fundamenta jacie-
21 bat, Indiam possidebat: cum quo, facta pactione, Se-
leucus, compositisque in Oriente rebus, in bellum
22 Antigoni descendit. Adunatis igitur omnium sociorum
copiis, prælium committitur; in eo Antigonus occi-
23 ditur; Demetrius, filius ejus, in fugam vertitur. Sed
socii, profligato hostili bello, denuo in semet ipsos
arma verterunt; et quum de præda non convenirent,
24 iterum in duas factiones diducuntur. Seleucus Deme-
25 trio, Ptolemæus Lysimacho junguntur. Cassandro de-
functo Philippus filius succedit. Sic, quasi ex integro,
nova Macedoniæ bella nascuntur.

22. *Prælium.* Ad Ipsum, Phrygiæ urbem, in quo pugnant Ptolemæus, Lysimachus, Seleucus, Cassander contra Antigonum. — *In fugam vertitur.* Fugit autem Salamina Cypri cum matre Stratonice, Diod. XXI, fragm. 2. Prælium ipsum fuit maxime apparatum, longeque cruentissimum, quippe Antigoni 80,000 militibus et 75 elephantis opposuerunt illi 75,000 milites, 400 elephantos, 120 currus falcatos, referente Plut. in Demetr. 35. — Anno Urbis 453.

23. *Diducuntur.* Cujus glossa est in uno cod. Bong. *dividuntur.* Sic enim Tacit. Hist. II, 68: *qui ad spectandum convenerant, in studia diducti sunt;* Plin. Epist. II, 19, *diductum in partes audientium studium;* Tacit. Ann IV, 2, *diducta civitas ut civili bello.* Noster infra XLI, 4, 2, *diducti Macedones in bellum civile.*,

24. *Seleucus Demetrio .. jungitur.* Fœdus tamen paullo post ruptum ostendit XVI, 2, 1.

25. — Anno Urbis conditæ 456.

LIBER XVI.

I. Post Cassandri regis, filiique ejus Philippi conti- 1
nuas mortes, Thessalonice regina, uxor Cassandri,
non magno post tempore, ab Antipatro filio, quum
vitam etiam per ubera materna deprecaretur, occidi-
tur. Caussa parricidii fuit, quod post mortem mariti, 2
in divisione inter fratres regni, propensior fuisse
Alexandro videbatur. Quod facinus in eo gravius om- 3
nibus visum est, quod nullum maternæ fraudis vesti-
gium fuit : quamquam in parricidio nulla satis justa 4
caussa ad sceleris patrocinia prætexi potest. Ob hæc 5
igitur Alexander, in ultionem maternæ necis, gesturus
cum fratre bellum, auxilium a Demetrio petit; nec 6
Demetrius, spe invadendi Macedonici regni, moram
fecit. Cujus adventum verens Lysimachus, persuadet 7
genero suo Antipatro, ut malit cum fratre in gratiam
reverti, quam paternum hostem in Macedoniam ad-
mitti. Inchoatam igitur inter fratres reconciliationem 8
quum præsensisset Demetrius, per insidias Alexan-
drum interficit; occupatoque Macedoniæ regno, cæ- 9
dem apud exercitum excusaturus, in concionem vocat.
Ibi « priorem se petitum ab Alexandro adlegat : nec 10
fecisse se, sed occupasse insidias. Regem autem se

XVI. 1. *Continuas mortes.* Eodem enim, quo Cassander decesserat, an. 456 decessit Philippus. De *Thessalonice* respice XIV, 6, 3 et 13; et conf. Diod. XXI, fragm. 10. — Anno Urbis conditæ 456.

5. *Ob hæc.* MSS. omnes, quotquot Bong. vidit, *Post hæc.* ED.

6. *Demetrius.* XV, 4, 22.

8. Anno Urbis conditæ 460.

10. *Occupasse insidias.* Nam δεῖ προεπιβουλεύειν, μᾶλλον ἢ ἀντεπιβου-

Macedoniæ vel ætatis experimentis, vel caussis jus-
12 tiorem esse. Patrem enim suum et Philippo regi, et
13 Alexandro Magno socium in omni militia fuisse : liberorum deinde Alexandri ministrum, et ad persequen-
14 dos defectores ducem exstitisse. Contra Antipatrum, avum horum adolescentium, amariorem semper mi-
15 nistrum regni, quam ipsos reges fuisse. Cassandrum vero patrem, exstinctorem regiæ domus, non feminis, non pueris pepercisse; nec cessasse, quoad omnem
16 stirpem regiæ sobolis deleret. Horum scelerum ultionem, quia nequisset ab ipso Cassandro exigere, ad
17 liberos ejus translatam. Quamobrem etiam Philippum, Alexandrumque, si quis manium sensus est, non interfectores suos, ac stirpis suæ, sed ultores eorum,
18 Macedoniæ regnum tenere malle. » Per hæc mitigato
19 populo, rex Macedoniæ appellatur. Lysimachus quoque, quum bello Doricetis, regis Thracum, premeretur, ne eodem tempore et adversus eum dimicare necesse haberet, tradita ei altera parte Macedoniæ, quæ Antipatro ejus genero obvenerat, pacem cum eo fecit.

λεύειν, ut ait Thuc. I, 7; *et injurias imminenter præcavisse justum est magis, quam exspectavisse*, ut scribit Tiro apud Gell. VII, 3. Hinc sceleri alterius vitæ nostræ insidiantis obviam ire ex jure gentium rectum et bonum statuit Jugurtha apud Sallust. Jug. 18.

12. *Patrem*. Antigonum. Conf. ind.

13. *Liberorum deinde*. Respice XIII, 6.

14. *Antipatrum... fuisse*. Amarius sive durius regnum Macedoniæ, absente Alexandro, Antipater administravit, quam reges ipsi.

15. *Cassandrum* etc. Respice XIV, 6; XV, 2. — *Deleret*. Delevisset, ut XIII, 2, 11, *nasceretur* pro *natus esset*. — *Omnem .. sobolis*. Rectius duo codd. *omnem stirpis regiæ sobolem*; coll. Liv. XXXIX, 24; Curt. IV, 14.

17. *Quamobrem... malle*. Alexander igitur cum Philippo patre me mavult regnum Macedoniæ tenere stirpis suæ ultorem, quam filios Cassandri, a quo ipsius mater uxoresque cum liberis sunt occisæ. Cæterum latinitas pro *est* postulat in oratione obliqua *sit*. De sententia autem conf. Cic. ad div. IV, 5, 15; V, 16, 4; Phil. IX, 6. — *Si quis manium sensus est*. Vide formulas omnes fere similes, quas ex veteribus Modius refert. ED.

19. *Lysimachus*. Respice §. 7. — *Doricetis*. Plures codices habent *Dromichætis*, ex Strabone et Plutarcho. ED.

II. Igitur Demetrius, totis Macedoniæ regni viribus 1
instructus, quum Asiam occupare statuisset, iterato
Ptolemæus, Seleucus, et Lysimachus, experti priore
certamine, quantæ vires essent concordiæ, pacta so-
cietate, adunatisque exercitibus, bellum adversus De-
metrium transferunt in Europam. His comitem se et 2
belli socium, jungit Pyrrhus, rex Epiri, sperans non
difficilius Demetrium amittere Macedoniam posse,
quam adquisierat. Nec spes frustra fuit: quippe exer- 3
citu ejus corrupto, ipsoque in fugam acto, regnum
Macedoniæ occupavit. Dum hæc aguntur, Lysimachus 4
generum suum Antipatrum, regnum Macedoniæ adem-
tum sibi soceri fraude querentem, interficit; filiam-
que suam Eurydicen, querelarum sociam, in custo-
diam tradit : atque ita universa Cassandri domus 5
Alexandro Magno, seu necis ipsius, seu stirpis ex-
stinctæ pœnas, partim cæde, partim supplicio, partim
parricidio luit. Demetrius quoque a tot exercitibus 6
circumventus, quum posset honeste mori, turpiter se
dedere Seleuco maluit. Finito bello, Ptolemæus cum 7
magna rerum gestarum gloria moritur. Is, contra jus
gentium, minimo natu ex filiis ante infirmitatem reg-
num tradiderat, ejusque rei populo rationem reddi-
derat : cujus non minor favor in accipiendo, quam 8
patris in tradendo regno fuerat. Inter cætera patris 9

II. 1. *Priore certamine*. XV, 4, 22.

2. *Pyrrhus*. De quo infra vide XVII, 2-3.

3. *Regnum... occupavit*. Pyrrhus Macedoniam occupat, fugato non Demetrio, sed Lysimacho, qui Demetrium regno pepulerat. — *Frustra*. MSS. Bong. *frustrata*, latinius.

4. *Lysimachus generum suum* (cap. 1, 7)... *interficit*. Contra Diod. XXI, fragm. 10, hunc a Demetrio dolose occisum refert. — *Ademtum sibi*. Et Demetrio traditum cap. 1, 19.

5. *Necis ipsius*. Respice XII, 14. — *Stirpis exstinctæ*. Not. ad c. 1, 15.

6. Anno Urbis 468.

7. *Minimo natu ex filiis*. Ptolemæo Philadelpho. Conf. XVII, 2, 4. — Anno Urbis 470.

8. *Cujus non minor favor in accipiendo, quam... regno fuerat*. Cui populus faverat.

et filii mutuæ pietatis exempla, etiam ea res amorem populi juveni conciliaverat, quod pater, regno ei publice tradito, privatus officium regni inter satellites fecerat, omnique regno pulchrius regis esse patrem duxerat.

1 III. Sed inter Lysimachum, et Pyrrhum regem, socios paullo ante adversus Demetrium, adsiduum
2 inter pares discordiæ malum bellum moverat. Victor Lysimachus, pulso Pyrrho, Macedoniam occupaverat.
3 Inde Thraciæ, ac deinceps Heracleæ bellum intulerat: cujus urbis et initia et exitus admirabiles fuere:
4 quippe Bœotiis pestilentia laborantibus oraculum Delphis responderat, « coloniam in Ponti regione sacram
5 Herculi conderent. » Quum propter metum longæ ac periculosæ navigationis, mortem in patria omnibus præoptantibus, res omissa esset, bellum his Phocenses
6 intulerunt: quorum quum adversa prælia paterentur, iterato ad oraculum decurrunt: responsum, « idem
7 belli quod pestilentiæ remedium fore. » Igitur conscripta colonorum manu, in Pontum delati, urbem Heracleam condiderunt. Et quoniam fatorum auspiciis in eas sedes delati erant, brevi tempore magnas opes
8 paravere. Multa deinde hujus urbis adversus finitimos bella, multæ etiam domesticæ dissensiones fuere. Inter cætera magnifica, vel præcipue illud memorabile fuit.

9. *Omnique regno pulchrius regis esse patrem duxerat.* Hunc teneriorem paterni animi adfectum expressit noster *Rotrou*, in tragœdia dicta *Venceslas*, hoc versu:

Soyez roi, Ladislas, et moi je serai père.

ED.

III. 1. *Discordiæ malum.* Discordia, quæ malum est inter pares adsiduum. Hinc plures editiones antiquæ exhibent *discordia*. De sententia autem respice XIII, 2, 3.

2. *Victor Lysimachus*, etc. Respice not. ad cap. 2, 3. Pyrrhus autem aliis terris occupandis inhians, sponte Macedoniam relinquit Lysimacho iterum facile occupandam.

4-6. *Quippe Bœotiis* etc. Confer supra XIII, 7, 2-4.

8. *Multæ etiam... dissensiones.* Edd. antiq. *multa etiam domi dissensionis mala fuere.*

Quum rerum potirentur Athenienses, victisque Persis, 9
Græciæ et Asiæ tributum in tutelam classis descripsissent, omnibus cupide ad præsidium salutis suæ conferentibus; soli Heracleenses, ob amicitiam regum
Persicorum, collationem abnuerunt. Missus itaque ab 10
Atheniensibus Lamachus cum exercitu ad extorquendum, quod negabatur, dum, relictis in litore navibus, agros Heracleensium populatur, classem cum majore parte exercitus naufragio repentinæ tempestatis amisit.
Itaque quum neque mari posset, amissis navibus, ne- 11
que terra auderet, cum parva manu inter tot ferocissimas gentes reverti; Heracleenses honestiorem beneficii, quam ultionis occasionem rati, instructos
commeatibus auxiliisque dimittunt : bene agrorum 12
suorum populationem impensam existimantes, si, quos hostes habuerant, amicos reddidissent.

IV. Passi sunt inter plurima mala etiam tyranni- 1
dem : siquidem quum plebs et novas tabulas et divi- 2
sionem agrorum divitum impotenter flagitaret, diu re 3
in senatu tractata, quum exitus rei non inveniretur, postremum adversus plebem nimio otio lascivientem, auxilia a Timotheo, Atheniensium duce, mox ab Epaminonda Thebanorum petivere. Utrisque negantibus, 4
ad Clearchum, quem ipsi in exsilium egerant, decur-
runt. Tanta calamitatum necessitas fuit, ut, cui pa- 5
triam interdixerant, eum ad tutelam patriæ revoca-

9. *Victisque Persis.* Victo Xerxe tributum illud ex arbitrio constituendum permittitur Aristidi, Cornel. III, 3, 1, Anno Urbis 278.

12. *Bene... existimantes.* Et bene (recte, generose) existimant, se, pro agrorum suorum populatione, a Lamacho exegisse impensam eo, ut, etc.

IV. *Novas tabulas et divisionem agrorum.* Quas Livius XXXII, 38, sit esse duas faces novantibus res, ad plebem in optimates accendendam.

3. *Tractata.* Modius *tracta* in suis MSS. esse confirmat. ED. — *Timotheo... Epaminonda.* De quo utroque exposuit Cornelius, collatis de Epaminonda Nostri locis in ind.

4. *Clearchum.* Cujus tyrannidem Diodorus ponit olymp. 104, ergo Anno Urbis 390.

6 rent. Sed Clearchus exsilio facinorosior redditus, et
dissensionem populi occasionem invadendæ tyrannidis existimans, primo tacitus cum Mithridate, civium
7 suorum hoste, colloquitur; et inita societate paciscitur,
ut revocatus in patriam, prodita ei urbe, præfectus
8 ejus constitueretur. Postea autem insidias, quas civi-
9 bus paraverat, in ipsum Mithridatem vertit. Namque
quum, velut arbiter civilis discordiæ, de exsilio reversus esset, statuto tempore, quo urbem Mithridati traderet, ipsum cum amicis suis cepit; captumque, ac-
10 cepta ingenti pecunia, dimisit. Atque ut in illo subitum
se ex socio fecit hostem, sic ex defensore senatoriæ
11 caussæ, repente patronus plebis evasit; et adversus
auctores potentiæ suæ, a quibus revocatus in patriam,
per quos in arce collocatus fuerat, non solum plebem
accendit, verum etiam nefandissima quæque tyran-
12 nicæ crudelitatis exercuit. Igitur populo ad concionem
vocato, « neque se adfuturum amplius grassanti in
populum senatui, » ait; « intercessurum etiam, si in
13 pristina sævitia perseveret: quod si pares se crudelitati senatorum arbitrentur, abiturum cum militibus
14 suis, neque civilibus discordiis interfuturum. Sin vero
diffidant viribus propriis, vindictæ se civium non de-
15 futurum. Proinde consulant sibi ipsi, jubeant abire se,
16 an malint caussæ popularis socium remanere. » His

8. *Vertit*. Ita pro *verterat* recepi ex Ald. postulante sensu.

12-15. *Neque se... remanere*. Hunc locum in multis codd. contaminatum ita restituit Grævius ex editione Juntina. ED. — Equidem, inquit, non amplius adero senatui in plebem (§. 1) grassanti; intercedam etiam (adjuvabo vos, plebeii), si in pristina sævitia perseverat. Vos tamen, si pares vos arbitramini senatorum crudelitati (si soli vos senatorum crudelitati resistere posse arbitramini), abibo cum militibus meis, neque civilibus discordiis intererо. Sin vero diffiditis viribus propriis, equidem vindictæ civium non deero (vindicabo cives a senatorum sævitia). Proinde consulite vobis ipsi: jubeatisne abire me, an malitis remanere populi (plebis) caussæ socium.

verbis solicitata plebs summum ad eum imperium defert; et dum senatus potentiæ irascitur, in servitutem se tyrannicæ dominationis cum conjugibus et liberis tradit. Igitur Clearchus LX senatores compre- 17
hensos (nam cæteri in fugam dilapsi erant) in vincula compingit. Lætari plebs, quod a duce potissimum se- 18
natorum, senatus deleretur, versaque vice auxilium eorum in exitium conversum esset. Quibus dum mor- 19
tem passim omnibus minatur, cariora eorum pretia facit: siquidem Clearchus magna pecunia (quasi mi- 21
nis populi occulte eos subtracturus), accepta, spoliatos fortunis, vita quoque spoliavit.

V. Cognito deinde, quod bellum sibi ab iis, qui 1
profugerant, misericordia in auxilium solicitatis civitatibus, pararetur, servos eorum manu mittit. Et ne 2
quid mali adflictis honestissimis domibus deesset, uxores eorum filiasque nubere servis suis, proposita recusantibus morte, compellit, ut eos sibi fidiores, et dominis infestiores redderet. Sed matronis tam lugu- 3
bres nuptiæ graviores repentinis funeribus fuere. Ita- 4
que multæ se ante nuptias, multæ in ipsis nuptiis, occisis prius novis maritis, interficiunt, et se tam funestis calamitatibus, virtute ingenui pudoris, eripiunt. Prælium deinde committitur: quo victor tyran- 5
nus captivos senatores in triumphi modum per ora

16. *Et dum... tradit.* Plebs dum senatui divitiis potenti irascitur, tradit se servam domino tyranno, neque se solam, sed conjuges quoque et liberos.

17. *In fugam.* Plures MSS. quos Bongarsius vidit *in fuga*. ED.

20. *Siquidem Clearchus* etc. Clearchus simulans se populo cædem minanti senatores velle subtrahere, magna pecunia hos redimere se cogit; at non ita multo post eosdem fortunis jam spoliatos vita quoque spoliat.

V. 4. *Virtute ingenui pudoris.* Quippe quas puderet ingenuas nubere servis.

5. *Captivos... trahit.* Sallust. Jug. 31, 12: *Incedunt per ora vestra magnifice.* Noster iterum XXXVI, 1, 5: *traductus per ora civitatum, populis in ludibrium favoris ostenditur.* ED.

6 civium trahit. Reversus in urbem alios vincit, torquet
alios, alios occidit : nullus locus urbis a crudelitate
7 tyranni vacat. Accedit sævitiæ insolentia, crudelitati
8 arrogantia. Interdum ex successu continuæ felicitatis
obliviscitur se hominem ; interdum Jovis se filium
9 dicit. Eunti per publicum aurea aquila, velut argu-
10 mentum generis, præferebatur : veste purpurea, et
cothurnis regum tragicorum, et aurea corona uteba-
11 tur : filium quoque suum Ceraunon vocat, ut Deos
non mendacio tantum, verum etiam nominibus illu-
12 dat. Hæc illum facere duo nobilissimi juvenes Chion
et Leonides indignantes, patriam liberaturi in necem
13 tyranni conspirant. Erant hi discipuli Platonis philo-
sophi : qui virtutem, ad quam quotidie præceptis ma-
gistri erudiebantur, patriæ exhibere cupientes, quin-
quaginta cognatos [veluti clientes] in insidiis locant.
14 Ipsi more jurgantium, ad tyrannum [veluti ad regem]
15 in arcem contendunt : qui jure familiaritatis admissi,
dum alterum priorem dicentem intentus audit tyran-
16 nus, ab altero obtruncatur. Sed et ipsi, sociis tardius
17 auxilium ferentibus, a satellitibus obruuntur. Quare
factum est, ut tyrannus quidem occideretur, sed pa-

7. *Accedit... arrogantia.* Sævus hic tyrannus fit insolens, crudelis fit, arrogans, Critiæ instar et Alcibiadis, quos Xenophon (Mem. I, 2, 12) vocat βιαιοτάτους καὶ ὑβριστοτάτους.

8. *Ex successu.* Curtius IV, 14, 34 : *Fragilitatis humanæ nimia in prosperis oblivio est*; Senec. Suas. II : *Nunquam in solido stetit superba felicitas; et ingentium imperiorum magna fastigia oblivione fragilitatis humanæ collapsa sunt.* DD.

11. *Ceraunon.* Κεραυνὸν, Tonantem, ergo Jovem.

12. *Duo nobilissimi juvenes.* Unius horum, et prioris quidem, epistolæ adhuc exstant. Inter quas una est ad ipsum Clearchum scripta : et una ad Platonem, qua ad cædem tyranni se parat : Μετὰ παιᾶνος ἄν, inquit, καὶ νικητηρίων ἀπολείποιμι τὸν βίον, εἰ καταλύσας τὴν τυραννίδα ἐξ ἀνθρώπων ἀπελεύσομαι. ED. — *Leonides.* Is. Vossius correx *Leon* ex Memnonis eclogis de historia Pontica.

13. [*Veluti clientes*]. Hæc verba, et mox [*veluti ad regem*] Glossemata sunt, Sebisii et Bernecceri judicio. ED.

15. *Qui... admissi.* Latinitas postulat *quibus admissis*. De re confer simile apud Liv. I, 40.

tria non liberaretur. Nam frater Clearchi, Satyrus, 18
eadem via tyrannidem invadit; multisque annis, per gradus successionis, Heracleenses sub regno tyrannorum fuere.

18. *Eadem via.* Qua? qua Clearchus invaserat. Jam vero is invaserat juvando primum senatum, et faciendo cætera, quæ apud Nostrum leguntur. Idcirco conjicit Schefferus *eadem vi*, intelligens, vim satellitum, qua Chion et Leonides erant obtruncati : non placet conjectura. Malumus, nil mutantes, explicare *eadem via* æque ut frater. ED. — *Sub regno.* Plures codices et editiones antiquæ, quibus adstipulantur Is. Voss. et Gron. avus et nepos, exhibent *regnum*. Heracleenses fuere regnum tyrannorum, ut infra XVII, 3, 19 : *Beroe fuit genus Æacidarum;* Liv. I, *Gabii regnum Tarquinii;* XXIX, 32, *Masæsylorum fines regnum Syphacis;* XXX, 11, *Masæsyli regnum Masinissæ.* — *Satyrus.* Athenæo lib. III, 7, et XII, 12, et Diodoro lib. XX, 78; XVI, 36, inter se collatis, Freinshemii sententia verisimilis mihi redditur, Nostrum hæc suo more confundere, et duos Clearchos, avum scilicet atque nepotem in unum conflare. Clearcho enim mortuo, qui Heracleæ tyrannidem primitus invasit, successere filii, primo Timotheus, deinde Dionysius : Dionysio item filii duo Zathras (quiquidem est forte Nostro Satyrus) et Clearchus alter.

LIBER XVII.

1 I. Per idem ferme tempus in Hellesponti et Cherso-
2 nesi regionibus terræ motus fuit: maxime tamen Ly-
simachia urbs, ante duos et viginti annos a Lysima-
3 cho rege condita, eversa est. Quod portentum dira
Lysimacho, stirpique ejus, ac regni ruinam, cum clade
4 vexatarum regionum, portendebat. Nec ostentis fides
defuit: nam brevi post tempore, Agathoclem filium
suum, quem in successionem regni ordinaverat, per
quem multa bella prospere gesserat, non solum pa-
trium, verum etiam humanum ultra morem, perosus,
5 ministra Arsinoe noverca, veneno interfecit. Hæc illi
prima mali labes, hoc initium impendentis ruinæ fuit.
6 Nam parricidium principum sequutæ cædes sunt,
luentium supplicia, quod occisum juvenem dolebant.
7 Itaque et hi, qui cædibus superfuerant, et hi, qui
exercitibus præerant, certatim ad Seleucum deficiunt;
8 cumque pronum jam ex æmulatione gloriæ, bellum
9 Lysimacho inferre compellunt. Ultimum hoc certa-

I. 3. *Portentum.* Quum sequatur verbum ejusdem originis *portendebat*, Gron. avus corrigit *prodigium* ex XL, 2, 1, aut si retinere velis *portentum*, cum Fabro corrige *significabat.* — *Dira.* Scilicet gravem Deorum iram.

4. *Perosus.* Simile exemplum habes infra XXXIV, 4, 1. — *Arsinoe.* Ptolemæi Lagi filia, cap. 2, 6 et 7. Arsinoes soror Lysandra uxor fuit Agathoclis.

7. *Seleucum.* De Seleuco respice XVI, 2, 1.

8. *Pronum jam.* Scilicet ad bellum Thraciæ regi inferendum. Nam auctor supra jam XV, 4, 23-24, statim post annum Urbis conditæ 453 narrat Seleucum Demetrii socium factum adversus Ptolemæum et Lysimachum: deinde tamen XVI, 2, 1, eundem his junctum Demetrio bellum intulisse eumque vivum cepisse.

men commilitonum Alexandri fuit, et, velut ad exem-
plum fortunæ, par reservatum. Lysimachus quatuor 10
et LXX annos natus erat, Seleucus septem et LXX. Sed 11
in hac ætate utrique animi juveniles erant, imperiique
cupiditatem insatiabilem gerebant. Quippe quum or- 12
bem terrarum duo soli tenerent, angustiis sibimet
inclusi videbantur, vitæque finem non annorum spa-
tio, sed imperii terminis metiebantur.

II. In eo bello Lysimachus, amissis ante variis ca- 1
sibus xv liberis, non instrenue moriens, postremus
domus suæ ruinæ cumulus accessit. Lætus tanta vic- 2
toria Seleucus, et quod majus victoria putabat, solum
se de cohorte Alexandri remansisse, victoremque vic-
torum exstitisse, « non humanum esse opus, sed di-
vinum munus, » gloriatur: ignarus prorsus, non multo 3
post fragilitatis humanæ se ipsum exemplum futurum.
Quippe post menses admodum septem a Ptolemæo, 4
cujus sororem Lysimachus in matrimonio habuerat,
per insidias circumventus occiditur; regnumque Ma- 5
cedoniæ, quod Lysimacho eripuerat, cum vita pariter
amittit. Igitur Ptolemæus quum et in gratiam me- 6

12. *Orbem terrarum.* Quantum fuerit Seleuci imperium, dixi *in meinem histor. Handb.* vol. II, pag. 369-370. Tenebat autem Seleucus Asiam superiorem et Syriam; Lysimachus Thraciam, Græciam, Macedoniam, pluresque Asiæ minoris provincias. Longe igitur majus et amplius erat Ptolemæi Philadelphi imperium, de quo ibid. vol. I, pag. 209. — *Angustiis sibimet.* Ald. et Junt. *angustis sibi metis*, non inepte. Ita Juvenal. X, v. 165, de Alexandro:

Unus Pellæo Juveni non sufficit orbis:
Æstuat infelix angusto in limite mundi. ED.

II. 1. — Anno Urbis 472.

2. *De cohorte Alexandri.* Id est de proximis, familiaribus, ut est *cohors regia* V, 11, 9. ED.

4. *Ptolemæo.* Cerauno, Lagi filio natu majore, Philadelphi fratre XVI, 2, 7, ex Eurydice suscepto, quum Philadelphus Berenicen matrem haberet, Pausan. I, 6, 8. — *Sororem Lysimachus.* Respice cap. 1, 4. Eurydice præterea, Cerauni mater quum Antipatri fuisset filia, maternum simul regnum Macedoniæ Ceraunus sibi vindicare videbatur. — *In matrimonio habuerat.* Antiquiores typis expressi *in matrimonium habuerat.* ED.

5. — Anno Urbis 473.

moriæ magni Ptolemæi patris, et in favorem ultionis Lysimachi ambitiosus apud populares esset, primo
7 Lysimachi filios conciliare sibi statuit; nuptiasque Arsinoes sororis suæ, matris eorum petit, puerorum
8 adoptione promissa; ut, quum in locum patris eorum successisset, nihil illi moliri vel verecundia matris,
9 vel appellatione patris auderent. Fratris quoque, regis Ægypti, concordiam per epistolas deprecatur, professus, « deponere se offensam erepti paterni regni, neque amplius a fratre quæsiturum, quod honestius
10 a paterno hoste perceperit. » Omnique arte adulatur Eumeni et Antigono, Demetrii filiis, Antiocho, filio Seleuci, cum quibus bellum habiturus erat, ne tertius
11 sibi hostis accederet. Sed nec Pyrrhus, rex Epiri, omissus, ingens momentum futurus, utri parti socius ac-

6. *Patris.* Respice XVI, 2, 7. — *Ambitiosus apud populares.* I. e. *Gratiosus.* Plures MSS. *ad populares.* ED. — *Apud.* Plures MSS. et edd. antiq. *ad*, quod præfert. Grævius; coll. Liv. XXXIV, 48; Cic. ad div. V, 10, 10. — *In favorem.* Gron. avus mavult *gratia* et *favore.*

7-8. *Nuptiasque... promissa.* Conf. XXIV, 2-3.

9. *Fratris.* Philadelphi, inde ab an. 470, Ægypti regis XVI, 2, 7. — *Paterno hoste.* Seleuco, Ptolemæi Lagi hoste XV, 4, 24, not.

10. *Eumeni.* Nullus circa hæc tempora invenitur Eumenes, quem vereri potuerit Ptolemæus. Sed Nicomedem Bithynum, Antigoni Gonatæ amicum, Antiochi hostem invenit Gron. avus apud Memnonem in Excerptis Photianis (pag. 718-719): cujus illi haud dubie potuit utilis esse gratia, si nihil aliud, ad morandum Antiochum. Nam cum duobus istis simultates erant inexpiabiles, quorum alter Macedoniam, velut paternum regnum sibi vindicabat, alterius patrem ipse interfecerat. Hinc ille ita hunc locum corrigit : *Nicomedi, ne cum Antigono, Demetrii, et Antiocho, Seleuci filiis bellum habituro tertius sibi hostis accederet.* Quam quidem correctionem aptam sane, et, ut vides, historiæ convenientem comprobarunt Grævius, Vorstius, Faber. Propius tamen, deleto illo nomine, Gron. nepos ad ductum literarum accedit ita hoc loco corrigens : *adulatur ei* (fratri §. 9), *ne Antigono, Demetrio, Antiochoque filio Seleuci... tertius sibi hostis accederet.* Cæterum Antigonus ille est *Antigonus Gonatas*, Demetrii Macedonia pulsi (an. 468, respice not. XVI, 2, 3) filius, qui an. 475 regnum paternum sibi vindicat, XXV, 1, 1; coll. XXIV, 1, 8 : Antiochus autem est *Antiochus I. Soter*, Seleuci successor et rex Syriæ per annos 473-493; coll. not. ad XV, 4, 7.

11. *Omissus.* Omissus est a Ptole-

cessisset: qui et ipse spoliare singulos cupiens, omni- 12
bus se partibus venditabat. Itaque Tarentinis adversus 13
Romanos laturus auxilium, ab Antigono naves, ad
exercitum in Italiam deportandum, mutuo petit: ab
Antiocho pecuniam, qui opibus, quam militibus,
instructior erat; a Ptolemæo Macedonum militum
auxilia. Sed Ptolemæus, cui nulla dilationis ex infir- 14
mitate virium venia esset, quinque millia peditum,
equitum quatuor millia, elephantos quinquaginta,
non amplius quam in biennii usum dedit. Ob hæc 15
Pyrrhus, filia Ptolemæi in matrimonium accepta, vindicem eum regni reliquit: ne, abducta in Italiam juventute, prædam hostibus regnum relinqueret.

III. Sed quoniam ad Epiri mentionem ventum est, 1
de origine regni ejus pauca narranda sunt. Molosso- 2
rum primum in ea regione regnum fuit. Post Pyrrhus, 3
Achillis filius, amisso per absentiam Trojanis temporibus paterno regno, in his locis consedit, qui Pyr-
rhidæ primo, postea Epirotæ dicti sunt. Sed Pyrrhus 4
quum in templum Dodonæi Jovis ad consulendum venisset, ibi Lanassam, neptem Herculis, rapuit: ex

mæo, non neglectus ab hoc, ejus potius gratia et amicitia quæsita. — *Futurus.* Quippe qui futurus esset ingens momentum ei parti, cui accessisset socius. De re respice XVI, 2, 2, et de voce *momenti* V, 4, 12. — Tacit. Histor. I, 59: *Batavorum cohortes, prout inclinassent, grande momentum, sociæ aut adversæ.* ED.

14. *Cui... esset.* Cui, quum viribus esset infirmus, auxilium Pyrrho ferendum nullo modo differe liceret.

15. *Filia.* Non germana, sed privigna, *Antigone.* — *Eum.* Ptolemæum Ceraunon: quem tamen ipse XVIII, 1, 3, confundit cum Ptolamæo filio. — *Reliquit.* Plures codd. et edd. Ald., Junt. et Rom. addunt: *pacificatus cum omnibus finitimis*, quod recepit Abr. Gon.

III. 1. *Ad Epiri... est.* Epiri mentionem injecimus. At hujus jam supra XVI, 2, 2, mentionem injecerat.

3. *Pyrrhus.* Dictus Neoptolemus. — *Paterno regno.* Phthia in Thessalia, ubi et Achilles pater, et Peleus avus, pulsus a patre Æaco Ægina, regnaverant.

4. *Lanassam.* Sacerdotem, Cleodæi filiam, Hylli neptem, indeque Herculis proneptem, referente Plut. in Pyrrh. cap. 1. — *In templum.* Plures MSS. *in templo.* Conf. supra II, 13. ED.

5 cujus matrimonio octo liberos sustulit. Ex his nonnullas virgines nuptum finitimis regibus tradidit, opes-
6 que adfinitatum auxilio magnas paravit : atque ita Heleno, filio Priami regis, ob industriam singularem, regnum Chaonum, et Andromachen Hectoris, quam et ipse matrimonio suo in divisione Trojanæ prædæ
7 acceperat, uxorem tradidit : brevique post tempore Delphis, insidiis Orestæ, filii Agamemnonis, inter al-
8 taria Dei interiit. Successor huic Piclus filius fuit. Per
9 ordinem deinde regnum ad Arrybam descendit : cui,
10 quoniam pupillus et unicus ex gente nobili superesset, intentiore omnium cura servandi ejus educandique,
11 publice tutores constituuntur : Athenas quoque erudiendi gratia missus, quanto doctior majoribus suis,
12 tanto et gratior populo fuit. Primus itaque leges, et senatum, annuosque magistratus et reipublicæ for-
13 mam composuit : et ut a Pyrrho sedes, sic vita cultior
14 populo ab Arryba statuta. Hujus filius Neoptolemus

6. *Atque ita... tradidit.* De re conf. Virg. Æn. III, 294 seqq. ibique Heynii exc. 10. — *Hectoris.* Olim uxorem. — *Matrimanio sua.* Dat in matrimonium suum, sive uxorem. Possis tamen ex aliquot codd., verbis transpositis, ita cum Grævio legere: *Hectoris e matrimonio suo, quam ipse in divisione Trojanæ prædæ acceperat.* Tradit igitur Heleno uxorem Andromachen e matrimonio suo, id est, suam hucusque uxorem. Durior tamen constructio est aliorum codd., quos sequitur Gronov. avus : *Andromachen Hectoris e matrimonio suo, quos* (Helenum et Andromachen) *in divisione Trojanæ prædæ acceperat.*

7. *Interiit.* Propter Hermionem, Menelai et Helenæ filiam, Pyrrhi uxorem, Hom. Od. IV, 5 : quam huic erepturus hunc obtruncat Orestes, Virg. Æn III, 328-332.

8. *Pielus.* Ita dedi cum Ald. et Junt. ex Pausania I, 11, 1, qui hunc et Molossum Pyrrhi filios nominat ex Andromache susceptos. Vulg. *Pialis*, *Piales*, quod alii corruperunt in *Pylades.*

9. *Per ordinem.* Pausanias I, 11, 1, a Pyrrho, Achillis filio ad Tharypum, Neoptolemi et Arybbæ (Arrybæ h. l.) avum, Alcetæ patrem, numerat hominum ætates 15.

10. *Cui, quoniam* etc. Respice not. ad VIII, 6, 4.

14. *Hujus filius* etc. Hoc loco hæc est genealogia : 1, Arrybas. — 2, Neoptolemus. — 3, Olympias, Alexander, Æacides. — 4, Pyrrhus. Plures tamen auctores Arrybam Neoptolemi non patrem, sed fra-

fuit : ex quo nata est Olympias, mater Alexandri 15
Magni, et Alexander, qui post eum regnum Epiri
tenuit; et in Italia bello gesto, in Brutiis interiit. Post 16
ejus mortem frater Æacides regno successit, qui,
adsiduis adversus Macedonas bellorum certaminibus
populum fatigando, offensam civium contraxit; ac 17
propterea in exsilium actus, Pyrrhum filium bimum,
admodum parvulum in regno reliquit. Qui et ipse 18
quum a populo propter odium patris ad necem quæreretur, furtim subtractus in Illyrios defertur; tradi- 19
tusque est Beroæ, Glauciæ regis uxori, nutriendus,
quæ et ipsa genus Æacidarum erat. Ibi eum, seu mi- 20
sericordia fortunæ ejus, seu infantilibus blandimentis
inductus rex, adversum Cassandrum, Macedoniæ regem, qui eum sub belli comminatione deposcebat,
diu protexit, addito in auxilium etiam adoptionis
officio. Quibus rebus moti Epirotæ, odio in miseri- 21
cordiam verso, annorum XI eum in regnum revocaverunt, datis tutoribus, qui regnum usque adultam
ejus ætatem tuerentur. Adolescens deinde multa bella 22
gessit; tantusque rerum successu haberi cœptus est,
ut Tarentinos solus adversus Romanos tueri posse
videretur.

trem fuisse tradunt. Vid. ad VIII, 6, 4, et VII, 6, 10 : *et Æacidem non Neoptolemi, sed Arrybæ filium.* Hinc simul vides, in verbis VIII, 6, 5, *Alexandrum, privignum ejus*, prononem *ejus* non, quod postulet latinitas, referendum esse ad Arrybam, sed ad Philippum, cujus tamen non privignus (*Stiefsohn*) fuit, sed gener et antea uxoris frater.

15. *Alexander, qui post eum... interiit.* Respice XII, 2.

16. — Anno Urbis 428.

17. *Filium bimum, admodum parvulum.* Melius distinguis cum Grævio *bimum admodum, parvulum* (quod posterius vocabulum sapi glossam), quum sit *admodum* circiter, coll. cap. 2, 4; XI, 14, 11.

19. *Genus.* Conf. not. ad XVI, 5, 18 : *generis* igitur, quod habent edd. antiq., est illius glossa.

18. — Anno Urbis 442.

20. *Cassandrum, Macedoniæ regem.* Per annos 435-456.

21. *Usque. In* addit Junt.; *ad* Col. et Bongars. editio. — Anno Urbis conditæ 451.

LIBER XVIII.*

1 I. Igitur Pyrrhus, rex Epiri, quum iterata Tarenti-
norum legatione, additis Samnitum et Lucanorum
precibus, et ipsis auxilio adversus Romanos indigen-
tibus, fatigaretur, non tam supplicum precibus, quam
spe invadendi Italiæ imperii inductus, venturum se
2 cum exercitu pollicetur. In quam rem inclinatum
semel animum præcipitem agere cœperant exempla
majorum : ne aut inferior patruo suo Alexandro vide-
retur, quo defensore iidem Tarentini adversus Brutios
usi fuerant; aut minores animos Magno Alexandro
habuisse, qui tam longa a domo militia Orientem sub-
3 egit. Igitur relicto custode regni filio Ptolemæo, annos
xv nato, exercitum in portu Tarentino exponit, duo-
bus parvulis filiis, Alexandro et Heleno, in solatia
4 longinquæ secum expeditionis adductis. Cujus audito

* XVIII. De Pyrrhi in Italiam expeditione consule Plut. in Pyrrho; Pausan. I, 11, 7, et cap. 12, 1-3; Flor. I, 18; Oros. IV, 1; Liv. Epit. XII-XIV.

I. 1. *Auxilio... indigentibus*. Lege cum duobus codd. et ed. Ald. *auxilium... pollicentibus*, quod recep. Gron. nepos. Cum Samnitibus autem, hostibus sibi longe gravissimis, bella Romani gesseruut per annos 71, ab an. inde 412-482. — De hac autem constructione *Romanorum et Lucanorum et ipsis... indigentibus*, confer quæ supra II, 3, 16, et VIII, 5, 10, congessimus. ED.

2. *Exempla majorum*. De Alexandro utroque consule loca in ind., nr. 3 et 4. — *Patruo*. Respice not. ad XVII, 3, 14, et de re 12, 2. — *Orientem subegit*. Conf. XIV, 4, 19; XIV, 2, 9.

3. *Filio Ptolemæo*. Respice not. ad XVII, 2, 15. — *Adductis* Bongarsius mavult *abductis*. — *In solatia*. MSS. plures *in solatio*, ut XVII, 3, pro *in templum* veteres codices habent *in templo*. ED.

4-7. *Cujus audito* etc. Inter Pandosiam et Heracleam, juxta Sirin amnem Lucaniæ. — Anno Urbis conditæ 473.

adventu, consul Romanus Valerius Lævinus, festinans,
ut prius cum eo congrederetur, quam auxilia sociorum
convenirent, exercitum in aciem educit. Nec rex, ta- 5
metsi numero militum inferior esset, certamini mo-
ram fecit. Sed Romanos vincentes jam, inusitata ante 6
elephantorum forma stupere primo, mox cedere præ-
lio coegit; victoresque jam nova Macedonum monstra
repente vicerunt. Nec hostibus incruenta victoria fuit. 7
Nam et ipse Pyrrhus graviter vulneratus est; et magna
pars militum ejus cæsa; majoremque gloriam ejus vic-
toriæ, quam lætitiam habuit. Hujus pugnæ eventum 8
multæ civitates sequutæ Pyrrho se tradunt. Inter cæ- 9
teras etiam Locri, prodito præsidio Romano, ad Pyr-
rhum deficiunt. Ex ea præda Pyrrhus cc captivos mi- 10
lites Romam gratis remisit, ut, cognita virtute ejus,
Romani cognoscerent etiam liberalitatem. Interjectis 11
deinde diebus, quum sociorum exercitus supervenis-
set, iterato prælium cum Romanis facit, in quo par
fortuna priori bello fuit.

II. Interea Mago, dux Carthaginiensium in auxilium 1
Romanorum cum cxx navibus missus senatum adiit,
« ægre tulisse Carthaginienses adfirmans, quod bellum
in Italia a peregrino rege paterentur : ob quam caus- 2

6. *Sed Romanos* etc. Conf. Flor. I, 18, 8; Plin. Hist. Nat. VIII, 6. — *Macedonum monstra.* Quippe a Ptolemæo Cerauno, Macedonum rege, missa XVII, 2, 14. — *Inusitata.* Gron. avus, probante Grævio et Fabro, mavult *invisitata*, Romanis nondum visa; coll. Liv. IV, 33, 1; XXVII, 39, 8, et infra XXV, 1, 6.

7. *Nec hostibus incruenta victoria fuit.* Dionysio Hal. tradente, Lævinus amisit 15,000; Pyrrhus 13,000. — *Majoremque...... habuit.* Idcirco *Bossuet*, *Discours sur l'Histoire Universelle, I part.*, 8 *époque : « Il remporta contre les Romains des victoires qui le ruinaient.* » Quum igitur Pyrrho priorem victoriam quidam gratularentur, *si denuo*, inquit, *ita vicerimus, actum de nobis erit.* ED.

10. *Gratis remisit.* Conf. Cic. Off. I, 12, 6.

11. *Interjectis deinde diebus.* Non diebus interjectis, sed anno; A. U. 474, cujus anni consules, P. Sulpicius Saverrio, P. Decius Mus cum rege conflixerunt prope Asculum Apuliæ. — *Bello.* Hanc vocem de-

sam missum se, ut, quoniam externo hoste oppugna-
3 rentur, externis auxiliis juvarentur. » Gratiæ a senatu
4 Carthaginiensibus actæ, auxiliaque remissa. Sed Mago, Punico ingenio, post paucos dies tacitus, quasi pacificator Carthaginiensium, Pyrrhum adit, speculaturus consilia ejus de Sicilia, quo eum arcessiri fama erat.
5 Nam Romanis eadem caussa mittendi auxilii Carthaginiensibus fuerat, ut Romano bello, ne in Siciliam
6 transire posset Pyrrhus, in Italia detineretur. Dum hæc aguntur, legatus a senatu Romano Fabricius Lus-
7 cinus missus, pacem cum Pyrrho composuit. Ad quam confirmandam Cineas Romam cum ingentibus a Pyrrho donis missus, neminem, cujus domus muneribus
8 pateret, invenit. Huic continentiæ Romanorum simile
9 exemplum iisdem ferme temporibus fuit. Nam missi a senatu in Ægyptum legati quum ingentia sibi a Ptolemæo rege missa munera sprevissent, interjectis diebus, ad cœnam invitatis aureæ coronæ missæ sunt: quas illi honoris caussa receptas, postera die statuis regis impo-

leri vult Faber; coll. XXII, 3, 10.

II. 4. *Arcessiri.* Plures MSS. *arcessi*, ut Med., Paris. *accersi*. At ille infin. conjug. quartæ eodem te reducit, quo *arcessivi*, *arcessitum*.

5. *Nom Romonis... fuerat.* Nam ut Romanis auxilium mitterent, eadem Carthaginiensibus fuerat canssa; nimirum hæc, ut...

7. *Cineas.* Liv. XXXIV, 4. Plutarch. in Pyrrh. 14.

9. *Ptalemæo.* Philadelpho XVII, 2, 9. De re conf. Freinsh. snppl. Liv. XIV, 38. Atque huic quidem regi, quid est apud vos maxime memorabile atque laudahile? interroganti respondit quondam Romanorum legatns: *Romani verentur Deos, parent magistratibus, puniunt vitia*; Cartbaginiensium : *Nobiles nostri exercentur bello, cives labore, sapientes doctrina*; Siculorum : *Apud nos justitia exercetur in judicio; fides in mercatu, æquitos in re civili*; Atheniensium : *Nostra resp. nan patitur divites partium studiosos, non pouperes otiosos, non magistratus imperitos*; Rhodiorum : *Senes nostri sunt venerandi, juvenes modesti, uxores castæ*; Spartanorum : *Spartæ non dominantur avaritia, invidia, desidia*; Sicyoniorum : *Nos quidem civibus nostris non permittimus peregrinationes, nan patimur medicos, qui sanos occidant, nec caussarum patronos et oratores, qui res perturbent.* — *Honoris caussa.* MSS. Bong. *hominis caussa*, unde Freinsh. conjicit *aminis*, non antem, ut ipse vult, mali sed, ut Grævius interpretatur, boni, quum corona

suerunt. Igitur Cineas quum turbatam cum Romanis 10
pacem ab Appio Claudio renuntiasset, interrogatus
a Pyrrho, « qualis Roma esset, » respondit, « regum
urbem sibi visam. » Post hæc legati Siculorum super- 11
veniunt, tradentes Pyrrho totius insulæ imperium,
quæ adsiduis Carthaginiensium bellis vexabatur. Ita- 12
que relicto Locris Alexandro filio, firmatisque socio-
rum civitatibus valido præsidio, in Siciliam exercitum
trajecit.

III. Et quoniam ad Carthaginiensium mentionem 1
ventum est, de origine eorum pauca dicenda sunt,
repetitis Tyriorum paullò altius rebus, quorum casus
etiam dolendi fuerunt. Tyriorum gens condita a Phœ- 2
nicibus fuit : qui terræ motu vexati, relicto patriæ 3
solo, Assyrium stagnum primo, mox mari proximum
litus, incoluerunt, condita ibi urbe, quam a piscium 4
ubertate, Sidona appellaverunt; nam piscem Phœ-
nices Sidon vocant. Post multos deinde annos a rege 5
Ascaloniorum expugnati, navibus appulsi, Tyron ur-
bem ante annum Trojanæ cladis condiderunt. Ibi 6
Persarum bellis diu varieque fatigati, victores quidem
fuere; sed attritis viribus, a servis suis multitudine

victoriæ esset indicium; coll. Liv. XXII, 37, ubi senatus, corona aurea ab Hierone missa, *victoriam omenque se accipere* dixit. — A. U. 480.

10. *Appio Claudio.* Conf. not. ad Cicer. Caton. VI, 2 et 11, 8, et Freinsh. suppl. Liv. XIII, 31; coll. Plutarch. in Pyrrho cap. 18; Cic. Phil. I, 5. — *Regum urbem.* Plutarch. in Pyrrho cap. 42, de senatu tantum, *βασιλέων πολλῶν συνέδριον*; Florus I, 18, 26 : *urbem templum sibi visam, senatum regum esse.* ED.

III. 3. *Assyrium. Assyrium* pro *Syrium*, quod sæpe veteres consueverunt. ED.

4. *Sidon.* Venator, spec. piscator. Sidon ipsa et Tyrus conditæ sunt ab Agenore, Cadmi et Europæ patre, Curt. IV, 5, 15 et 19.

5. *Appulsi.* Gron. avus mavult *appulsis*; coll. Liv. XXX, 19. — *Ante annum Trojanæ cladis.* Joseph. Antiq. VIII, 3, 1, annis fere 250 ante templum Salomonis conditum (173 post Trojam eversam), ergo annis fere 77 ante Trojam eversam.

6. *Persarum.* Faber legit Assyriorum. — *A servis... abundantibus.* Florus III, 12, 15 : *Quid bella servilia! unde nobis, nisi ex abundantia familiarum?* Tacit. Annal. IV, 27 :

7 abundantibus, indigna supplicia perpessi sunt: qui,
conspiratione facta, omnem liberum populum cum
dominis interficiunt; atque ita, potiti urbe, lares do-
minorum occupant, rempublicam invadunt, conjuges
ducunt, et, quod ipsi non erant, liberos procreant.
8 Unus ex tot millibus servorum fuit, qui miti ingenio,
senis domini parvulique filii ejus fortuna moveretur;
dominosque non truci feritate, sed piæ misericordiæ
9 humanitate respiceret. Itaque quum velut occisos alie-
nasset, servisque de statu reipublicæ deliberantibus
placuisset regem ex suo corpore creari, eumque po-
tissimum quasi acceptissimum Diis, qui solem orien-
tem primus vidisset: rem ad Stratonem (hoc enim ei
10 nomen erat) dominum occulte latentem detulit. Ab
eo formatus, quum medio noctis omnes in unum cam-
pum processissent, cæteris in Orientem spectantibus,
11 solus Occidentis regionem intuebatur. Id primum aliis
12 videri furor, in Occidente solis ortum quærere: ubi
vero dies adventare cœpit, editissimisque culminibus
urbis oriens splendere; exspectantibus aliis, ut ipsum
solem adspicerent, hic primus omnibus fulgorem solis
13 in summo fastigio civitatis ostendit. Non servilis in-
genii ratio visa; requirentibusque auctorem, de do-
14 mino confitetur. Tunc intellectum est, quantum inge-
nua servilibus ingenia præstarent; malitiaque servos,
15 non sapientia vincere. Igitur venia seni filioque data
est: et velut numine quodam reservatos arbitrantes,
16 regem Stratonem creaverunt. Post cujus mortem reg-

Urbs trepidat ob multitudinem familiarum, quæ gliscebat immensum, minore in dies plebe ingenua. ED. — Anno mundi 2800.

7. *Liberos.* Ludit auctor in verbo, quod et *Kinder* et *Freie* (*immunis servitute* et *soboles*) significat. — Quamquam in verbo ludere forsan revera noster auctor voluerit, qua quidem conjectura ad majorem Justini laudem abstineo. ED.

9. *Alienasset.* Id est, celasset. ED.

13. *Servilis ingenii.* Quod obtusum vulgo cred., Hom. Od. XVII, 322.

num ad filium, ac deinde ad nepotes transiit. Celebre 17
hoc servorum facinus, metuendumque exemplum toto
orbe terrarum fuit. Itaque Alexander Magnus, quum, 18
interjecto tempore, in Oriente bellum gereret, velut
ultor publicæ securitatis, expugnata eorum urbe,
omnes, qui prælio superfuerant, ob memoriam veteris
cædis crucibus adfixit; genus tantum Stratonis invio- 19
latum servavit, regnumque stirpi ejus restituit, inge-
nuis et innoxiis incolis insulæ attributis, ut, exstirpato
servili germine, genus urbis ex integro conderetur.

IV. Hoc igitur modo Tyrii Alexandri auspiciis con- 1
diti, parcimonia et labore quærendi cito convaluere.
Ante cladem dominorum quum et opibus et multitu- 2
dine abundarent, missa in Africam juventute, Uticam
condidere: quum interim rex Tyro decedit, filio Pyg- 3
malione, et Elissa filia, insignis formæ virgine, here-
dibus institutis. Sed populus Pygmalioni admodum 4
puero regnum tradidit. Elissa quoque Acerbæ avun- 5
culo suo, sacerdoti Herculis, qui honos secundus a
rege erat, nubit. Huic magnæ, sed dissimulatæ opes 6
erant; aurumque, metu regis, non tectis, sed terræ
crediderat: quam rem etsi homines ignorabant, fama 7
tamen loquebatur. Qua incensus Pygmalion, oblitus 8
juris humani, avunculum suum, eumdemque gene-

18. *Crucibus adfixit.* Curt. IV, 4, 16-17: *intra munimenta urbis* 6,000 *armatorum trucidata sunt*: 2,000 *crucibus adfixi.*

IV. 2. *Uticam condidere.* Aristoteles Phœniciorum scriptorum auctoritatem sequutus, annis 287 ante Carthaginem dicit conditam. Conf. Vell. I, 2, 6.

3. *Rex.* MS. Bong. addit *multo*, unde Is. Vossius elicit *Mutgo*, qui Josepho est *Mytgonus*, Liv. XXVI, 21, *Mutines*, aliis historicis *Mettinus.* — *Tyro.* Id est, Tyri, ut XX, 3, 9, Corintho. — *Elissa.* Virgilio est *Dido.*

5. *Acerbæ.* Virgilio Æn. IV, 20, est *Sichæus*, Servio, hujus commentatori *Sicharbas*, unde illud nomen corruptum videtur esse ortum. *Sicharbæ* exhibet §. 14, ed. Paris. et Col. marg. §. 13, ubi ejusd. ed. textus et Med. habent *Sichæi.* — *Herculis.* Conf. XI, 10, 10, et infra cap. 7, 7.

8. *Generum eundem.* Hoc loco non *Schwiegersohn*, *gendre*, sed *Schwager*,

9 rum, sine respectu pietatis occidit. Elissa diu fratrem
propter scelus aversata ad postremum, dissimulato
odio, mitigatoque interim vultu, fugam tacito molitur,
adsumtis quibusdam principibus in societatem, qui-
bus par odium in regem esse, eandemque fugiendi
10 cupiditatem arbitrabatur. Tunc fratrem dolo adgre-
ditur: fingit, « se ad eum migrare velle, ne amplius ei
mariti domus, cupidæ oblivionis, gravem luctus ima-
ginem renovet, nec ultro amara admonitio oculis ejus
11 occurrat. » Non invitus Pygmalion verba sororis au-
divit, existimans cum ea et aurum Acerbæ ad se ven-
12 turum. Sed Elissa ministros migrationis a rege missos,
navibus cum omnibus opibus suis prima vespera
imponit, provectaque in altum, compellit eos onera
arenæ, pro pecunia involucris involuta, in mare de-
13 jicere. Tunc deflens ipsa, lugubrique voce Acerbam
ciet: orat, « ut libens opes suas recipiat, quas reli-
querat; habeatque inferias, quas habuerat caussam
14 mortis. » Tunc ipsos ministros adgreditur: « Sibi qui-
dem ait optatam olim mortem; sed illis acerbos cru-
ciatus, et dira supplicia imminere, qui Acerbæ opes,
quarum spe parricidium rex fecerit, avaritiæ tyranni
14 subtraxerint. » Hoc metu omnibus injecto, comites
fugæ accepit. Junguntur ei senatorum in eam noctem
præparata agmina; atque ita sacris Herculis, cujus sa-
cerdos Acerbas fuerat, repetitis, exsilio sedes quærunt.

Schwestermann, Gallice, *beau-frère*: ut quicumque uxorem alteri dat, aut filiam, aut sororem, ejus gener dicatur. ED.

10. *Ultro*. Emendavit I. M. Heusinger Emend. pag. 202, pro *ultra*, quod ob præc. *amplius* non opus est. — *Ad eum migrare velle*. Dido, cujus maritus sacerdos Herculis fuerat §. 5, habitabat in Tyro vetere XI, 10, 11; Pygmalion contra rex in insula, nova Tyro.

12. *Involucris involuta. Involucris* mihi ut Scheffero glossema videtur. ED.

13. *Reliquerat... habuerat*. Latinitas postulat *reliquerit*, *habuerit*. — *Ciet*. Aut potius, ut constructio constet, *ciens orat*, ut Faber cum Bernecc. corrigit.

V. Primus illis appulsus terræ Cyprus insula fuit: 1
ubi sacerdos Jovis, cum conjuge et liberis, Deorum 2
monitu, comitem se Elissæ sociumque fortunæ offert,
pactus sibi posterisque perpetuum honorem sacer-
dotii. Conditio pro manifesto omine accepta. Mos erat 3
Cypriis, virgines ante nuptias statutis diebus dotalem 4
pecuniam quæsituras, in quæstum ad litus maris mit-
tere, pro reliqua pudicitia libamenta Veneri soluturas.
Harum igitur ex numero LXXX admodum virgines 5
raptas navibus imponi Elissa jubet; ut et juventus
matrimonia, et urbs sobolem, habere posset. Dum 6
hæc aguntur, Pygmalion cognita sororis fuga, quum
impio bello fugientem persequi pararet, ægre preci-
bus matris, et Deorum minis victus, quievit: cui quum 7
inspirati vates canerent, « non impune laturum, si
incrementa urbis toto orbe auspicatissimæ interpel-
lasset, » hoc modo spatium respirandi fugientibus da-
tum. Itaque Elissa delata in Africæ sinum, incolas loci 8
ejus, adventu peregrinorum, mutuarumque rerum
commercio gaudentes, in amicitiam solicitat: deinde 9
empto loco, qui corio bovis tegi posset, in quo fessos
longa navigatione socios, quoad proficisceretur, refi-
cere posset, corium in tenuissimas partes secari jubet,
atque ita majus loci spatium, quam petierat, occupat:
unde postea ei loco Byrsæ nomen fuit. Confluentibus 10

V. 2. *Jovis*. Scheffer. e Servio ad Virg. Æn. I, 447, emendat *Junonis*. — *Offert*. Revocavi ex edd. antiq. pro *præbuit*, quod Grævius, illud probans, in textu reliquit.

4. *Mos erat Cypriis*, etc. Harum progeniem, Carthaginiensium virgines eundem morem servasse tradit Valer. M. II, 6, extr. 15. Idem refert de Lydiis virginibus Herodot. I, 94, et Babyloniis mulieribus I, 199, ubi extr. addit: *Alicubi, nempe in Cypro similis quædam lex est.* — *Reliqua*. In matrimonio ipso servanda.

9. *Byrsæ*. De *Byrsa* vid. not. ad Cornel. fragm. pag. 270, ed. meæ. Annum autem Carthaginis conditæ adpositum margini dedi ex commutatione Gattereri, quum Velleius Paterculus I, 6, 4, annum 65 ante U. C. ponat; Liv. Epitome LI annum

deinde vicinis locorum, qui spe lucri multa hospiti-
11 bus venalia inferebant, sedesque ibi statuentibus, ex
frequentia hominum velut instar civitatis effectum est.
12 Uticensium quoque legati dona, ut consanguineis,
attulerunt; hortatique sunt, urbem ibi conderent,
13 ubi sedes sortiti essent. Sed et Afros detinendi advenas
14 amor cepit. Itaque consentientibus omnibus Carthago
15 conditur, statuto annuo vectigali pro solo urbis. In
primis fundamentis caput bubulum inventum est;
quod auspicium quidem fructuosæ terræ, sed labo-
riosæ, perpetuoque servæ urbis fuit: propter quod in
16 alium locum urbs translata. Ibi quoque equi caput
repertum, bellicosum potentemque populum futurum
17 significans, urbi auspicatam sedem dedit. Tunc ad
opinionem novæ urbis concurrentibus gentibus, brevi
et populus, et civitas magna facta.

1 VI. Quum successu rerum florentes Carthaginis
opes essent, rex Maxitanorum Hiarbas, decem Pœno-
rum principibus ad se arcessitis, Elissæ nuptias sub
2 belli denuntiatione petit: quod legati reginæ referre
metuentes, Punico cum ea ingenio egerunt, nuntian-
tes, « Regem aliquem poscere, qui cultiores victus
3 eum Afrosque perdoceat: sed quem inveniri posse,

fere 93, quippe qui Carthaginem A. U. 607, deletam stetisse tradat annos 700; Noster infra cap. 6, 9, numerat annos 72. — *Tegi*. Antique dictum pro *cingi*, Virgilio Æn. I, 368, *circumdare*, Livio XXXIV, 61, 10, *amplecti*. — Anno ante Urbem conditam 132.

10. *Confluentibus deinde vicinis*. Quum confluerent deinde vicini locorum (vicinorum locorum incolæ).

14. *Annuo vectigali*. Conf. XIX, 1, 3-5; XIX, 2, 4. — Anno ante Urbem conditam 124.

16. *Equi caput*. Adde Virg. Æneid. I, 448. Ejus modi auspicia, ait Berneccerus, in priscis urbibus condendis curiose observata, præter alia exemplo est Roma apud Liv. I, 55, 7. ED.

VI. 1. *Maxitanorum*. edd. antiquæ quatuor *Mauritanorum*; codd. duo *Maurorum*.

2. *Victus*. Edd. antiq. omnes *mores victusque*. — *Eum*. Cæsar diceret *se*; cæteri *ipsum*.

3. *Quem...posse*. Quis possit. Conf. XI, 13, 10.

qui ad Barbaros et ferarum more viventes transire a
consanguineis velit?» Tunc a regina castigati, «si pro 4
salute patriæ asperiorem vitam recusarent, cui etiam
ipsa vita, si res exigat, debeatur;» regis mandata ape-
ruere, dicentes: «Quæ præcipiat aliis, ipsi facienda
esse, si velit urbi consultum esse.» Hoc dolo capta, 5
diu Acerbæ viri nomine cum multis lacrymis et lamen-
tatione flebili invocato, ad postremum, «ituram se,
quo sua et urbis fata vocarent,» respondit. In hoc 6
trium mensium sumto spatio, pyra in ultima parte
urbis exstructa, velut placatura viri manes, inferiasque
ante nuptias missura, multas hostias cædit, et, sumto
gladio, pyram conscendit; atque ita ad populum res- 7
piciens, «ituram se ad virum, sicut præceperant,»
dixit, vitamque gladio finivit. Quamdiu Carthago in- 8
victa fuit, pro Dea culta est. Condita est urbs hæc LXXII 9
annis ante, quam Roma: cujus virtus sicut bello clara 10
fuit, ita domi status variis discordiarum casibus agi-
tatus est. Quum inter cætera mala etiam peste labora- 11
rent, cruenta sacrorum religione, et scelere pro re-
medio usi sunt: quippe homines ut victimas immo- 12
labant; et impuberes (quæ ætas etiam hostium mise-

4. *Facienda esse... consultum esse.* Illud prius *esse* Faber delendum putat, bene. ED.

5. *Ituram... vocarent.* Scilicet ibo, quo mea et urbis fata vocant. Melior igitur et fortior omnium edd. antiq. lectio *sua et*, quam quod recentiores dederunt *suæ*.

7. *Sicut præceperant.* Ald. uncis inclusit. Certe latinitas postulat *præcepissent*.

9. *Condita est urbs hæc.* Respice cap. 5, 9 not. Cæterum mira sententiarum de hujus urbis origine varietas. Alii Trojano bello antiquiorem faciunt annis vel 30, ut Philistus apud Eusebium; vel 50, ut Appianus, iique illius auctorem Didonem fuisse negant: quidam post captam Trojam, antequam Roma conderetur: neque hi in numero annorum consentiunt. Paterc. I, 6, 4, annos quinque et sexaginta ante Romam, vel 93, ut Livius, ab excidio Trojæ 296. ED. — Anno ante Urbem conditam 72.

12. *Homines ut victimas immolabant.* De victimis humanis confer infra XIX, 1, 10: quales et Molocho suo ab Ammonitis oblatas fuisse testantur Ezech. 16, 21; Jer. 7, 31; Ps. 106, 37, et ante hos jam Moses

ricordiam provocat) aris admovebant, pacem Deorum sanguine eorum exposcentes, pro quorum vita Dii rogari maxime solent.

1 VII. Itaque aversis tanto scelere numinibus, quum
in Sicilia diu feliciter dimicassent, translato in Sardiniam bello, amissa majore exercitus parte, gravi
2 prælio victi sunt. Propter quod ducem suum Maleum,
cujus auspiciis et Siciliæ partem domuerant, et adversus Afros magnas res gesserant, cum parte exer-
3 citus, quæ superfuerat, exsulare jusserunt. Quam rem
ægre ferentes milites, legatos Carthaginem mittunt, qui reditum primo, veniamque infelicis militiæ, petant; tum denuntient, « quod precibus nequeant,
4 armis se consequuturos. » Quum et preces et minæ le-
gatorum spretæ essent, interjectis diebus, conscensis
5 navibus, armati ad urbem veniunt : ibi Deos homi-
nesque testati, « non se expugnatum, sed recuperatum patriam venire; ostensurosque civibus suis, non virtutem sibi priore bello, sed fortunam defuisse, »
6 prohibitis commeatibus, obsessaque urbe, in summam
7 desperationem Carthaginienses adduxerunt. Interea
Cartalo, Malei exsulis ducis filius, quum præter castra

Lev. 18, 24; 20, 2-5; coll. Amos. 5, 26; Act. 7, 43. Conf. et Reg. I, 11, 7; Reg. II, 21, 3-4, et cap. 17, 31; de Gallis Cæs. Bell. Gall. VI, 16; Plinius XXX, 1; Dionysius Halicarn. I, 38; Tacit. Germ. 9. — *Pacem Deorum*. Proprie verbum pontificale, ut recte ait Berneccerus. Liv. VII, 2, 1 : *Pacis Deum exposcendæ caussa, lectisternium fuit*. Sil. Ital., lib. XV, v. 439 :

Gramineas parem superum poscebat ad aras. ED.

VII. 2. *Maleum*. Aut potius *Malcum*, sive *Malchum*, ut recte conjecit Is. Vossius, quum hoc sit nomen Phœnicium et Hebraicum (*Melech*, *Malch*). Factum ipsum Orosius IV, 6, qui Trogum sequutus esse videtur, accidisse refert Cyri temporibus.

5. *Testati*. Quod male Bong. mutavit in *testari*, duo MSS. in *testantur*, quodque cohæret cum tempore finito *adduxerunt* Hinc post *defuisse*, colo deleto, distinxi commate.

7. *Quum præter castra* etc. Scilicet quum prope castra patris transiret rediens a Tyro, quo missus fuerat a Carthaginiensibus, ut ferret decimas Herculis ex præda in Sicilia facta a patre ejus. ED. — *Prius publicæ... exsequuturum*. Scilicet vota pro reditu felici exsolvam, quod

patris a Tyro, quo decimas Herculi ferre ex præda
Siciliensi, quam pater ejus ceperat, a Carthaginiensi-
bus missus fuerat, reverteretur, arcessitusque a patre
esset, « Prius publicæ se religionis officia exsequutu-
rum, quam privatæ pietatis, » respondit. Quam rem 8
etsi indigne ferret pater, non tamen vim adferre reli-
gioni ausus est. Interjectis deinde diebus, Cartalo, 9
petito commeatu a populo, quum reversus ad patrem
esset; ornatusque purpura, et infulis sacerdotii, om-
nium se oculis ingereret, tunc in secretum abducto
pater ait : « Aususne es, nefandissimum caput, ista pur- 10
« pura et auro ornatus, in conspectum tot miserorum
« civium venire; et mœsta ac lugentia castra, circum-
« fluentibus quietæ felicitatis insignibus, velut exsul-
« tabundus intrare? Nusquamne te aliis jactare po-
« tuisti? Nullus locus aptior, quam sordes patris, et 11
« exsilii infelicis ærumnæ fuerunt? Quid, quod paullo 12
« ante vocatus, non dico patrem, ducem certe civium
« tuorum, superbe sprevisti? Quid porro tu in pur- 13
« pura ista coronisque aliud, quam victoriarum mea-
« rum titulos geris? Quoniam igitur tu in patre nihil 14
« nisi exsulis nomen agnoscis, ego quoque imperato-
« rem me magis, quam patrem judicabo; statuamque
« in te exemplum, ne quis posthac infelicibus mise-
« riis patris illudat. » Atque ita eum cum ornatu suo, 15
in altissimam crucem in conspectu urbis suffigi jussit.
Post paucos deinde dies Carthaginem capit; evocato- 16
que populo ad concionem, exsilii injuriam queritur :

pertinet ad totam remp., a qua sum missus : te contra salutare est privatæ pietatis, filii pietatem patri præstantis. Herculi autem Tyrio (XI, 10, 10, et XVIII, 4, 5 et 15) omnium redituum decimas transmittere ab initio solitos fuisse Carthaginienses, quippe Tyro ortos, tradit Diodorus XX, 14.

9. *Petito commeatu*. I. e., abeundi licentia ED.

16. *Exsilii injuriam*. Injuriam sibi a civibus illatam, a quibus sit in exsilium pulsus. — *Auctoribus misero-*

belli necessitatem excusat; « contentumque victoria sua, punitis auctoribus miserorum civium, injuriosi
17 exsilii omnibus se veniam dare » dicit. Atque ita decem senatoribus interfectis, urbem legibus suis red-
18 didit. Nec multo post ipse adfectati regni accusatus, duplicis, et in filio et in patria, parricidii pœnas
19 dedit. Huic Mago imperator successit, cujus industria et opes Carthaginiensium, et imperii fines, et bellicæ gloriæ laudes, creverunt.

rum civium. Sunt illi, qui sua sententia cives suos reddiderant miseros, ut non sit, cur cum Vorstio corrigas *miseriæ* civium, aut cum Fabro *miseriarum civilium*. Contra si quid mutandum est, muta cum Peyraredo et Is. Vossio *misertum* pro *miserorum* : contentus victoria mea (sic primum correxit idem ille Peyraredus pro *victoriarum suarum*, quod vitium ortum est ex altero *contemtum* pro *contentum*), punitis auctoribus, *misertus* civium, injuriosi exsilii veniam omnibus dabo.

18. *In patria, parricidii.* Quomodo in patria fuit parricida, quum non nisi sontes senatores decem puniverit, a quibus ipse cum magna exercitus parte injuria gravissima fuerat adfectus?

LIBER XIX.

I. MAGO, Carthaginiensium imperator, quum primus 1
omnium, ordinata disciplina militari, imperium Pœ-
norum condidisset, viresque civitatis, non minus
bellandi arte, quam virtute, firmasset, diem fungitur,
relictis duobus filiis, Hasdrubale et Hamilcare : qui 2
per vestigia paternæ virtutis decurrentes, sicuti generi,
ita et magnitudini patris successerunt. His ducibus 3
Sardiniæ bellum illatum; adversus Afros quoque,
vectigal pro solo urbis multorum annorum repetentes,
dimicatum : sed Afrorum sicuti caussa justior, ita et 4
fortuna superior fuit; bellumque cum his solutione 5
pecuniæ, non armis finitum. In Sardinia quoque 6
Hasdrubal graviter vulneratus, imperio Hamilcari fra-
tri tradito, interiit : cujus mortem, quum luctus civi- 7
tatis, tum et dictaturæ undecim, et triumphi quatuor

I. 1. *Condidisset.* Fundasset, confirmasset ita, ut denuo conditum diei posset. — *Fungitur. Defungitur* edd. antiq. et unus MS.

2. *Magnitudini... successerunt.* Ut XXII, 1, 1.

3. *Vectigal... repetentes.* Respice XVIII, 5, 14; coll. XIX, 2, 4.

7. *Dictaturæ.* Dictator fuit *suffes*, ut ita XXII, 7, 7, *rex*, id est, consul urbanus, explicante Polybio et Livio. Et apud Gellium X, 24, in loco ex Catonis Originibus excitato, Hannibal Carthaginiensium in Italia dux dicitur *dictator*, ut dictatura etiam hoc loco commode explicari possit *ducatus*, *imperium*. — Certe quidem *dictator* explicari potest *ducatus*, *imperium*, eaque mihi sola videtur caussa hujus verbi a Justino ex Romanorum ad Carthaginiensium mores detorti, quod sæpissime similitudinem rerum morumque, potius quam propria cuique genti vocabula respiciens Justinus Noster, Romanorum vocabula, ceteris gentibus attribuit, ut supra II, 11, 15, *prætorium*; infra XXI, 5, 7, *ædiles*, et XXXI, 2, 9, *consulem*. ED. — *Triumphi.* Victoriæ splendidæ more Romanorum. Confer Prolegomena pag. 3, nr. 4. — *Trium-*

8 insignem fecere : hostibus quoque crevere animi,
9 veluti cum duce vires Pœnorum cecidissent. Itaque
Siciliæ populis propter adsiduas Carthaginiensium
injurias, ad Leonidam, fratrem regis Spartanorum,
concurrentibus, grave bellum natum : in quo et diu,
10 et varia victoria prœliatum fuit. Dum hæc aguntur,
legati a Dario, Persarum rege, Carthaginem venerunt,
adferentes edictum, quo Pœni humanas hostias im-
11 molare, et canina vesci prohibebantur; mortuorum-
que corpora cremare potius, quam terra obruere, a
12 rege jubebantur : petentes simul auxilia adversus

phum hoc loco explicans *victoriam splendidam more Romanorum*, hic innuere videtur *Wetzel*, hoc verbum, ut supra *dictaturæ*, ex Romanorum moribus ad Carthaginiensium detorqueri, quasi per catachresin. Quod contra est quoniam hic *triumphus* ex communi ambarum gentium triumphandi more, adsumitur. Suboscura igitur est illa explicatio. Non propter inscitiam tamen peccat *Wetzel*, quoniam ad Proleg. respiciendum esse adjicit, ubi Servius, ad illud verbum Æneid. IV, vers. 37 :

Ductoresque alii quos Africa terra triumphis
Dives ait....

Quidam, inquit, *dicunt Afros nunquam triumphasse : Plin autem Hist. Nat. II, et Pompeius Trogus Afros dicunt pompam triumphi primos invenisse, quam sibi Romani postea vindicaverunt. Liv. autem Andronicus refert eos sæpius de Romanis triumphasse, suasque porticus Romanis spoliis adornasse.* ED.

9. *Leonidam.* Acrotatum, Cleomenis filium, Diod. XIX, 80. — *Concurrentibus* Græv. mavult *decurrentibus*, ex XIV, 2, 6.

10. *Dario.* Hystaspis filio circa A. U. 260. — *Humanas hostias immolare.* Respice XVIII, 6, 12. Quod jam omissum mox ab illis receptum fuisse, apparet ex eo, quod Gelo, Syracusarum tyrannus, Xerxis tempore et hanc fœderis conditionem his fecisse dicitur, ne homines immolarent. Atque longo tempore post, A.U. 444, gravi clade ab Agathocle adfecti quingentos pueros immolasse dicuntur Diodoro XX, 14.

11. *Mortuorumque.* Persæ quum mortuos humarent, non comburerent, ignem cadaveribus pollui credentes, Freiush. ad Curt. III, 13, 15, verbis extremis *a rege jubebantur* deletis, ita sensum constituit : prohibebantur corpora cremare potius, quam terra ubruere, id est, jubebantur terra potius obruere, quam cremare. Hæc constructio cui violentior videri possit, huic adridet forsan Gronovii avi correctio : *cremare, quæ potius terra obruere*, etc., ut *cremare* regatur a præc. *prohibebantur :* aut I. Kirchmaieri (de Fun. Rom. I, 2) sententia statuentis, verba ita transponenda : *mortuorum corpora terra potius obruere, quam cremare a rege jubebantur.* — De re autem confer Plin. VII, 54; et Tacit. Hist. V, 5. ED.

Græciam, cui illaturus bellum Darius erat. Sed Car- 13
thaginienses auxilia negantes, propter adsidua finiti-
morum bella, cæteris, ne per omnia contumaces vi-
derentur, cupide paruere.

II. Interea Hamilcar bello Siciliensi interficitur, 1
relictis tribus filiis, Himilcone, Hannone, Giscone.
Hasdrubali quoque par numerus filiorum fuit, Han- 2
nibal, et Hasdrubal, et Sappho. Per hos res Cartha- 3
giniensium ea tempestate gerebantur. Itaque et Mauris 4
bellum illatum, et adversus Numidas pugnatum, et
Afri compulsi stipendium urbis conditæ Carthagi-
niensibus remittere. Deinde quum familia tanta impe- 5
ratorum gravis liberæ civitati esset, omniaque ipsi
agerent simul et judicarent, centum ex numero se-
natorum judices deliguntur, qui reversis a bello du-
cibus, rationem rerum gestarum exigerent, ut hoc 6
metu ita in bello imperia cogitarent, ut domi judicia

12. *Illaturus... erat.* Cæsus deinde A. U. 264, supra II, 9, 9.

II. 1. *Interficitur.* Cæsus cum majore exercitus parte a Gelone, Himeram ab illo obsessam liberante, cæteram exercitus partem capiente. Aliter Herodotus VII, 165-167. Conf. supra IV, 2, 7, et Diod. XI, 20-26; olymp. 75, 1; A. U. 274.

2. *Hannibal.* Mortuus olymp. 93, 3; A. U. 348, Diod. XIII, 54-62 et 86, qui tamen Gisconis filium dicit, Hamilcaris nepotem, rectius, ut temporum ratio ostendit. — *Sappha.* Is. Vossius corrigit *Psapho*, quod Punicum est nomen, quum illud sit Græcum femininum.

3. *Gerebantur.* MSS. plures codices *regebantur*: impressi quidem *regebatur*. ED.

4. *Remittere.* Respice cap. 1, 3.

5. *Familia tanta imperatorum.* Et quidem hæc: 1, Mago. — 2, Hasdrubal, Hamilcar. — 3, Hannibal; Hasdrubal, Psapho; Himilco, Hanno, Gisco. — *Ex numero senatorum judices deliguntur.* Vides hic, inquit Grævius, quando *judices* sint instituti, et quæ fuerint eorum partes. Illorum potentia postea valde crevit, ut apud Romanos Gracchanis temporibus. Nunquam tamen penes illos fuit summa imperii, ut penes judices Hebræorum, ut putavit vir magnus, Samuel Bochartus in Geographiæ Sacræ tom. II; sed semper penes suffetes et senatum: quamvis *suffetes* significet *judices*. Apud Carthaginienses tamen sic proprie dicebantur summi magistratus, qui Romæ consules erant; ii cum senatu rempublicam regebant. Ab his distinctus erat *judicum* ordo hic institutus: licet *suffetes* etiam dicerentur, ut ex Livio constat. ED.

6. *Cogitarent.* Aptius sane quod

7 legesque respicerent. In Sicilia in locum Hamilcaris,
imperator Himilco succedit: qui quum navali terrestrique bello secunda prælia fecisset, multasque civitates
cepisset, repente pestilentis sideris vi exercitum ami-
8 sit. Quæ res quum nuntiata Carthagini esset, mœsta
civitas fuit: omnia ululatibus, non secus ac si urbs
9 ipsa capta esset, personabant: clausæ privatæ domus,
clausa Deorum templa, intermissa omnia sacra, om-
10 nia privata officia damnata. Cuncti deinde ad portum
congregantur, egredientesque paucos e navibus, qui
11 cladi superfuerant, de suis percontantur. Ut vero
dubia antea spe, et suspenso metu, incerta orbitatis exspectatione, casus suorum miseris eluxit, tunc toto litore plangentium gemitus, tunc infelicium matrum ululatus, et debiles querelæ audiebantur.

1 III. Inter hæc procedit inops e navi sua imperator,
sordida servilique tunica discinctus: ad cujus con-
2 spectum plangentium agmina junguntur. Ipse quoque
manus ad cælum tendens, nunc sortem suam, nunc
3 publicam fortunam deflet; nunc « Deos accusat, qui
tanta belli decora, et tot ornamenta victoriarum, quæ ipsi dederant, abstulerint: qui captis tot urbibus, totiesque hostibus terrestri navalique prælio victis,

G. Major conjicit, *agitarent*. *Agere* enim, indeque frequent. *agitare* imperium loquutio est non infrequens, ut I, 5, 5, et h. c. §. 5. — De re autem, ut hoc metu retenti, respicerent leges et judicia subeunda post bellum, quando cuperent imperare exercitibus. ED.

7. *In locum Hamilcaris... Himilco succedit.* Diod. XIII, 85-86 (Respice not. ad §. 2), Hannibalem illum hac peste periisse scribit, et A. U. 348, Himilconem autem huic socium additum fuisse, XIV, 51, 71, 72. — Anno Urbis 345.

8. — Anno Urbis conditæ 348.

10. *Cladi.* Et pesti et cladi a Dionysio acceptæ. Vide infra ad XX, 1, 1, et supra V, 7, 4.

11. *Ut vero dubia antea spe*, etc. Conf. Tacit. Ann. IV, 63; Liv. XXII, 54, 8.

III. 1. *Inops.* Sine exercitu, cujus majorem partem amiserat. — *Discinctus.* Non cinctus; quod in luctu ingenti per neglectum omnis ornatus fieri solet. ED.

3. *Qui tanta belli decora... quæ ipsi dederant.* Latinitas postulat *dedissent.*

exercitum victorem non bello, sed peste deleverint.
Deferre se tamen civibus suis non modica solatia, 4
quod malis eorum hostes gaudere, non gloriari pos-
sint: quippe quum neque eos, qui mortui sunt, a se 5
occisos, neque eos, qui reversi sunt, a se fugatos pos-
sint dicere. Prædam, quam relictis a se castris abstu- 6
lerint, non esse talem, quam velut spolium victi hostis
ostentent: sed quam possessione vacua, fortuitis do-
minorum mortibus, sicuti caduca occuparint. Quod 7
ad hostes pertinet, victores se recessisse: quod ad
pestem, victos. Nihil tamen se gravius ferre, quam 8
quod inter fortissimos viros mori non potuerit; ser-
vatusque sit, non ad vitæ jucunditatem, sed ad ludi-
brium calamitatis. Quamquam ubi miseras copiarum 9
reliquias Carthaginem reduxerit, se quoque sequutu-
rum commilitones suos; ostensurumque patriæ, non 10
ideo se in eam diem vixisse, quoniam velit vivere: sed
ne hos, quibus nefanda lues pepercerat, inter hos-
tium exercitus relictos, morte sua proderet.» Tali 11
vociferatione per urbem ingressus, ut ad limina do-
mus suæ venit, prosequutam multitudinem velut pos-
tremo adloquio dimisit; obseratisque foribus, ac ne- 12
mine ad se, ne filiis quidem, admissis, mortem sibi
conscivit.

4. *Deferre.* Nuntiare. — *Possint.* Præsens recepi e MS. Bong. pro *possent*. Recta enim oratio quum hoc loco postulet *possunt*, non *poterant*, in obliqua dicendum *possint*, non *possent*.

5. *Mortui sunt... reversi sunt.* Latinitas et hic postulat conjunctivum *sint*, ut §. 3.

6. *Possessione vacua.* Quum vacua possessio sit, quum nullus possessor adsit: Gronov. tamen avus mavult *vacuam*, ut præda dicatur vacua possessione, sive possessore. — *Caduca.* Scil. bona: Gron. tamen idem et hic mavult *caducam* (prædam).

7. *Pertinet.* Latinitas, ut §. 3 et 5, postulat *pertineat*.

10. *Pepercerat.* Latine et hic ut §. 3, 5 et 7, dicendum erat *pepercisset*. — *Proderet.* Desereret, ut XXII, 8, 14; Liv. XXVI, 36, 9; Cæs. de Bell. Civ. I, 30, 5.

12. *Mortem sibi conscivit.* Aut inedia interiit, ut refert Diodorus XIV, 77.

LIBER XX.

1 I. Dionysius, e Sicilia Carthaginiensibus pulsis, occupatoque totius insulæ imperio, grave otium regno suo, periculosamque desidiam tanti exercitus ratus,
2 copias in Italiam trajecit : simul ut militum vires continuo labore acuerentur, et regni fines proferrentur.
3 Prima illi militia adversus Græcos, qui proxima Italici
4 maris litora tenebant, fuit; quibus devictis, finitimos quosque adgreditur, omnesque Græci nominis Italiam
5 possidentes, hostes sibi destinat : quæ gentes non partem, sed universam ferme Italiam, ea tempestate

I. 1. *Carthaginiensibus pulsis.* Hamilcar, Hannibalis illius (vid. not. ad XIX, 2, 7) successor, quomodo Agrigento capto dirutoque, pace æquissima composita, Sicilia cesserit, exponit Diod. XIII, 87-96 et 108-114; olymp. 93, 3 et 4; A. U. 348 et 349. Varia deinde prælia denuo cum Carthaginiensibus commissa per olymp. 94, 3; 95, 2-4, nec non 96, 1; A. U. 352; 355-357 et 358 idem ille describit XIV, 18; 40-77, ubi simul exponit, quomodo Carthaginiensium dux Himilco, et peste et cladibus fractus, ad extremamque desperationem redactus, veniam clam redeundi in patriam magno pretio a Dionysio redemerit cum paucis, reliquis vel fuga dilapsis, vel captis et occisis A. U. 358; simulque luem illam (supra XIX, 2, 7) teterrimam, infestissimam depingit cap. 70-71, qua cap. 76 addit absumta fuisse 150,000, et Himilconem ipsum vitam inedia finiisse. Jam olymp. 96, 4; A. U. 361 Magone, qui bellum renovaverat, victo, Dionysius navigat in Rheginos, Diod. XIV, 90, a quibus repulsus per Lucanos, quibuscum fœdus inierat, debellat Thurios aliasque magnæ Græciæ civitates A. U. 364 et 365, ibid. 100-106. Cætera vid. ad cap. 5. — A. U. 349-358.

2. — Anno Urbis conditæ 361.

3. *Græcos .. tenebant.* Magnæ Græciæ incolas, de quibus optime egit Heynius in Opusc. Acad. vol. II; et brevius pro instituti mei ratione ego ipse *in meinem Hist. Handb.* vol. I, pag. 322-324. — Hi dicti non *Itali*, quomodo prisci et Germani Italiæ populi sed *Italiotæ*, quod essent e Græcia in Italiam adventitii; sicuti *Siciliotas* et *Phthiotas* a Siculis et Phthiis discriminamus. ED.

occupaverant. Denique multæ urbes adhuc post tan- 6
tam vetustatem vestigia Græci moris ostentant. Nam- 7
que Thuscorum populi, qui oram inferi maris possi-
dent, a Lydia venerunt : et Venetos, quos incolas 8
superi maris videmus, capta et expugnata Troja, An-
tenore duce, misit : Hadria quoque Illyrico mari 9
proxima, quæ et Hadriatico mari nomen dedit, Græca
urbs est; et Arpos Diomedes, exciso Ilio, naufragio 10
in ea loca delatus, condidit. Sed et Pisæ in Liguribus 11
Græcos auctores habent : et in Thuscis Tarquinii a
Thessalis, et Spina in Umbris : Perusini quoque ori-
ginem ab Achæis ducunt. Quid Ceren urbem dicam? 12
Quid Latinos populos, qui ab Ænea conditi viden-
tur? Jam Falisci, Nolani, Abellani, nonne Chalciden- 13
sium coloni sunt? Quid tractus omnis Campaniæ? 14
Quid Brutii, Sabinique? Quid Samnites? Quid Taren- 15
tini? quos Lacedæmone profectos, Spuriosque vocatos
accepimus. Thurinorum urbem condidisse Philocte- 16
ten ferunt, ibique adhuc monumentum ejus visitur,
et Herculis sagittæ in Apollinis templo, quæ fatum
Trojæ fuere.

7. *A Lydia.* Tyrrhenos, sive Tyrsenos, duce Tyrrheno, Atyis filio, circa an. 220 ante Trojam eversam, in Italiam ad Umbricos emigrasse refert Herodot. I, 94.

8. *Troja capta misit Venetos.* Troja capta devenerunt Veneti in Italiam, duce Antenore, filio Lyersi, nepote Cleomestræ, Trois filiæ, Ili et Ganymedis sororis. Conf. Virg. Æn. I, 242, et ad hunc locum exc. 7 Heynii; Plin. III, 19; Liv. I, 1.

9. *Hadria.* In Venetis scilicet, ad Tartarum fluvium, inter Padum et Athesim.

10. *Arpos.* Apuliæ oppidum. De *Diomede* respice not. ad XII, 2, 7.

11. *Pisæ.* Inter amnes Auserem et Arnum, ut ait Plinius III, 5, conditæ, Strabone pag. 154 auctore, a Pisatis Peloponnesiacis. — *Spina in Umbris.* Recte ita correx. Is. Vossius pro corrup. *Spinambris.*

12. *Qui conditi sunt.* Ad quos coloniam Trojanorum deduxit Æneas, Virgilii in Æneide heros. Confer Nostri de hoc loca in ind.

15. *Tarentini.* Respice III, 4, 8. — *Spuriosque.* Parthenios, Gallice, *bâtard.*

16. *Thurinorum urbem.* Non Thurios, sed Petiliam Lucaniæ a Philoctete conditam auctor est Strabo VI, pag. 254; coll. Virg. Æn. III,

1 II. Metapontini quoque in templo Minervæ ferra-
menta, quibus Epeus, a quo conditi sunt, equum
2 Trojanum fabricavit, ostentant. Propter quod omnis
3 illa pars Italiæ, *Major Græcia* appellata est. Sed prin-
cipio originum Metapontini cum Sybaritanis et Cro-
toniensibus pellere cæteros Græcos Italia statuerunt.
4 Quum primum urbem Sirim cepissent, in expugna-
tione ejus quinquaginta juvenes amplexos Minervæ
simulacrum, sacerdotemque Deæ velatum ornamentis,
5 inter ipsa altaria trucidaverunt. Ob hæc quum peste
et seditionibus vexarentur, priores Crotonienses Del-
6 phicum oraculum adierunt. Responsum his est, « finem
mali fore, si violatum Minervæ numen, et interfecto-
7 rum manes placassent. » Itaque quum statuas juveni-
bus justæ magnitudinis, et inprimis Minervæ fabri-
care cœpissent, Metapontini, cognito oraculo Deo-
rum, occupandam manium et Deæ pacem rati, juve-
nibus modica et lapidea simulacra ponunt, et Deam
8 panificiis placant. Atque ita pestis utrobique sedata
est, quum alteri magnificentia, alteri velocitate cer-
9 tassent. Recuperata sanitate, non diu Crotonienses
10 quievere. Itaque indignantes, in oppugnatione Siris
auxilium contra se a Locrensibus latum, bellum his
11 intulerunt. Quo metu territi Locrenses ad Spartanos

401; Liv. XXV, 15, 12. — *Herculis sagittæ*. Quas ab Hercule Philoctetes acceperat, et sine quibus Trojam capi non posse oraculum cecinerat, ut pluribus locis ait Sophocles in Philoctete.

II. 1. *Epeus*. Filius Panopei, nepos Phoci, pronepos Æaci, Pausan. II, 29, 4; Hom. Od. VIII, 493; Virg. Æn. II, 264.

2. *Major Græcia*. Seneca ad Helviam cap. 6: *Totum Italiæ latus, quod infero mari alluitur, Major Græcia fuit.* Ad hujus Græciæ differentiam nominat Liv. VII, 26, 19, *Græciam Ulteriorem*, hoc est, vere Græciam; ut hæc sit *Citerior*. ED.

3. *Sybaritanis et Crotoniensibus*. Vid. *mein hist. Handb.* vol. I, pag. 323 et 324, nr. 8 et 10.

4. *Cepissent*. Crotonienses, quod ostendit §. 5 cum Metapontinis §. 7.

7. *Panificiis*. Possis tamen cum Ostertagio conjicere *pannificiis*, quæ quidem melius conveniunt Minervæ.

decurrunt : auxilium supplices deprecantur. Illi lon- 12
ginqua militia gravati, auxilium a Castore et Polluce
petere eos jubent. Neque legati responsum sociæ urbis 13
spreverunt : profectique in proximum templum, facto
sacrificio, auxilium Deorum implorant. Litatis hostiis, 14
obtentoque, ut rebantur, quod petebant, haud secus
læti, quam si Deos ipsos secum avecturi essent, pul-
vinaria iis in navi componunt; faustisque profecti
ominibus, solatia suis pro auxiliis deportant.

III. His cognitis, Crotonienses et ipsi legatos ad 1
oraculum Delphos mittunt, victoriæ facultatem bel-
lique prosperos eventus deprecantes. Responsum, 2
« prius votis hostes, quam armis, vincendos. » Quum 3
vovissent Apollini decimas prædæ, Locrenses et voto
hostium, et responso Dei cognito, nonas voverunt;
tacitamque eam rem habuere, ne votis vincerentur.
Itaque quum in aciem processissent, et Crotoniensium 4
centum viginti millia armatorum constitissent, Lo-
crenses paucitatem suam circumspicientes (nam sola
quindecim millia militum habebant), omissa spe vic-
toriæ, in destinatam mortem conspirant : tantusque 5
ardor ex desperatione singulos cepit, ut victores se
putarent, si non inulti morerentur. Sed dum mori 6
honeste quærunt, feliciter vicerunt : nec alia caussa
victoriæ fuit, quam quod desperaverunt. Pugnantibus 7
Locris, aquila ab acie nunquam recessit, eosque tam

12. *Longinqua militia. Longinquam militiam* mavult. Gron. avus, adprobante Fabro et Grævio. Vid. ind. — *Castore et Polluce*. Tyndari, Spartanorum regis filiis, Diis Spartæ tutelaribus.

III. 4. *Centum viginti millia.* 120,000 : quantus unius civitatis numerus ! quem auget Strabo, 130,000 ponens. Locrenses 15,000, quos minuit idem Strabo, 10,000 his adponens præter Rheginorum auxilia. Conf Cic. Nat. Deor. XI, 2; III, 5; Plut. in Paullo cap. 41. — Prælium autem ad Sagram fluvium commissum fuit. ED.

5. *Tantusque ardor ex desperatione* etc. Conf. Vell. Pat. II, 5, 2; Virg. Æn. II, vers. 354 :

Una salus victis, nullam sperare salutem. ED.

8 diu circumvolavit, quoad vincerent. In cornibus quoque duo juvenes diverso a cæteris armorum habitu, eximia magnitudine, et albis equis, et coccineis paludamentis, pugnare visi sunt, nec ultra apparuerunt,
9 quam pugnatum est. Hanc admirationem auxit incredibilis famæ velocitas. Nam eadem die, qua in Italia pugnatum est, et Corintho, et Athenis, et Lacedæmone nuntiata est victoria.

1 IV. Post hæc Crotoniensibus nulla virtutis exerci-
2 tatio, nulla armorum cura fuit. Oderant enim, quæ infeliciter sumserant; mutassentque vitam luxuria, ni
3 Pythagoras philosophus fuisset. Hic Sami Demarato, locuplete negotiatore, natus, magnisque sapientiæ incrementis formatus, Ægyptum primo, mox Babyloniam ad perdiscendos siderum motus, originemque mundi spectandam, profectus, summam scientiam
4 consequutus erat. Inde regressus Cretam et Lacedæmona, ad cognoscendas Minois et Lycurgi inclytas
5 ea tempestate leges, contenderat. Quibus omnibus instructus, Crotonam venit, populumque in luxuriam lapsum, auctoritate sua ad usum frugalitatis
6 revocavit. Laudabat quotidie virtutem; et vitia luxuriæ, casusque civitatium, ea peste perditarum, enu-

8. *Duo juvenes*. Illi ipsi Tyndaridæ cap. 2, 12. Confer Flor. I, 11, 8. — *Paludamentis*. Sagis imperatoriis. — *Coccineis*. Qualia Spartanorum erant. — *Et albis*. Junt. et cod. Med. *ex albis*, ut Cic. Nat. Deor. II, 2, 7.

9. *Hanc admirationem* etc. Confer supra II, 14, 8-9, et Cicer. Nat. Deor. II, 2, 9; Plin. VII, 22; Plutarch. in Æmilio; Liv. XLV, 1; Valer. Max. I, 8, 1; Flor. II, 12; III, 3 extr. — *Corintho*. Id est, *Corinthi*, ut habet editio Aldina. Confer supra XVIII, 4, 3.

IV. 2. *Pythagoras*. De Pythagora sat copiose egerunt, quicunque philosophiæ historiam enarrarunt. Floruisse autem eum statuit Cicero Tusc. I, 16; IV, 1; Orat. II, 37, 2; Tarquinio Superbo regnante (219-244), Diodorus IX, 21; olymp. 61, 4; anno Urbis 222.

3. *Demarato*. Scribe vel *Marmaco* ex Laertio, vel *Mnesarcho*, quo nomine omnes cæteri scriptores hujus patrem nominant. — *Magnisque... formatus*. Id est, sic institutus et formatus a magistris, ut magnos in sa-

merabat; tantumque studium ad frugalitatem multi- 7
tudinis provocavit, ut aliquos ex his luxuriatos in-
credibile videretur. Matronarum quoque separatam a 8
viris doctrinam, et puerorum a parentibus, frequenter
habuit. Docebat nunc has pudicitiam, et obsequia in 9
viros; nunc illos modestiam, et literarum studium.
Inter hæc velut genitricem virtutum frugalitatem om- 10
nibus ingerebat; consequutusque disputationum ad- 11
siduitate erat, ut matronæ auratas vestes, cæteraque
dignitatis suæ ornamenta, velut instrumenta luxuriæ,
deponerent; eaque omnia delata in Junonis ædem
ipsi Deæ consecrarent, præ se ferentes, vera orna- 12
menta matronarum pudicitiam, non vestes, esse. In 13
juventute quoque quantum profligatum sit, victi fe-
minarum contumaces animi manifestant. Sed ccc ex 14
juvenibus, quum sodalitii juris sacramento quodam
nexi, separatam a cæteris civibus vitam exercerent,
quasi cœtum clandestinæ conjurationis haberent, ci-
vitatem in se converterunt: quæ eos, quum in unam 15
domum convenissent, cremare voluit. In quo tumultu 16
LX ferme periere: cæteri in exsilium profecti. Pytha- 17
goras autem quum annos XX Crotonæ egisset, Meta-
pontum migravit, ibique decessit: cujus tanta admi-
ratio fuit, ut ex domo ejus templum facerent, eum-
que pro Deo colerent.

pientiæ studiis fecisset progressus, conf. XVIII, 3, 10; VIII, 2, 12.

7. *Tantumque... provocavit.* Tantum studium multitudinis ad frugalitatem provocavit, scil. excitavit: Vincent. III, 24, probante I. M. Heusingero in Emend. pag. 202: *tantoque studio ad frugalitatem perdiscendam multitudinem provocavit.*

8. *Separatam.* Idem vir doctus ex suo Vincentio mavult *separatorum*, aut *separatim*. Nec male, ut videtur.

13. *Profligatum sit.* Profecerit Pythagoras. Conf. infra XXII, 8, 1.

14. *Sodalitii juris sacramento.* Vinculo, quo continebatur societas horum, qui coierant. Alia plerarumque edd. lectio *jure* explicanda est: sacramento quodam, sodalitii jure, sive sacramento, quo sodales conjungi solent jure suo.

17. *Decessit.* Vel inedia, quum

1 V. Igitur Dionysius tyrannus, quem supra a Sicilia exercitum in Italiam trajecisse, bellumque Græcis intulisse, memoravimus, expugnatis Locris, Crotonienses, vix vires longo otio ex prioris belli clade
2 resumentes, adgreditur: qui fortius cum paucis tanto exercitui ejus, quam antea cum tot millibus Locren-
3 sium paucitati, restiterunt. Tantum virtutis paupertas adversus insolentes divitias habet, tantoque insperata
4 interdum sperata victoria certior est. Sed Dionysium gerentem bellum legati Gallorum, qui ante menses Romam incenderant, societatem amicitiamque petentes
5 adeunt: « Gentem suam inter hostes ejus positam esse, magnoque usui ei futuram vel in acie bellanti, vel de tergo intentis in prælium hostibus, » adfirmant.
6 Grata legatio Dionysio fuit. Ita pacta societate, et auxiliis Gallorum auctus, bellum velut ex integro
7 restaurat. His autem Gallis caussa in Italiam veniendi, sedesque novas quærendi, intestina discordia, et adsi-
8 duæ domi dissensiones fuere: quarum tædio quum in Italiam venissent, sedibus Thuscos expulerunt; et

ad annos 90 pervenisset, vel interfectus a Syracusanis, dum agrum fabaceum circuit. ED.

V. 1. *Supra*. Cap. 1, 1. — *Resumentes*. At jam olymp. 67, 3; A. U. 244, Sybaritas ab his victos narrat Diod. XII, 9; XI, 90. — *Locris*. Suspicari licet, Nostrum in nomine errasse et *Cauloniatis* Locros substituisse; verba sunt Heynii Opusc. vol. II, pag. 56. *Locris* enim ob concessum tyrannum indulsisse, refert Diod. XIV, 107; coll. XLIV, olymp. 98, 1; A. U. 366; *Rheginos* contra, duce Phytone, diu resistentes, tandem ad deditionem coactos fuisse, idem addit Diodorus cap. 111-112, anno Urbis conditæ 367; de *Crotoniensibus* autem nihil habet.

4. *Ante menses*. Scheffer. addi vult *sex* ex Flor. I, 13, 15, quippe quæ syllaba facile omitti potuerit ob similitudinem antec. *ses*. Is. Vossius mavult *mensem*. — *Gallorum*. Vid. Nostri de his loca in ind., et conf. Diod. XIV, 113-117; Liv. V, 41. — Anno Urbis 365.

6. *Bellum... restaurat*. In MSS. quum sit, *ex integro relinquit. Restauratis autem Gallis*, inde Is. Vossius elicit, *belli velut ex integro reliquias instaurat*.

7. *Intestina discordia, et adsiduæ domi dissensiones*. Confer Liv. II, 16, 3; Senec. ad Helv. 6; Tacit. de Moribus Germ. 29.

Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vicentiam condiderunt. Thusci quoque, 9
duce Rhæto, avitis sedibus amissis, Alpes occupavere; et ex nomine ducis gentes Rhætorum condiderunt.
Sed Dionysium in Siciliam adventus Carthaginiensium 10
revocavit : qui reparato exercitu, bellum, quod hic deseruerant, auctis viribus repetebant. Dux belli 11
Hanno Carthaginiensis erat : cujus inimicus Suniatus, 12
potentissimus ea tempestate Pœnorum, quum odio ejus, Græcis literis, Dionysio adventum exercitus, et segnitiem ducis familiariter prænuntiasset, comprehensis epistolis, proditionis damnatur : facto senatus- 13
consulto, « ne quis postea Carthaginiensis, aut literis Græcis, aut sermoni studeret; ne aut loqui cum hoste, aut scribere sine interprete posset. » Nec multo post 14
Dionysius, quem paullo ante non Sicilia, non Italia capiebat, adsiduis belli certaminibus victus fractusque, insidiis ad postremum suorum interficitur.

10. *Sed Dionysium* etc. Diodor. XV, 14-17, olymp. 99; 1 et 2, anno Urbis conditæ 370 et 371, bellum refert, cujus caussa fuerit tyrannus, quodque, duce Magonis filio, felicissime ab hostibus gestum mille talentis redimere sit coactus.

14. *Interficitur.* Vide Cornel. in Dione cap. 2, et Diodor XV, 73-74; Cic. Nat. Deor. III, 35; Plin. I, 8, 53. — Anno Urbis conditæ 386.

LIBER XXI.

1 I. Exstincto in Sicilia Dionysio tyranno, in locum
ejus milites maximum natu ex filiis ejus, nomine Dio-
2 nysium, suffecere, et naturæ jus sequuti, et quod
firmius futurum esse regnum, si penes unum reman-
sisset, quam si portionibus inter plures filios divide-
3 retur, arbitrabantur. Sed Dionysius inter initia regni,
avunculos fratrum suorum, veluti æmulos imperii
sui, hortatoresque puerorum ad divisionem regni, tol-
4 lere gestiebat. Qua re paullisper dissimulata animum
prius ad favorem popularium conciliandum intendit:
excusatius facturus quod statuerat, si probatus ante
5 omnibus foret. Igitur nexorum tria millia e carcere
dimittit, tributa populo per triennium remittit; et
quibuscunque delinimentis potest, animos omnium
6 solicitat. Tunc ad destinatum facinus conversus non
cognatos tantum fratrum, sed etiam ipsos interficit:

I. 2. *Naturæ jus.* Bene, quamquam plerique vett. *naturam jus.* ED. — Respice XVI, 2, 7; II, 10, 2; XXXIV, 3, 7; XLI, 5, 11; coll. XXXIX, 3, 3. Verborum autem constructio hæc est: milites suffecere, sequuti (qui sequebantur, quod sequebantur), et quod arbitrabantur: pro quibus duobus verbis posterioribus auctor, si sibi constare voluisset, ponere debuisset, *arbitrati.*

3. *Avunculos fratrum suorum.* In his Dionem, qui non Dionysii ipsius, sed ejus fratrum avunculus erat. Dionysius enim pater ex Aristomache, Dionis sorore procreaverat Hipparinum et Nysæum; ex Doride Dionysium hunc, Corn. X, 1, 1; Diod. XVI, 6; Plutarch. in Dion. 3. Dion autem jam cum moribundo illo Dionysio colloqui voluerat de partiendo regno, quod sororis suæ filios ex illo natos partem regni putabat debere habere, Corn. X, 2, 4.

4. *Facturus.* Putans se facturum esse. Confer XIV, 1, 7.

5. *Tributa populo per triennium remittit. Fratres revocat*, addit editio Juntina.

ut, quibus consortium regni debebat, ne spiritus quidem consortium relinqueret, tyrannidem in suos prius, quam in exteros auspicatus.

II. Sublatis deinde æmulis, in segnitiem lapsus, 1
saginam corporis ex nimia luxuria, oculorumque valetudinem contraxit; adeo ut non solem, non pulverem, non denique splendorem ferre lucis ipsius posset.
Propter quæ dum contemni se putat, sævitia grassa- 2
tur; nec ut pater carcerem nexis, sed cædibus civitatem replet. Ob quæ non contemtior omnibus, quam 3
invisior fuit. Itaque quum bellum adversus eum Syra- 4
cusani decrevissent, diu dubitavit, imperium deponeret, an bello resisteret. Sed a militibus, prædam et 5
urbis direptionem sperantibus, descendere in prælium cogitur. Victus, quum iterato non felicius fortu- 6
nam tentasset, legatos ad Syracusanos mittit, spondens, « se depositurum tyrannidem, si mitterent ad eum, quibuscum sibi de pace conveniret. » In quam 7
rem missos primores in carcere retinet, atque ita incautis omnibus, nec quicquam hostile metuentibus, exercitum ad delendam civitatem mittit. Fit igitur in 8
ipsa urbe anceps prælium; in quo oppidanis multitudine superantibus, Dionysius pellitur: qui quum obsidionem arcis timeret, cum omni regio adparatu

6. *Consortium regni... spiritus quidem consortium.* Ne te *consortium* repetitum offendat, conferre te jubet Grævius XXIII, 2, 8, quem potius sequor, quam Schefferum, qui posterius deleri volebat, aut Fabrum, qui, illo deleto, corrigebat *spiritum.* Sensum autem verborum Grævius recte constituit hunc: qui debebant esse cum ipso heredes regni, hos ne communis quidem hujus vitæ usura frui pateretur: seu, qui debebant cum ipso regnare, eos ipsos ne vivere quidem secum sineret.

II. 1. *Sublatis deinde* etc. Confer Diod. XVI, 5, olymp. 105, 2; A U. 395. — *Saginam.* Conf. XXXIV, 2, 7; XXXVIII, 8, 14; Ælian IX, 13. — *Oculorumque valetudinem.* Ita Livius XXII, 34, 2. Vide supra notam ad XII, 2, 1. KH.

2. *Nexis* Cap. 1, 5.

3. *Ob quæ... fuit.* Qua sævitia non minorem invidiam sibi contraxit, quam antea luxuria contemtum sibi contraxerat.

9 in Italiam profugit tacitus. Exsul a Locrensibus sociis exceptus, velut jure regnaret, arcem occupat; soli-
10 tamque sibi sævitiam exercet. Conjuges principum ad stuprum rapi jubebat: virgines ante nuptias abducebat, stupratasque sponsis reddebat: locupletissimos quosque aut civitate pellebat, aut occidi imperabat, bonaque eorum invadebat.

1 III. Dein quum rapinæ occasio deesset, universam
2 civitatem callido commento circumvenit. Quum Rheginorum tyranni Leophronis bello Locrenses premerentur, voverant, si victores forent, ut die festo Ve-
3 neris virgines suas prostituerent. Quo voto intermisso, quum adversa bella cum Lucanis gererent, in con-
4 cionem eos Dionysius vocat: hortatur, « ut uxores filiasque suas in templum Veneris, quam possint ornatissimas, mittant: ex quibus sorte ductæ centum, voto publico fungantur; religionisque gratia, uno stent in lupanari mense, omnibus ante juratis viris,

8. *In Italiam profugit.* Pulsus a Dione an. 398, quem ipse antea 396 in Peloponnesum pepulerat, Diod. XVI, 6; Cornel. X, 4-5; Diodor. XVI, 9, 13 et 16-20, postquam ille 12 annos Syracusarum tyrannidem tennerat, Diod. XV, 73 extr.

9. *Locrensibus.* Unde ipsius mater Doris orta erat, Diodor. XVI, 6. Conf. supra not. ad XX, 5, 1. — Anno Urbis 398.

III. 1. *Callido commento.* Diodorus nihil de illa sævitia, nec quicquam de hoc sævo commento tyranni commemorans tradit, Dionysio in Italiam pulso (vid. not. ad cap. 2, 8) Dionem summa omnium civium gratia florentem, summum imperium Syracusarum adeptum esse (XVI, 16-20; A. U. 398); hoc autem anno 400, a mercenariis militibus occiso, Callippum imperium sibi arripuisse cap. 31, quo eum exuerit an. 401 Hipparinus, tyranni pulsi frater cap. 36: quomodo contra Callippus et Leptines an. 403, Rheginos a Dionysii tyrannide liberarint cap. 45: quo ad postremum modo Dionysius, qui interea ex Italia Syracusas redierat (an. 408), tum ab Hiceta, Syracusarum principe, Carthaginiensium amico, tum a Timoleonte, a Corinthiis auxilio Syracusanis contra tyrannos misso (an. 408), in urbe expugnata, ab hoc Corinthiorum duce coactus sit, imperio deposito, privatus Corinthum abire, anno Urbis 411, cap. 65-70.

2. *Die festo Veneris.* Ἀφροδίσια sunt Athenæo lib. III et IV. *Veneralia* quidam interpretantur sicut *Bacchanalia*, *Saturnalia*. — *Voverant... ut.* Usitata Nostro constructio. ED.

ne quis ullam attaminet. Quæ res ne virginibus, voto 5
civitatem solventibus, fraudi esset, decretum facerent, ne qua virgo nuberet prius, quam illæ maritis
traderentur. » Probato consilio, quo et superstitioni 6
et pudicitiæ virginum consulebatur, certatim omnes feminæ impensius exornatæ, in templum Veneris conveniunt: quas omnes Dionysius, immissis militibus, 7
spoliat, ornamentaque matronarum in prædam suam vertit. Quarundam viros ditiores interficit, quasdam 8
ad prodendas virorum pecunias torquet. Quum his 9
artibus per annos sex regnasset, conspiratione Locrorum civitate pulsus, in Siciliam redit. Ibi Syracusas 10
securis omnibus, post longam intercapedinem pacis, per proditionem recepit.

IV. Dum hæc in Sicilia geruntur, interim in Africa 1
princeps Carthaginiensium Hanno opes suas, quibus vires reipublicæ superabat, ad occupandam dominationem intendit, regnumque invadere, interfecto senatu, conatus est. Cui sceleri solennem nuptiarum 2
diem filiæ suæ legit, ut religione votorum, nefanda commenta facilius tegerentur. Itaque plebi epulas in 3
publicis porticibus, senatui in domo sua parat, ut poculis veneno infectis, secretius senatum, et sine arbitris, interficeret, orbamque rempublicam facilius invaderet. Qua re magistratibus per ministros prodita, 4
scelus declinatum, non vindicatum est, ne in viro tam potenti plus negotii faceret res cognita, quam

5. *Maritis*. *Viris*, quod est in uno codice, præfert Schefferus.

9. *Sex*. Pulsus e Sicilia an. 398 (vid. not. ad cap. 2, 8, et h. c. ad §. 1), huc anno demum 408 reversus non *sex*, sed *decem* annos in Italia regnavit: nisi velis hoc de Rheginorum imperio explicare, quo eum anno jam 403, id est, sexto postquam Sicilia cesserat, exulum fuisse dixi not. ad §. 1.

10. *Proditionem*. Tres edd. antiq. *conditionem*. — Anno Urbis 408.

IV. 1. *Hanno*. Idem qui XX, 5, 11; cujus facinus Nostro soli commemoratum ex Nostro repetit Orosius, lib. IV, 6.

4. *Res cognita*. Conf. Tacit. Ann.

5 cogitata. Contenti itaque cohibuisse, decreto modum
nuptiarum sumtibus statuunt; idque observari non
ab uno, sed ab universis jubent, ne persona desig-
6 nata, sed vitia correcta viderentur. Hoc consilio præ-
ventus, iterum servitia concitat, statutaque rursus
cædium die, quum denuo se proditum videret, timens
judicium, munitum quoddam castellum cum viginti
7 millibus servorum armatis occupat. Ibi dum Afros
regemque Maurorum concitat, capitur, virgisque
cæsus, effossis oculis, et manibus cruribusque fractis,
velut a singulis membris pœnæ exigerentur, in con-
spectu populi occiditur: corpus verberibus lacerum
8 in cruce figitur. Filii quoque cognatique omnes, etiam
innoxii, supplicio traduntur, ne quisquam aut ad imi-
tandum scelus, aut ad mortem ulciscendam, ex tam
nefaria domo superesset.

1 V. Interea Dionysius Syracusis receptus, quum gra-
vior crudeliorque in dies civitati esset, iterata conspi-
2 ratione, obsidetur. Tunc deposito imperio, arcem
Syracusanis cum exercitu tradit; receptoque privato
3 instrumento, Corinthum in exsilium proficiscitur. Ibi
humillima quæque tutissima existimans, in sordidissi-

XIV, 6; Hist. IV, 56; Xenoph. Hell. II, 1. — De re autem, ne si vir tam potens videret suum crimen omnibus cognitum, tunc (exsolutis frænis) majus reipublicæ periculum faceret, quam quum illud crimen (dubius adhuc) meditaretur ED.

5. *Correcta.* Edd antiq. septem *correpta*, gravius, quam res fert. Confer, verbi caussa, Horat. Serm. II, 3, v. 257.

7. *Afros... Maurorum.* Conf XIX, 2, 4. — *Lacerum.* MSS. plures *laceratum.* Confer XXII, 7, 10, et Plin. VIII, 16. — *In cruce.* Plures Edd. *in crucem.* ED.

8. *Scelus.* Edd. antiq. sex *facinus.*

V. 1. *Interea Dionysius* etc Respice not. extr. ad cap. 3, 1, et confer Cic. ad Att. IX, 9; Tusc. III, 12; Valer. Max. VI, 9; Quintil. VIII, 6. — *Receptus.* Syracusis receptus Dionysius dici potest, qui urbem recep. cap. 3, 10: quæ quidem posterior phrasis ipsa inest in lect. duorum codd. *receptis*, quod ipsum Gron. pater conjecerat.

2. *Receptoque.* Id est, excepto, retento, ut *servus receptitius* apud Gell. XVII, 6; Cic. Or. II, 55, 10.

3. *Humillima quæque tutissima.* Ita Senec Epist. 105: *Multi in contemptu*

mum vitæ genus descendit : non contentus in publico 4
vagari, sed potare : nec conspici in popinis lupanaribusque, sed totis diebus desidere : cum perditissimo 5
quoque de minimis rebus disceptare, pannosus et
squalidus incedere : risum libentius præbere, quam 6
captare : in macello perstare; quod emere non poterat, oculis devorare : apud ædiles adversus lenones 7
jurgari; omniaque ista facere, ut contemnendus magis, quam metuendus, videretur. Novissime ludima- 8
gistrum professus, pueros in trivio docebat, ut aut a
timentibus semper in publico videretur, aut a non
timentibus facilius contemneretur. Nam licet tyran- 9
nicis vitiis semper abundaret, tamen simulatio hæc
vitiorum, non naturæ erat; magisque hæc arte, quam
amisso regali pudore faciebat, expertus, quam invisa
tyrannorum forent etiam sine opibus nomina. Labo- 10
rabat itaque invidiam præteritorum contemtu præsentium demere : neque honesta, sed tuta consilia
circumspiciebat. Inter has tamen simulationum artes 11
insimulatus est adfectatæ tyrannidis; nec aliter quam
dum contemnitur, liberatus est.

remedii caussa delituerunt, etc. ED. — Anno Urbis 411.

7. *Ædiles*. Quorum curæ commissa erant omnia ædificia publica, indeque et popinæ lenonum. — *Jurgari*. Modii MSS. *jurgare*, ut Cicero Republ. IV : *Si jurgant, benivolorum concertatio est*. ED.

8. *Ludimagistrum*. Edd. antiquæ quinque et MSS. Bong. addunt *se*, bene; nisi malis cum' uno cod. legere *ludimagisterium*. — *Trivio*. Id est, in publico, non quo sensu posterioribus temporibus *trivium* et *quadrivium* adhiberi solitum fuit. Vid. *mein. Hist. Handb*. vol. II, pag. 357. — *Contemneretur*. Non ita contemnendum Dionysium finxerat sibi recentior philosophus quum de eo exclamat : *Oui, j'aime mieux cent fois le roi de Syracuse, maître d'école à Corinthe, et le roi de Macédaine, greffier à Rome, qu'un malheureux Tarquin ne sachant que devenir s'il ne règne pas.... J. J. Rousseau, Émile*. ED.

9. *Non naturæ erat*. Hæc vitiorum simulatio non erat *naturæ*, scilicet, ut Freinsh. malebat, *natura* : cui oppositum *ars*, hoc sensu : etsi, quum rex (tyrannus) fuisset, indeque quæ pudenda sibi, regalique suæ quondam dignitati essent, probe sciret; tamen contemtam illam personam agere maluit, quam ullo

1 VI. Inter hæc Carthaginienses tanto successu rerum
Alexandri Magni exterriti, verentes, ne Persico regno
et Africam vellet adjungere, mittunt ad speculandos
ejus animos Hamilcarem cognomento Rhodanum,
virum solertia facundiaque præter cæteros insignem.
2 Augebant enim metum et Tyrus urbs, auctor originis
3 suæ, capta : et Alexandria, æmula Carthaginis, in
4 terminis Africæ et Ægypti condita : et felicitas regis,
apud quem nec cupiditas, nec fortuna ullo modo ter-
5 minabantur. Igitur Hamilcar, per Parmenionem aditu
regis obtento, profugisse se ad regem expulsum patria
6 fingit, militemque se expeditionis offert. Atque ita
consiliis ejus exploratis, in tabellis ligneis, vacua de-
super cera inducta, civibus suis omnia perscribebat.
7 Sed Carthaginienses post mortem regis reversum in
patriam, quasi urbem regi venditasset, non ingrato
tantum, verum etiam invido et crudeli animo, neca-
verunt.

modo timendus cuipiam, vitæ periculum incurrere.

VI. 1. *Carthaginienses.* A quibus Babylonem legatos missos esse, Alexandrum ibi opperturos, supra jam Noster retulit XII, 13, 1. — *Rhodanum.* MSS. variant in *Rodonum*, *Rodonem*, *Rodinum*. ED.

2. *Tyrus urbs, auctor originis suæ.* XVIII, 3-5. — *Capta.* XI, 10, 10-14, an. 422.

3. *Alexandria... condita.* A. U. 423, supra XI, 11, 13.

5. *Parmenionem.* Ergo ante annum Urbis 425; coll. XII, 5, 3. Ergo quum hoc circa an. 423 factum esse velit Noster, ipse vides, quam adcurate §. 1, dixerit *inter hæc*, quum hoc an. 424, gestum accidisse dicat inter aliud tempus, an. 411 seqq., positum.

7. *Invido.* Quod recep. ex Junt. et Ald. Grævius, idem explicat : invidebant ei hanc laudem, quam ex legatione tam pulchre pro re patriæ gesta sibi pepererat. — Anno Urbis conditæ 430.

LIBER XXII.

I. Agathocles, Siciliæ tyrannus, qui magnitudini prio- 1
ris Dionysii successit, ad regni majestatem ex humili
et sordido genere pervenit. Quippe in Sicilia patre 2
figulo natus, non honestiorem pueritiam, quam prin-
cipia originis, habuit, siquidem forma et corporis 3
pulchritudine egregius, diu vitam stupri patientia
exhibuit. Annos deinde pubertatis egressus, libidinem 4
a viris ad feminas transtulit. Post hæc apud utrumque 5

I. 1. Vides ex A. U. 437, ad finem hujusnotæ adscripto, aliquot ex anno inde 411, quo Dionysius pulsus fuerat, ad hunc usque præterlapsos esse, quos Noster plane præterit. Timoleon enim (vid. not. ad XXI, 3, 1), de cujus vita exposuit Plutarchus, brevius Cornelius Nepos, quem Noster ne nominat quidem, quum ingenti ardore immensisque laboribus per annos 412-415, variis domitis tyrannis, et Carthaginiensibus iteratis cladibus adfectis, libertatem toti Siciliæ reddidisset (quod per singulos annos exponit Diodorus, et quidem an. 412, lib. XVI, cap. 72-73; an. 414, cap. 77-81; an. 415, cap. 82-83); vir ille optimus, imperio deposito, privatus ad annum usque 417 vixit, omnium, si quis alius, amore dignus et gratia florens, Diod. XVI, 90. Atque ab hoc inde, quo hic decesserat, anno 417 ad hunc usque, quem infra adscripsi 437, ergo per 20 fere annos, Syracusæ libertate per Corinthium ducem parta fruitæ sunt, quam subvertit Agathocles ex duce factus tyrannus, ut Dionysius pater, de quo supra lib. XX. De vita Agathoclis ad tyrannidem usque occupatam acta, de qua Noster hoc loco cap. 1-2 agit, egit Diod. XIX, 2-9; coll. Polyb. XII, 6. Successit hic quidem Dionysio posteriori, si tempus spectas, magnitudine autem imperii comparandus cum priore, quem 120,000 pedites, 12,000 equites et 400 naves Carthaginiensibus opposuisse tradit Diodorus II, 5. — Anno Urbis 437.

2. *Figulo.* Plutarch. in Apophth. pag. 92, edit. Hutten.; Auson. Epigramm. VIII.

3. *Forma... egregius.* Diod. XIX, 2, τήν τε ὄψιν εὐπρεπὴς καὶ τὸ σῶμα εὔρωστος. Exhibuit vitam patientia stupri, stuprum patiens ipse, scil. ut Ald. habet, *patientem*. Diod. XIX, 3, Damantem nominat, nobilem Carthaginiensium ducem, qui quidem Agathoclis amore incensus, in bello Agrigentino chiliarchum hunc constituerit.

6 sexum famosus vitam latrociniis mutavit. Interjecto
tempore, quum Syracusas concessisset, adscitusque
7 in civitatem inter incolas esset, diu sine fide fuit; quo-
niam nec in fortunis quod amitteret, nec in verecun-
8 dia quod inquinaret, habere videbatur : in summa,
gregariam militiam sortitus, non minus tunc seditiosa
quam antea turpi vita, in omne facinus promtissimus
9 erat. Nam et manu strenuus, et in concionibus perfa-
10 cundus habebatur. Brevi itaque centurio, ac deinceps
11 tribunus militum factus est. Primo bello adversus
Ætnæos magna experimenta sui Syracusanis dedit.
12 Sequenti Campanorum, tantam de se spem omnibus
fecit, ut in locum demortui ducis Damasconis suffi-
13 ceretur. Cujus uxorem adulterio cognitam post mor-
14 tem viri in matrimonium recepit. Nec contentus, quod
ex inope repente dives factus esset, piraticam adver-
15 sus patriam exercuit. Saluti ei fuit, quod socii capti
16 tortique de illo negaverunt. Bis occupare imperium
Syracusarum voluit : bis in exsilium actus est.

5. *Vitam... mutavit.* Mire dictum pro *sustentavit.* Vita enim ipsa non mutatur latrociniis, quum et latro vivat. — Hic nil mirum : *vita* est pro *vitæ genus.* ED.

6. *Interjecto tempore.* Diod. XIX, 2, patrem Rhegio pulsum Thermis Siciliæ consedisse narrat, deinde cum puero Syracusas migrasse, ubi an. 414, a Timoleonte in civitatem sit receptus. Ergo quæ §. 3-5 narravit, facta demum sunt Syracusis, non, ut Noster confuse narrat, Thermis. Cætera quoque suo more Noster effert. — *Adscitusque in civitatem.* Ut apud Liv. XXIII, 51, *adscitus in patriam*; apud Diodor. XIX, 2, πολιτογραφηθείς. Illam lect., quam Gron. avus conjecit, exhibent Ald. et Junt.: vulgo *accitus.*

10. *Centurio... tribunus militum.* Ἑκατοντάρχης, χιλίαρχος.

11. *Ætnæos.* Incolas Ætnæ (Ennæ) oppidi, Ætnæ monti impositi, *Inessæ* ante appellati. — *Sui Syracusanis.* Hæc, ait Bongarsius, usque ad *locum* absunt a bonis libris : quia tamen sine iis manca esset oratio, et in uno MS. reperiuntur, nihil mutare ausus est Bongarsius, quamvis ea valde suspecta sint. ED.

12. *Campanorum.* Gron. avus corrigere te jubet *Campano* (bello), non necessario, quum *Campanorum* sit contra Campanos, ut III, 6, 10; XV, 4, 21. Hos autem loca quædam in Sicilia tenuisse, testatur Diodor. XVI, 68. — *Damasconis.* Quem *Damantem* nominat Diod. XIX, 3.

13. *Adulterio cognitam.* Nihil de

II. A Murgantinis, apud quos exsulabat, odio Syra- 1
cusanorum, primo prætor, mox dux creatur. In eo 2
bello et urbem Leontinorum capit, et patriam suam
Syracusas obsidere cœpit: ad cujus auxilium Hamilcar, 3
dux Pœnorum, imploratus, depositis hostilibus odiis,
præsidia militum mittit. Ita uno eodemque tempore 4
Syracusæ et ab hoste, civili amore defensæ, et a cive,
hostili odio impugnatæ sunt. Sed Agathocles, quum 5
videret fortius defendi urbem, quam oppugnari, pre-
cibus per internuntios Hamilcarem exorat, ut inter se
et Syracusanos pacis arbitria suscipiat, peculiaria in
ipsum officia sua repromittens. Qua spe impletus 6
Hamilcar societatem cum eo, metu potentiæ ejus,
jungit: ut, quantum virium Agathocli adversus Syracu-
sanos dedisset, tantum ipse ad incrementa domesticæ
potentiæ reciperaret. Igitur non pax tantum Agathocli 7
conciliatur, verum etiam prætor Syracusis constituitur.
Tunc Hamilcari, expositis ignibus cereis tactisque, in 8
obsequia Pœnorum jurat. Deinde acceptis ab eo quin- 9
que millibus Afrorum, potentissimos quosque ex prin-

hoc Diodorus, qui eum, hac bonorum mariti herede uxore ducta ditissimum eum factum esse narrat.

II. 1. *A Murgantinis.* Aliter Diodorus XIX, 5-6, qui præterea nihil de his habet, quæ hoc loco §. 3, seqq. narrantur; contra narrat, ab Agathocle, Murgantinorum militum duce, senatum Syracusanum sexcentorum dolo circumventum, una cum aliis quatuor millibus fuisse trucidatum, et sex millia patria fuisse ejecta cap. 6-8. Ab his quum Agrigentini, Geloi et Messenii excitati bellum movissent A. U. 440; pacem inter hos et Agathoclem composuit Hamilcar cap. 70-72.

6. *Metu potentiæ ejus.* Duo MSS. *mutuæ potentiæ jungit*; bene sane.

8. *Expositis ignibus cereis tactisque.* Jam tangens ignes cereos expositos jurat Hamilcari, se obsequi velle Pœnis. Hunc sensum commodum quum verba præbeant, non video, cur confugiamus ad aliorum correctiones, quum v. c. Gronov. avus, quem Is. Vossius et Faber sunt sequuti, cum Sebisio corrigat *Cereris* pro *cereis*: quam tamen correctionem confirmat cod. Med. et Juven. XIV, 218-219; aut cum Peyraredo *sacris*, coll. Liv. XX, 1, 4; aut cum Grævio denique: *tunc Hamilcari aris positis, et ignibus Cereris tactisque*, etc.; coll. Virg. Æn. XII, 102 Longius a vulg. abit Boxhornii correctio: *expositis conditionibus fœderis pactisque*, vel *pacisque*; coll. XXX, 3, 8.

10 cipibus interficit : atque ita veluti reipublicæ statum
formaturus, populum in theatrum ad concionem vo-
cari jubet, contracto in gymnasio senatu, quasi quæ-
11 dam prius ordinaturus. Sic compositis rebus, immissis
12 militibus populum obsidet, senatum trucidat : cujus
peracta cæde, ex plebe quoque locupletissimos et
promtissimos interficit.

1 III. His ita gestis, militem legit, exercitumque con-
scribit : quo instructus, finitimas civitates, nihil hos-
2 tile metuentes, ex improviso adgreditur. Pœnorum
quoque socios, permittente Hamilcare, fœde vexat :
propter quod querelas Carthaginem socii non tam de
3 Agathocle, quam de Hamilcare, detulerunt : « Hunc
ut dominum et tyrannum, illum ut proditorem ar-
guentes : a quo infestissimo hosti, fortunæ sociorum,
4 interposita pactione, donatæ sint : sicut ab initio Sy-
racusæ in pignus societatis sint traditæ, urbs semper
Pœnis infesta, et de imperio Siciliæ Carthaginis æmula :
nunc insuper civitates sociorum eidem titulo pacis
5 addictas. Denuntiare igitur se, hæc brevi ad ipsos
redundatura, ac propediem sensuros, quantum malum
6 non Siciliæ magis, quam ipsi Africæ, attulerint. » His
querelis senatus in Hamilcarem accenditur. Sed quo-
niam in imperio esset, tacita de eo suffragia tulerunt,

10. *Atque ita*. De hoc paragrapho, sequentique, vide quæ notavi ad §. 1. — *Gymnasio*. Timoleontis, Diod. XIX, 6. Quidam *Gymnasium*.

12. *Promtissimos*. *Quosque* addunt edd. quatuor. antiq. omisso ante *quoque*, bene.

III. 2. *Vexat*. *Injuriis* addunt edd. antiq.

3. *Hunc... arguentes*. Arguentes illum (Hamilcarem), ut proditorem, qui interposita pactione (cap. 2, 6) fortunas sociorum (Siciliæ civitatum cum Pœnis societate conjunctarum) donarit Agathocli, infestissimo hosti.

4. *Carthaginis æmula*. Quod tota hujus civitatis historia ostendit, cujus quidem brevem conspectum dedi *in meinem Hist. Handb.* vol. II, pag. 265-268.

5. *Malum*. *Mali*, quod et Gronovius avus malebat, habent editiones quinque antiquæ.

et sententias, priusquam recitarentur, in urnam con-
jectas, obsignari jusserunt, dum alter Hamilcar, Gis-
conis filius, a Sicilia reverteretur. Sed hæc callida 7
commenta Pœnorum, et sententias inauditas mors
Hamilcaris prævenit; liberatusque est fati munere,
quem sui per injuriam cives inauditum damnaverant.
Quæ res Agathocli adversus Pœnos occasionem mo- 8
vendi belli dedit. Prima igitur illi cum Hamilcare 9
Gisconis filio prælii congressio fuit: a quo victus,
majore mole reparaturus bellum, Syracusas concessit.
Sed secundi certaminis eadem fortuna, quæ et prio- 10
ris, fuit.

IV. Quum igitur victores Pœni Syracusas obsidione 1
cinxissent, Agathoclesque se nec viribus parem, ne-
que ad obsidionem ferendam instructum videret;
super hæc a sociis, crudelitate ejus offensis, desertus
esset, statuit bellum in Africam transferre, mira pror- 2
sus audacia, ut, quibus in solo urbis suæ par non
erat, eorum urbi bellum inferret, et qui sua tueri non
poterat, impugnaret aliena; victusque victoribus in-

6. *A Sicilia*. Freinsh. legit *in Siciliam*, recte.

7. *Hæc callida commenta... prævenit*. Hunc locum in multis editionibus solicitatum sic bene restituit Grævius ex Juntis. Capitolinus in Gordianis cap. 12, tradit quale fuerit etiam apud Romanos, *senatusconsultum tacitum*. ED. — *Per injuriam*. Quum sociorum vexationem fœdam permiserit §. 2: quamquam per injuriam damnatus dici potest, quum inauditus (causa non cognita, at satis omnibus aperta, indeque non cognoscenda) sit damnatus. Cæterum *sententiæ inauditæ* sunt ipsa illa tacita suffragia §. 6.

8. *Movendi belli*. De variis præliis, variaque in his Agathoclis fortuna narrat Diodorus XIX, 65, et cap. 70-72, 102-104, 106-110; XX, 3-18, et cap. 29-34, 38-44, 54-72, 77-79, 89-90, per annos U. C. 439, 440, 442-449.

10. *Secundi certaminis eadem fortuna*. Confer Diod. XIX, 108-110. Anno Urbis 443.

IV. 1. *Quum igitur victores* etc. Conf. Diod. XX, 3-18, A. U. 444. — *Neque*. Correxit Grævius pro *quod*, aut, quod in editione Bongarsiana est, *cum*.

2. *Audacia*. Aut potius insigni prudentia imperatoris. Nam eodem plane modo ante hunc Pericles Spartanos ex Attica recedere coegerat,

3 sultaret. Hujus consilii non minus admirabile silentium, quam commentum, fuit, populo hoc solum professus, « invenisse se victoriæ viam : animos illi tantum in brevem obsidionis patientiam firmarent : vel, si cui status præsentis fortunæ displiceret, dare
4 se ei discedendi liberam potestatem. » Quum mille sexcenti discessissent, cæteros ad obsidionis necessitatem frumento et stipendio instruit : quinquaginta tantum secum talenta ad præsentem usum aufert, cætera ex hoste melius, quam ex sociis paraturus.
5 Omnes deinde servos militaris ætatis, libertate donatos sacramento adegit, eosque, et majorem partem ferme militum, navibus imponit; ratus, exæquata utriusque ordinis conditione, mutuam inter eos virtutis æmulationem futuram : cæteros omnes ad tutelam patriæ reliquit.

1 V. Septimo igitur imperii anno, comitibus duobus adultis filiis, Archagatho et Heraclida, nullo militum sciente quo veheretur, cursum in Africam dirigit.
2 Quum omnes aut in Italiam prædatum se, aut in Sardiniam ituros crederent, tum primum, exposito in

ut bellum ipse io Peloponnesum traosferret; et post huoc Scipio *Africani* nomen longe spleodissimum eo adeptus est, ot Hannibalem, hostem gravissimum ex Italia retraheret, bello in Africam translato. Atque in recentiori populorum Europæorum historia multa suot multorum insignium imperatorum exempla idem confirmantia.

3. *Fortunæ*. Groo. avus mavult *fortuna* casu oominativo, ut *status* sit genitivus.

4. *Mille sexcenti*. Quos per conductitios interfecit, eorumqoe bona sibi arripoit. Vide Diodorum XX, 4. — *Paraturus*. Putans scilicet se paraturum esse, ut XXI, 1, 4.

5. *Eosque, et majorem partem*. MSS. Plures *eosque ex majore parte*, nec male ED. — *Exæquata... conditione*. Quom et militum et servorum cooditionem exæquasset, servos libertate donatos io militum ordioem recepisset. — *Reliquit*. Conf. Diod. XX, 4.

V. 1. *Veheretur*. *Veherentur* Venet., Ald., Col. et Burm. *Veheretur* autem legimus pro *vehatur*, latinitate postulante, ut §. 3, *superesset* pro *supersit*, præcedente præsenti. Constantiæ caussa edd. antiq omnes pro *patiantur* dederuot *paterentur*. — Anno Urbis 444.

Africæ litore exercitu, consilium suum omnibus aperit. Quo in loco Syracusæ positæ sint, ostendit : « Qui- 3
bus aliud nullum auxilium superesset, quam ut hostibus faciant, quæ ipsi patiantur. Quippe aliter domi, 4
aliter foris, bella tractari. Domi ea sola auxilia esse, quæ patriæ vires subministrent : foris hostem etiam suis viribus vinci, deficientibus sociis, et odio diuturni imperii extera auxilia circumspicientibus. Huc 5
accedere, quod urbes, castellaque Africæ, non muris cinctæ, non in montibus positæ sint, sed in planis campis, sine ullis munimentis, jaceant : quas omnes metu excidii facile ad belli societatem perlici posse.
Majus igitur Carthaginiensibus ab ipsa Africa, quam 6
ex Sicilia, exarsurum bellum, coituraque auxilia omnium adversus unam urbem, nomine quam opibus ampliorem, et quas non attulerit vires, inde sumturum. Nec in repentino Pœnorum metu modicum mo- 7
mentum victoriæ fore, qui tanta audacia hostium perculsi, trepidaturi sint. Accessura et villarum incendia, 8
castellorum, urbiumque contumacium direptionem, tum ipsius Carthaginis obsidionem. Quibus omnibus 9
non sibi tantum in alios, sed et aliis in se sentient patere bella. His non solum Pœnos vinci, sed et Sici- 10
liam liberari posse. Nec enim moraturos in ejus obsi-

3. *Quibus aliud nullum auxilium* etc. Cum hac Agathoclis adhortatione confer orationem Mithridatis apud *Racine*, *Mithridate*, *act. III*, pr. ED.

5. *Quod urbes, castellaque... sine ullis munimentis.* Hac de re conf. *Montesquieu*, *Grandeur et Décadence des Romains*, *chap. IV* : « *La plupart des villes d'Afrique étant peu fortifiées, se rendaient d'abord à quicanque se présentait pour les prendre : aussi tous ceux qui y débarquèrent, Agathocle, Régulus, Scipion, mirent-ils d'abord Carthage au désespoir.* ED.

9. *Sentient.* Ita si ipse auctor scripsit, constructione excidisse dicendus est. Ald. tamen et Venet. habent *sentirent.* Latinitatis autem constructio postulat *sensuros.* Sensus orationis directæ hic est : his omnibus factis sentient, scil cognoscent hostes, non se solum nobis inferre posse bella, sed nos etiam ipsis.

10. *Ejus.* Siciliæ : quum *sua ur-*

11 dione hostes, quum sua urgeantur. Nusquam igitur alibi facilius bellum, sed nec prædam uberiorem inveniri posse. Nam, capta Carthagine, omnem Africam
12 Siciliamque præmium victorum fore. Gloriam certe tam honestæ militiæ tantam in omne ævum futuram, ut terminari nullo tempore oblivione possit : ut dicatur, eos solos mortalium esse, qui bella, quæ domi ferre non poterant, ad hostes transtulerint, victique victores insequuti sint, et obsessores urbis suæ obse-
13 derint. Omnibus igitur forti ac læto animo bellum ineundum, quo nullum aliud possit aut præmium victoribus uberius, aut victis monumentum illustrius dare. »

1 VI. His quidem adhortationibus animi militum erigebantur : sed terrebat eos portenti religio, quod na-
2 vigantibus eis sol defecerat. Cujus rei rationem non minore cura rex, quam belli, reddebat, adfirmans, « si prius, quam proficiscerentur, factum esset, crediturum adversum profecturos prodigium esse : nunc, quia egressis acciderit, illis, ad quos eatur, porten-

geantur, quum in sua ipsi terra graviter obsideantur.

12. *Poterant.* Latinitas postulat *possent.* Aute Faber apte corrigit *nulla temporis oblivione.* — *Victique.* In MSS. pluribus legitur *utroque.* ED.

13. *Quo... dare.* Quod, inquit, victoribus vobis præmium dabit uberrimum, victis monumentum illustrissimum.

VI. 1. *Sol defecerat.* Olymp. 117, 3, A. U. 444, die 15 Augusti hora postmeridiana secunda, calculis astronomorum supputantibus.

2. *Cujus rei rationem... reddebat.* Ita sæpius Romanorum Græcorumve duces callide infausta omina eluserunt : inprimis Scipio in ejusdem Africæ litore : de quo *Montesquieu*, *Politique des Romains dans la Religion :* « *Si par hasard quelque mauvais présage avait épouvanté l'armée, un habile général en convertissait le sens, et se le rendait favorable. Ainsi Scipion, qui tomba en sautant de son vaisseau sur le rivage d'Afrique, prit de la terre dans ses mains : « Je te tiens*, dit-il, *ô terre d'Afrique! » et par ces mots il rendit heureux un présage qui avait paru si funeste.* » ED. — *Profecturos.* Sic Gronov. avus et Græv., quod regatur ab adjecto *adversum*, quum male latine dicatur : prodigium est adversus me; latine contra : est mihi adversum. Nunc, inquit, quia nobis egressis (patria) accidit prodigium, illis ad quos itur (contra quos proficiscimur) portendit (adversa).

dere. Porro defectus naturalium siderum semper præ- 3
sentem rerum statum mutare; certumque esse, florentibus Carthaginiensium opibus, adversisque rebus
suis, commutationem significari. » Sic consolatis mili- 4
tibus, universas naves, consentiente exercitu, incendi jubet, ut omnes scirent, auxilio fugæ ademto, aut
vincendum, aut moriendum esse. Deinde quum om- 5
nia, quacunque ingrederentur, prosternerent, villas castellaque incenderent, obvius eis fuit cum xxx millibus Pœnorum Hanno : sed prælio commisso, duo 6
de Siculis, tria millia de Pœnis cum ipso duce cecidere. Hac victoria et Siculorum animi eriguntur, et 7
Pœnorum franguntur. Agathocles, victis hostibus, 8
urbes castellaque expugnat, prædas ingentes agit, hostium multa millia trucidat. Castra deinde in quinto 9
lapide a Carthagine statuit, ut damna carissimarum rerum, vastitatemque agrorum, et incendia villarum de muris ipsius urbis specularentur. Interea ingens 10
tota Africa deleti Pœnorum exercitus fama, occupatarumque urbium, divulgatur. Stupor itaque omnes 11
et admiratio incessit, unde tanto imperio tam subitum bellum, præsertim ab hoste jam victo: admiratio deinde paullatim in contemtum Pœnorum vertitur. Nec multo post non Afri tantum, verum etiam urbes 12
nobilissimæ, novitatem sequutæ, ad Agathoclem defecere; frumentoque et stipendio victorem instruxere.

VII. His Pœnorum malis etiam deletus in Sicilia 1
cum imperatore exercitus, velut quidam ærumnarum

3. *Naturalium.* Faber mavult *naturales*, ut sint defectus naturales, non sidera naturalia.

5. *Prosternerent. Tempestatis instar*, ut VI, 2, 16, et VII, 4, 1. Non erat igitur, cur Grævius ex XXIV, 4, 6, mallet *protererent*.

6. *Tria millia.* Confer Diod. XX, 9-14, ubi cap. 13, cecidisse ex Græcis dicit ducentos, ex Pœnis autem mille. — Anno Urbis conditæ 444.

12. *Urbes. Urbes tributariæ* Aldina, Juntina, ut cap. 7, 3.

2 cumulus, accessit. Nam post profectionem a Sicilia Agathoclis, in obsidione Syracusarum Pœni segniores redditi, ab Antandro, fratre regis Agathoclis, occi-
3 dione cæsi nuntiabantur. Itaque quum domi forisque eadem fortuna Carthaginiensium esset, jam non tributariæ tantum ab his urbes, verum etiam socii reges deficiebant, amicitiarum jura non fide, sed successu
4 ponderantes. Erat inter cæteros rex Cyrenarum Opheltas, qui spe improba regnum totius Africæ amplexus, societatem cum Agathocle per legatos junxerat, pactusque cum eo fuerat, ut Siciliæ illi, sibi Africæ im-
5 perium, victis Carthaginiensibus, cederet. Itaque, quum ad belli societatem cum ingenti exercitu ipse venisset, Agathocles blando adloquio, et humili adulatione, quum sæpius simul cœnassent, adoptatusque
6 filius ejus ab Ophelta esset, incautum interficit; occupatoque exercitu ejus, iterato Carthaginienses, omnibus viribus bellum cientes, magno utriusque exerci-
7 tus sanguine, gravi prælio superat. Hoc certaminis discrimine tanta desperatio illata Pœnis est, ut, nisi in exercitu Agathoclis orta seditio fuisset, transiturus ad eum Bomilcar, rex Pœnorum, cum exercitu fuerit.
8 Ob quam noxam in medio foro a Pœnis patibulo suffixus est: ut idem locus monumentum suppliciorum ejus esset, qui ante fuerat ornamentum honorum.

VII, 2. *Cæsi.* In his ipse dux Hamilcar, cujus cæsi caput ad Agathoclem mittebatur, cæteris per plateas tractis. Confer Diod. XX, 15-16, et cap. 29-30, h. l. infra cap. 8, 2.

3. *Amicitiarum.* Societatis. — Anno Urbis 444-445.

4. *Opheltas.* Ita pro vulg. *Aphellas* (cæteri variant in *Affellas, Ophellas, Offellas, Ofelas*) recepi ex Ald. et Junt., nec non ex Plutarcho et Pausania. — *Spe improba regnum... amplexus.* Sperans amplum regnum. Confer Diod. XX, 40-42, A. U. 446, ubi scribitur *Ophellas.*

5. — Anno Urbis 446.

7. *Bomilcar.* Confer Diod. XX, 43-44; coll. cap. 12. — *Rex.* Respice XIX, 1, 7.

8. *Ut idem locus* etc. Ita Manlius, Capitolii servator, adfectati regni condemnatus, *de saxo Tarpeio deji-*

Sed Bomilcar magno animo crudelitatem civium tulit; 9
adeo ut de summa cruce, veluti de tribunali, in Pœ-
norum scelera concionaretur; objectans illis, nunc 10
« Hannonem falsa adfectati regni invidia circumven-
tum : » nunc « Gisconis innocentis exsilium : » nunc
« in Hamilcarem patruum suum tacita suffragia, quod
Agathoclem socium illis facere, quam hostem malue-
rit. » Hæc quum in maxima populi concione vocife- 11
ratus esset, exspiravit.

VIII. Interea Agathocles, profligatis in Africa rebus, 1
tradito Archagatho filio exercitu, in Siciliam recurrit,
nihil actum in Africa existimans, si amplius Syracusæ
obsiderentur. Nam post occisum Hamilcarem, Gisco- 2
nis filium, novus eo a Pœnis missus exercitus fuerat.
Statim igitur primo adventu ejus omnes Siciliæ urbes, 3
auditis rebus, quas in Africa gesserat, certatim se ei
tradunt : atque ita pulsis e Sicilia Pœnis, totius in-
sulæ imperium occupavit. In Africam deinde reversus, 4
seditione militum excipitur. Nam stipendiorum solu-
tio in adventum patris dilata a filio fuerat. Igitur ad 5
concionem vocatos blandis verbis permulsit : « Sti-
pendia illis non a se flagitanda esse, sed ab hoste
quærenda : communem victoriam, communem præ-
dam, futuram. Paullum modo adniterentur, dum belli 6

citur; locusque idem in uno homine, et eximiæ gloriæ monimentum, et pœnæ ultimæ fuit; Liv. VI, 20.
Tu ne saurais cacher sa peine à sa victoire, ait Valerio Horatius pater, filio patrocinans, apud nostrum *Corneille*, *Horace*, *act. V*, *sc.* 3. ED. — Anno Urbis 446.

9. *Crudelitatem*. Quomodo crudeles Pœni, patriæ proditorem patibulo suffigentes?

10. *Hannonem*. Respice XXI, 4. — *Gisconis*. De cujus exsilio nihil supra est memoratum. — *Hamilcarem*. Cap. 2 et 3.

VIII. 1. *Archagatho*. Conf Diod. XX, 54-72 et 77-79. Ἀρχ-αγαθός, sive Ἀγαθ-άρχος. — *Profligatis*. Felicissime gestis, penitus confectis, ut XX, 4, 13; coll. Ernesti clave Cic. — Anno Urbis 447.

2. *Hamilcarem*. Respice not. ad cap. 7, 2; coll. cap. 3, 9.

4. *Reversus* Scilicet revocatus rebus filii adversis. Hac de re autem confer Diod. XX, 57-63.

reliquiæ peragantur, quum sciant, Carthaginem cap-
7 tam spes omnium expleturam. » Sedato militari tu-
multu, interjectis diebus ad castra hostium exercitum
ducit : ibi inconsultius prælium committendo, majo-
8 rem partem exercitus perdidit. Quum itaque in castra
fugisset, versamque in se invidiam temere commissi
belli videret, pristinamque offensam non depensi sti-
pendii metueret, concubia nocte solus a castris cum
9 Archagatho filio profugit. Quod ubi milites cognovere,
haud secus, quam si ab hoste capti essent, trepida-
vere : « Bis se a rege suo in mediis hostibus relictos
esse, » proclamantes : « salutemque suam desertam ab
eo esse, quorum ne sepultura quidem relinquenda
10 fuerit. » Quum persequi regem vellent, a Numidis ex-
cepti in castra revertuntur, comprehenso tamen re-
ductoque Archagatho, qui a patre noctis errore dis-
11 cesserat. Agathocles autem navibus, quibus reversus
a Sicilia fuerat, cum custodibus earundem Syracusas
12 defertur. Exemplum flagitii singulare, rex exercitus

7. *Partem exercitus perdidit*. Conf. Diod. XX, 64-67.

8. *Concubia nocte*. A media nocte initium diei ducebant Romani, cujus partes erant : mediæ noctis inclinatio, gallicinium, conticinium, diluculum, mane, vespera, prima fax, concubia, et intempesta nox; sic dicta, quia non habet tempus idoneum rebus gerendis. ED. — De re autem confer Diodorum XX, 68-69.

9. *Trepidavere... proclamantes*. Geminus huic locus occurrit apud Curtium III, quum, Alexandro in Cilicia ægrotante, flentes milites conqueruntur, *instare Darium, victorem antequam vidisset hostem : sibi easdem terras, quas victores peragrassent repetendas : omnia aut ipsos, aut hostes populatos : per vastas solitudines, etiam si nemo insequi velit, euntes, fame atque inopia debellari posse : quem signum daturum fugientibus?* etc. ED.

10. *A Numidis excepti*. Numidarum insidias passi. — Cic. ad Att. VII, Epist. 22 : *De Pompeio suo nihil, eumque nisi in navim se contulerit, exceptum iri puto;* auctor Bell. Alexand. 10 : *Nonnulli ab equitibus hostium sunt excepti;* Sueton. Tib. III : *Quasi exceptos supprimerent non solum viatores*, etc. Confer etiam Virgil. Eclog. III, 17 :

Non ego te vidi Damonis pessime caprum
Excipere insidiis... ED.

11. *Reversus*. Latinius cod. Flor. habet *reverterat*.

sui desertor, filiorumque pater proditor. Interim in 13
Africa post fugam regis, milites pactione cum hostibus facta, interfectis Agathoclis liberis, Carthaginiensibus se tradidere. Archagathus quum occideretur ab Arce- 14
silao, amico antea patris, rogavit eum, « quidnam liberis ejus facturum Agathoclem putet, per quem ipse liberis careat? » Tunc respondit, « satis habere se, quod superstites eos esse Agathoclis liberis sciat. » Post hæc Pœni ad persequendum belli reliquias, 15
duces in Siciliam miserunt, cum quibus Agathocles pacem æquis conditionibus fecit.

14. *Quidnam liberis* etc. Quid, inquit, liberis tuis faciet pater meus, per te orbatus me filio? Cæterum tyrannum in Sicilia sævissime in omnes grassatum scribit Diodor. XX, 71-72.

15. *Fecit.* Hac de re autem confer Diodorum XX, 77-79. — Anno Urbis conditæ 448.

LIBER XXIII.

1 I. Agathocles, rex Siciliæ, pacificatus cum Carthaginiensibus, partem civitatium a se fiducia virium dis-
2 sidentium armis subegit. Dein quasi angustis insulæ terminis clauderetur, cujus imperii partem primis incrementis ne speraverat quidem, in Italiam transcendit, exemplum Dionysii sequutus, qui multas ci-
3 vitates Italiæ subegerat. Primi igitur hostes illi Brutii fuere, qui et fortissimi tum, et opulentissimi vide-
4 bantur, simul et ad injurias vicinorum promti. Nam
5 multas civitates Græci nominis Italia expulerant: auctores quoque suos Lucanos bello vicerant, et pacem
6 cum his, æquis legibus, fecerant. Tanta feritas ani-
7 morum erat, ut nec origini suæ parcerent. Namque Lucani iisdem legibus liberos suos, quibus et Spartani,
8 instituere soliti erant. Quippe ab initio pubertatis in sylvis inter pastores habebantur, sine ministerio servili, sine veste, quam induerent, vel cui incubarent; ut a primis annis duritiæ parcimoniæque, sine ullo
9 usu urbis, adsuescerent. Cibus his præda venatica;

I. 1. *Rex.* Regis autem nomen et insignia suscepisse regisque superbiam factis demonstrasse narrat Diod. XX, 54, A. U. 447.

2. *Subegerat.* Respice XX, 1.

3. *Brutii.* Diod. XXI, fragm. 5, ubi eruptione Ethis, urbe sua, facta 4,000 hujus militum occidunt eumque Syracusas refugere cogunt. *Crotone* potitur fraude ibid. fragm. 7, A. U. 455. — A. U. 453.

5. *Æquis legibus.* Ut §. 14, *æquo jure.* — *Auctores suos.* Originis suæ auctores §. 13.

8. *Sine veste.* Grævius conjicit *una veste. Juvenibus* certe *Spartanis una veste uti permisit* Lycurgus III, 3, 5. — *Quam induerent.* MSS. *induerentur*, pro *induerent se*, quod quidem usitatum est, adhibito passivo pro activo cum nomine reciproco, ut apud optimos auctores. ED.

potus aut lactis, aut fontium liquor erat. Sic ad labores 10
bellicos indurabantur. Horum igitur ex numero quin-
quaginta primo ex agris finitimorum prædari soliti,
confluente deinde multitudine, solicitati præda, quum
plures facti essent, infestas regiones reddebant. Itaque 11
fatigatus querelis sociorum Dionysius, Siciliæ tyran-
nus, sexcentos Afros ad compescendos eos miserat:
quorum castellum, proditum sibi per Brutiam mulie- 12
rem, expugnaverunt; ibique civitatem, concurrenti-
bus ad opinionem novæ urbis pastoribus, statuerunt,
Brutiosque se ex nomine mulieris vocaverunt. Pri- 13
mum illis cum Lucanis, originis suæ auctoribus, bel-
lum fuit. Qua victoria erecti quum pacem æquo jure 14
fecissent, cæteros finitimos armis subegerunt; tan-
tasque opes brevi consequuti sunt, ut perniciosi etiam
regibus haberentur. Denique Alexander, rex Epiri, 15
quum in auxilium Græcarum civitatium, cum magno
exercitu, in Italiam venisset, cum omnibus copiis ab
his deletus est. Quare feritas eorum successu felicitatis 16
incensa, diu terribilis finitimis fuit. Ad postremum 17
imploratus Agathocles, spe ampliandi regni, e Sicilia
in Italiam trajecit.

II. Principio adventus ejus opinione concussi, lega- 1
tos ad eum, societatem amicitiamque petentes, mise-
runt. Quos Agathocles ad cœnam invitatos, ne exer- 2
citum trajici viderent, in posterum statuta his die,
conscensa nave frustratus est. Sed fraudis haud lætus 3
eventus fuit; siquidem reverti eum in Siciliam, inter-

12. *Ex nomine mulieris.* Strabo contra refert Brutios lingua Lucanica appellatos fuisse *rebelles*.

14. *Qua.* Medic. cod. *cujus* (belli) *victoria.* — *Regibus.* Scilicet tyrannis Siculis §. 1.

15. *Denique Alexander*, etc. Respice XII, 1-2; XVIII, 1, 2. — Anno Urbis 423.

17. — Anno Urbis 453.

II. 1. *Opinione.* Fama, ut cap. 1, 12. Altera autem hæc est tyranni in Brutios expeditio, de qua Diodor. XXI, fragm. 15.

4 jectis paucis diebus, vis morbi coegit: quo toto corpore comprehensus, per omnes nervos articulosque humore pestifero grassante, velut intestino singulo-
5 rum membrorum bello, impugnabatur. Ex qua desperatione bellum inter filium nepotemque ejus, regnum jam quasi mortui vindicantes, oritur; occisoque filio,
6 regnum nepos occupavit. Igitur Agathocles, quum morbi cura et ægritudo graviores essent, et inter se alterum alterius malo cresceret, desperatis rebus, uxorem suam Texenam, genitosque ex ea duos parvulos, cum omni pecunia, et familia, regalique instrumento, quo præter illum nemo regum ditior fuit, navibus impositos, Ægyptum, unde uxorem acceperat, remittit; timens, ne prædonem regni sui hostem
7 paterentur. Quamquam uxor diu, ne ab ægro divelleretur, deprecata est, ne discessus suus adjungi nepotis parricidio posset, et tam cruente hæc deseruisse virum,
8 quam ille impugnasse avum, videretur: « Nubendo se non prosperæ tantum, sed omnis fortunæ inisse societatem: nec invitam periculo spiritus sui emturam, ut extremos viri spiritus exciperet, et exsequia-

3. *Vis morbi.* Effecta veneno, quod ipsi ejusque filio Agathocli miscuerat Mænon, ut Archagathum, Archagathi in Africa occisi (XXII, 8, 14) filium, tyranni nepotem, avo successorem constitueret, quem tamen paullo post et ipsum dolo occidit, narrante Diodoro XXI, fragm. 19, A. U. 465, olymp. 122, 4, anno imperii 28, ætatis 72. Hinc vides, hunc a Nostri narratione discedere §. 5.

4. — Anno Urbis conditæ 465.

5. *Vindicantes.* Ita conjicit Grævius pro *vindicantibus* quod est in MSS., et optime quidem ex grammaticæ canonibus; sed abs necessitate forsan, si constructionem illam Nostro usitatam esse recorderis, ut liquet ex nota ad II, 3, 16. ED.

6. *Quum morbi... graviores essent.* Freinsh. correx. *morbo;* Gron. avus: *morbus cura et ægritudine ingravesceret*, aptius et melius, quam Grævius: *morbus, cura ægritudo graviores essent.*

7. *Discessus... posset.* Discessus suus tam detestabilis esset et haberetur, ac parricidium nepotis, ut hæc sequentibus verbis explicantur.

8. *Nubendo se* etc. Confer Tacit. III, 34, 6, Plutarch. in Bruto cap. 19; coll. Tacit. III, 15, 2; Vell. II, 67, 2.

rum officium, in quod, profecta se, nemo sit succes-
surus, obsequio debitæ pietatis impleret. » Discedentes 9
parvuli flebili ululatu amplexi patrem tenebant. Ex
altera parte uxor maritum non amplius visura, osculis
fatigabat. Nec minus senis lacrymæ miserabiles erant.
Flebant hi morientem patrem, ille exsules liberos : 10
hi discessu suo solitudinem patris, ægri senis; ille in
spem regni susceptos relinqui in egestate lugebat.
Inter hæc regia omnis, adsistentium fletibus tam cru- 11
delis discidii impleta, resonabat. Tandem finem lacry- 12
mis necessitas profectionis imposuit, et mors regis
proficiscentes filios insequuta est. Dum hæc aguntur, 13
Carthaginienses, cognitis, quæ in Sicilia agebantur,
occasionem totius insulæ occupandæ datam sibl exis-
timantes, magnis viribus eo trajiciunt, multasque ci-
vitates subigunt.

III. Eo tempore et Pyrrhus adversus Romanos bel- 1
lum gerebat : qui imploratus a Siculis in auxilium, 2
sicuti dictum est, quum Syracusas venisset, multasque
civitates subegisset, rex Siciliæ, sicut Epiri, appellatur.

10. *Senis.* 95 annos uati, referente Luciano de Longævis; Diodorus contra XXI, 12, Timæum, Calliam, scriptores Syracusanos, nec non Antandrum Agathoclis fratrem sequutus, 72 annos ei tribuit. Juntæ *senis ægri.*

13. — Anno Urbis conditæ 465.

III. 1. *Eo tempore.* Anno 473 et 474, ut vidimus XVIII, 1-2, per annos duo et menses quatuor, referente Diodoro XXII, fragm. 17. *Siciliam* autem occupavit anno 478, Diod. XXII, fragm. 20, Romanos denuo deinde adgressus anno 480. Agathoclis enim cæde rebus Siculis perturbatis, quum Mænon ille (not. ad cap. 2, 3) imperium sibi arripuisset, pulsus est et cæsus una cum sociis suis Carthaginiensibus ab Hiceta, qui prætoris nomine Syracusis præfuit : cujus absentia in bello Agrigentino usus Thynion A. U. 476, olymp. 125, 3, imperium, quo illum privaverat, sibi arripuit. In quo quum Sosistratum, adversarium nactus esset, bellumque civile in ipsa urbe exarsisset : Carthaginienses hanc occasionem sibi datam rati, multis urbibus occupatis, Syracusas ipsas occupabant, Diod. XXI, fragm. 23, ad annum 472 (coll. fragm. 19); nec non XXII, 4, ad an. 474; fragm. 12, ad an. 476. Hoc periculo territus uterque ille, et Thynion et So-

3 Quarum rerum felicitate lætus, Heleno filio Siciliæ,
velut avitum (nam susceptus ex filia Agathoclis regis
4 erat), Alexandro autem Italiæ regnum destinat. Post
hæc multa secunda prælia cum Carthaginiensibus
5 facit. Interjecto deinde tempore, legati ab Italicis
sociis venere, nuntiantes, « Romanis resisti non posse,
6 deditionemque futuram, nisi subveniat. » Anxius tam
ambiguo periculo, incertusque, quid ageret, vel qui-
bus primum subveniret, in utrumque pronus con-
7 sultabat. Quippe instantibus hinc Carthaginiensibus,
inde Romanis, periculosum videbatur, exercitum in
Italiam non trajicere; periculosius a Sicilia deducere:
ne aut illi, non lata ope, aut hi deserti amitterentur.
8 In hoc æstu periculorum, tutissimus portus consilio-
rum visus est, omnibus viribus decernere in Sicilia;
et, profligatis Carthaginiensibus, victorem exercitum
9 transponere in Italiam. Itaque conserto prælio, quum
superior fuisset, quoniam tamen a Sicilia abiret, pro
10 victo fugere visus est: ac propterea socii ab eo defe-
cerunt; et imperium Siciliæ tam cito amisit, quam
11 facile quæsierat. Sed nec in Italia meliore felici-
tate usus, in Epirum revertitur. Admirabilis utrius-
12 que rei casus in exemplum fuit. Nam sicut ante se-

sistratus, Pyrrhum implorarunt contra Carthaginienses. — A. U. 477.

3. — Anno Urbis 478.

4. *Multa... facit.* Carthaginienses enim omnibus, quæ in Siciliam occupaverant, locis cedere cogebantur, excepto Eryce et Lilybæo.

5. *Italicis sociis.* Samnitibus, Tarentinis, Brutiis, Lucanis.

9. *Pro victo.* Tamquam victus, ut Plaut. Merc. IV, 3, 26; Liv. II, 62; Cæs. Bell. Gall. V, 8. — Recedens autem et insulam respectans, comitibus suis dixit: *O qualem, amici, palæstram Carthaginiensibus et Romanis relinquimus!* Plutarch. Pyrrh. cap. 52. ED.

10. *Et imperium Siciliæ tam cito amisit, quam facile quæsierat.* Confer infra XXV, 4, 3.

11. *In Italia.* Quo ex Sicilia iterum trajiciens, non nisi 12 navibus ex 200 servatis, cæteris per Carthaginienses amissis, an. 479 pervenit, et quam, amissis 23,000 militibus in prælio cum Curio Romanorum consule commisso, eodem anno reliquit. — Anno Urbis 479.

cunda fortuna, rebus supra vota fluentibus, Italiæ Siciliæque imperium, et tot de Romanis victorias adstruxerat: ita nunc adversa, velut in ostentationem fragilitatis humanæ, destruens quæ cumulaverat, Siciliensi ruinæ naufragium maris, et fœdam adversus Romanos pugnam, turpemque ab Italia discessum adjecit.

IV. Post profectionem a Sicilia Pyrrhi, magistratus 1
Hiero creatur: cujus tanta moderatio fuit, ut consen- 2
tiente omnium civitatium favore, dux adversus Carthaginienses primum, mox rex crearetur. Hujus futuræ 3
majestatis, ipsa infantis educatio quasi prænuntia fuit: quippe genitus erat patre Hierocle, nobili viro, 4
cujus origo a Gelone, antiquo Siciliæ tyranno, manabat: sed maternum illi genus sordidum, atque adeo 5
pudendum fuit. Nam ex ancilla natus, ac propterea a 6
patre, velut dehonestamentum generis, expositus erat.

12. *Adstruxerat.* Pyrrho. — Ita Tacit. de vita Agricolæ, 44, 5: *et consularibus ac triumphalibus ornamentis prædita, quid aliud adstruere fortuna poterat?* ED. — *Fragilitatis humanæ.* Non tam fortunæ fragilitati imputanda est illa Pyrrhi clades, quam infirmissimis hujus principis opibus, cujus omnis magnitudo propriis virtutibus constabat, ut refert *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains, IV: « La grandeur de Pyrrhus ne consistait que dans ses qualités personnelles. Plutarque nous dit qu'il fut obligé de faire la guerre de Macédoine, parce qu'il ne pouvait entretenir six mille hommes de pied, et cinq cents chevaux qu'il avait. Ce prince, maître d'un petit état, dont on n'a plus entendu parler après lui, était un aventurier, qui faisait des entreprises continuelles, parce qu'il ne pouvait plus subsister qu'en entreprenant.* Videnda insuper hac de re Plutarchi sententia, qui hanc rerum varietatem non fortunæ, sed viri ingenio tribuebat: qui quidem quæ fortiter pugnando adquirebat, semper novarum rerum spe corrumperet. Unde Antigonus eum cum aleatore conferre solebat, qui multa et secunda jaceret, sed jactu nesciret uti. ED.

IV, 1. *Post profectionem* etc. Conf. Diod. XXII, fragm. 22 et 23, 5. Præfuit autem Siciliæ insigni prudentia præditus, et eximia felicitate usus per 54 annos ad annum usque Urbis 539, ab anno inde 485, quo dux, et 490, quo rex fuerat electus.

2. — Anno Urbis 479.

4. *Gelone... tyranno.* Ab anno Urbis conditæ inde 269 ad annum usque 275, Diodor. XI, 20-26; nec non 38.

7 Sed parvulum, et humanæ opis egentem, apes, con-
8 gesto circa jacentem melle, multis diebus aluere. Ob
quam rem responso haruspicum admonitus pater, qui
regnum infanti portendi canebant, parvulum recol-
legit, omnique studio ad spem majestatis, quæ pro-
9 mittebatur, instituit. Eidem in ludo inter coæquales
discenti lupus tabulam in turba puerorum repente
10 conspectus, eripuit. Adolescenti quoque, prima bella
ineunti, aquila in clypeo, noctua in hasta consedit.
11 Quod ostentum, et consilio cautum, et manu prom-
12 tum, regemque futurum significabat. Denique adver-
sus provocatores sæpe pugnavit, semperque victoriam
13 reportavit. A Pyrrho rege multis militaribus donis
14 donatus est. Pulchritudo ei corporis insignis, vires
15 quoque in homine admirabiles fuere. In adloquio
blandus, in negotio justus, in imperio moderatus :
prorsus ut nihil ei regium deesse, præter regnum,
videretur.

10. *Noctua.* Conf. Diod. XX, 11, ubi felix hoc augurium esse dicit, propterea quod sacrum hoc Minervæ animal habeatur, indeque significet, hunc virum sub tutela Deæ prudentissimæ fore et ipsum prudentissimum, ut sub tutela Jovis, Dei potentissimi, cui aquila sit sacra, potentissimum.

14. *In homine.* Faber legit *ut in homine;* nec male, ut nobis videtur. ED.

LIBER XXIV.

I. Dum hæc in Sicilia geruntur, interim in Græcia 1
dissidentibus inter se bello Ptolemæo Cerauno, et
Antiocho, et Antigono regibus, omnes ferme Græciæ 2
civitates, ducibus Spartanis, velut occasione data, ad
spem libertatis erectæ, missis invicem legatis, per quos
in societatis fœdera adligarentur, in bellum prorum-
punt; et, ne cum Antigono, sub cujus regno erant, 3
bellum cepisse viderentur, socios ejus Ætolos adgre-
diuntur, caussas belli prætendentes, quod consensu 4
Græciæ sacratum Apollini Cirrhæum campum per vim
occupassent. Huic bello ducem deligunt Area, qui, 5
adunato exercitu, urbes, sataque in his campis posita
depopulatur: quæ auferri non poterant, incendit.
Quod quum e montibus conspicati Ætolorum pastores 6
essent, congregati admodum quingenti, sparsos hos-
tes, ignorantesque quanta manus esset, quoniam con-
spectum illis metus et incendiorum fumus abstulerat,
consectantur, trucidatisque admodum novem milli-
bus, prædones in fugam verterunt. Reparantibus 7
deinde Spartanis bellum auxilium multæ civitates ne-
gaverunt, existimantes, dominationem eos, non li-

I. 1. *Ptolemæo Cerauno*. Qui, Lysimacho occiso, Macedoniam occupaverat XVII, 2, 4, nactus inde adversarios Antiochum et Antigonum (Gonatam) XVII, 2, 10.

3. *Sub cujus regno erant.* Scilicet quum hujus Antigoni pater Demetrius Græciam victor occupasset.

4. *Cirrhæum.* Ita scripsi ex Pausania, ubi est Κίῤῥα.

5. *Area.* Vide notas ad Prologos XXVI, 2.

6. *Admodum.* Id est quasi, circiter. ED.

8 bertatem Græciæ quærere. Interea inter reges bellum finitur. Nam Ptolemæus, pulso Antigono, quum regnum totius Macedoniæ occupasset, pacem cum Antiocho facit; adfinitatemque cum Pyrrho, data ei in matrimonium filia sua, jungit.

1 II. Exinde, externo metu deposito, impium et facinorosum animum ad domestica scelera convertit, insidiasque Arsinoæ sorori suæ instruit, quibus et filios ejus vita, et ipsam Cassandreæ urbis possessione
2 privaret. Primus ei dolus fuit, simulato amore, sororis matrimonium petere: aliter enim ad sororis filios, quorum regnum occupaverat, quam concordiæ fraude,
3 pervenire non poterat. Sed nota scelerata Ptolemæi
4 voluntas sorori erat. Itaque non credenti mandat, « velle se cum filiis ejus regni consortium jungere: cum quibus non ideo se armis contendisse, quoniam eripere his regnum, sed quod id facere sui muneris
5 vellet. In hoc mitteret arbitrum jurisjurandi: quo præsente apud Deos patrios, quibus vellet obsecrationi-
6 bus, se obligaret.» Incerta Arsinoe, quid ageret: si mitteret, decipi perjurio; si non mitteret, provocare rabiem fraternæ crudelitatis timebat. Itaque plus libe-
7 ris, quam sibi, timens, quos matrimonio suo protec-

8. *Ptolemæus*. Ceraunus (§ 1). — *Antigono*. (Gonata §. 3) Antiocho, Syriæ rege, cujus patrem Seleucum occiderat (not. ad §. 1). — *Pyrrho*. Respice XVII, 2, 15, ibique not. — *Filia*. Aut potius privigna, Plut. in Pyrrho cap. 6.

II. 1. *Externo metu*. Resp. XVII, 2, 6-8. — *Sorori suæ*. Lysimachi viduæ, vid. l. c. et infra cap. 3, 3.

4. *Itaque... mandat*. Arsinoe igitur quum fratri non crederet, hic huic mandat (per alios internuntios hoc huic offert): volo cum filiis tuis (cap. 3, 5) consortium regni jungere. — *Se armis contendisse*. Supple *dicit*. — *Id facere sui muneris*. Hoc (regnum) muneri tibi offero. Conf. XIII, 4, 9.

6. *Si mitteret... si non mitteret*. Si mitto aliquem arbitrum, timeo decipi a fratre perjuro: si non mitto, provocabo fratrem crudelem et rabiosum.

7. *Matrimonio suo*. Si fratri nupserit. — *Dionem*. Ita recepi ex editionibus omnibus antiquis pro *Chodionem*.

turam se arbitrabatur, mittit ex amicis suis Dionem :
quo perducto in sanctissimum Jovis templum, veter- 8
rimæ Macedonum religionis, Ptolemæus sumtis in
manus altaribus, contingens ipsa simulacra et pulvinaria Deorum, inauditis ultimisque exsecrationibus
adjurat, « se sincera fide matrimonium sororis petere;
nuncupaturumque se eam reginam; neque in contu- 9
meliam ejus se aliam uxorem, aliosve, quam filios
ejus, liberos habiturum. » Arsinoe postquam et spe 10
impleta est, et metu soluta, ipsa cum fratre colloquitur : cujus vultus, et blandientes oculi, quum fidem
non minorem, quam jusjurandum, promitterent,
reclamante Lysimacho filio, « fraudem subesse, » in
matrimonium fratris concedit.

III. Nuptiæ magno adparatu, lætitiaque omnium 1
celebrantur. Ad concionem quoque vocato exercitu, 2
capiti sororis diadema imponit, reginamque eam appellat. Quo nomine in lætitiam effusa Arsinoe, quia, 3
quod morte Lysimachi prioris mariti amiserat, recepisset, ultro virum in urbem suam Cassandream invitat : cujus urbis cupiditate fraus struebatur. Præ- 4
gressa igitur virum, diem festum urbi in adventum
ejus indicit : domos, templa, cæteraque omnia exornari jubet : aras ubique hostiasque disponi : filios quo- 5
que suos, Lysimachum sexdecim annos natum, Phi-

8. *Templum, veterrimæ Macedonum religionis*. Ab antiquissimis temporibus religiosissime cultum. — *Sumtis... altaribus*. Conf. Virg. Æn. IV, 219; VI, 124; XII, 201; Juven. XIV, 218; XIII, 89; Plaut. Rud. V, 2, 49.

10. *Lysimacho*. Ita recepi ex Ald. pro *Ptolemæo*; coll. cap. 3, 5. Hoc autem posterius nomen si verum est; hic Arsinoes privignus, Agathoclis (XVII, 1, 4) frater statuendus est, quum in hujus libri prologo Ptolemæus Ceraunus cum Ptolemæo, Lysimachi filio, bellum habuisse dicatur. — *Concedit*. Bechar., Flor., Med. *consensit*. ED.

III. 3. *Virum*. Maritum.

5. *Aras... disponi*. Conf. Valer. Max. IX, 1, 5; Cæs. Bell. Gall. VIII, 51; Sueton. Calig. 13, Galb. 18, Aug. 98; Plin. Pan. 23; Curt. V, 1, 33.

lippum triennio minorem, utrumque forma insignem,
6 coronatos occurrere [jubet]. Quos Ptolemæus, ad celandam fraudem, cupide et ultra modum veræ adfec-
7 tionis amplexus, osculis diu fatigat. Ubi ad portam ventum est, occupari arcem jubet, pueros interfici. Qui quum ad matrem confugissent, in gremio ejus inter ipsa oscula trucidantur, proclamante Arsinoe, quod tantum nefas aut nubendo, aut post nuptias
8 contraxisset. Pro filiis sæpe se percussoribus obtulit: frequenter corpore suo puerorum corpora amplexata protexit; vulneraque excipere, quæ liberis intende-
9 bantur, voluit. Ad postremum etiam spoliata funeribus filiorum, scissa veste, et crinibus sparsis, cum duobus servulis ex urbe protracta, Samothraciam in exsilium abiit; eo miserior, quod mori cum filiis ei non licuit.
10 Sed nec Ptolemæo inulta scelera fuerunt: quippe Diis immortalibus tot perjuria, et tam cruenta parricidia vindicantibus, brevi post a Gallis spoliatus regno captusque, vitam ferro, ut meruerat, amisit.

1 IV. Namque Galli, abundanti multitudine, quum eos non caperent terræ, quæ genuerant, trecenta millia hominum ad sedes novas quærendas, velut pe-
2 regrinatum, miserunt. Ex his portio in Italia conse-
3 dit, quæ et urbem Romanam captam incendit; et portio Illyricos sinus, ducibus avibus (nam augurandi

9. *Sparsis.* Grævius mavult *passis*, ut XXIV, 8, 3.

10. — Anno Urbis 475.

IV. 1. *Peregrinatum.* P. Pithœi emendationem (Adv. I, 6), Grævio receptam *ver sacrum* explica ex Liv. XXII, 10; XXXIV, 43; Plin. III, 13; Dionys. Hal. I, 15, et cap. 11.

2. *Urbem... incendit.* A. U. 367, not. ad. VI, 6, 5, et infra XXXVIII, 4, 8, et plura loca in ind. — Vere autem de illa Romæ a Gallis direptione dixit *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains* : « *La prise de Rome par les Gaulois ne lui ôta rien de ses forces... et l'incendie de la ville ne fut que l'incendie de quelques cabanes de pasteurs.* ED.

3. *Illyricos sinus.* Duce Sigoveso, fratre Bellovesi, qui A. U. 164, Etruscis cæsis, Mediolanum condiderunt, superiore Italiæ parte occupata,

studio Galli præter cæteros callent) per strages Barba-
rorum penetravit, et in Pannonia consedit : gens as- 4
pera, audax, bellicosa, quæ prima post Herculem, cui
ea res virtutis admirationem et immortalitatis fidem
dedit, Alpium invicta juga, et frigore intractabilia
loca transcendit : ibi domitis Pannoniis, per multos 5
annos cum finitimis varia bella gesserunt. Hortante 6
deinde successu, divisis agminibus, alii Græciam, alii
Macedoniam, omnia ferro proterentes, petivere. Tan- 7
tusque terror Gallici nominis erat, ut etiam reges non
lacessiti ultro, pacem ingenti pecunia mercarentur.
Solus rex Macedoniæ Ptolemæus adventum Gallorum 8
intrepidus audivit; hisque cum paucis et incompositis,
quasi bella non difficilius, quam scelera patrarentur,
parricidiorum furiis agitatus, occurrit. Dardanorum 9
quoque legationem, viginti millia armatorum in auxi-
lium offerentem, sprevit; addita insuper contumelia,
« actum de Macedonia dicens, si, quum totum Orien-
tem soli domuerint, nunc in vindictam finium Dar-

Liv. V, 34. Vides igitur et hic Nostrum errare, uni eidemque tempori utrumque adsignantem.

4. *Audax, bellicosa.* Strabo lib. IV, pag. 135, 12, genus Gallorum ait esse θυμικὸν καὶ ταχὺ πρὸς μάχην, ἄλλως δὲ ἁπλοῦν καὶ οὐ κακόηθες; et Gallos *natura bellicosam gentem*, vocat Gall. Cat. 40, 20. Addeudi Cicero de Prov. Cons. cap. 13, Cæsar de Bell. Gall. VI, 24; Tacit. in Germ. cap. 28. ED. — *Prima... transcendit.* Vid. not. ad Cornel. XXIII, 3, 4. — Liv. V, 34 : *Alpes inde oppositæ erant, quas inexsuperabiles visas, haud equidem miror, nulla dum via (quod quidem continens memoria sit), nisi de Herculis fabulis credere libet superatas* ED. — *Invicta.* Berneccerus et Faber malunt *invia.*

6. *Proterentes.* Multi scripti libri et impressi *prosternentes*, ut supra VI, 2, 16 : *quasi tempestas quædam cuncta prosternit.* Horat. sat. 2 :

... Quid enim Ajax
Fecit, quum stravit ferro pecus?

Silius lib. VII :

... Quippe egregium prosternere ferro
Hostem... ED.

— Anno Urbis conditæ 473.

8. *Parricidiorum... occurrit.* Occurrit his tam temere, ut dicere possis correptum fuisse hunc regem furore, quem ei immisissent Furiæ parricidiorum ultrices. Hac de re autem confer cap. 5, 11.

9. *Dardanorum.* Vide ind. — *Orientem soli domuerint.* (Macedones) duce Alexandro XVIII, 1, 2; XIV, 4, 19; XIV, 2, 9.

10 danis egeant : milites se habere filios eorum, qui sub Alexandro rege stipendia, toto orbe terrarum victores,
11 fecerint. » Quæ ubi Dardano regi nuntiata sunt, « inclytum illud Macedoniæ regnum brevi, immaturi juvenis temeritate casurum » dixit.

1 V. Igitur Galli, duce Belgio, ad tentandos Macedonum animos, legatos ad Ptolemæum mittunt, offe-
2 rentes pacem, si emere velit : sed Ptolemæus inter suos, « belli metu pacem Gallos petere, » gloriatus est.
3 Nec minus ferociter se legatis, quam inter amicos jactavit, « aliter se pacem daturum negando, nisi principes suos obsides dederint, et arma tradiderint : non
4 enim fidem se, nisi inermibus, habiturum. » Renuntiata legatione, risere Galli, undique adclamantes, « brevi sensurum, sibi an illi consulentes, pacem obtu-
5 lerint. » Interjectis diebus, prælium conseritur, victi-
6 que Macedones cæduntur. Ptolemæus multis vulneribus saucius capitur; caput ejus amputatum, et lancea fixum, tota acie ad terrorem hostium circumfertur.
7 Paucos e Macedonibus fuga servavit : cæteri aut
8 capti, aut occisi. Hæc quum nuntiata per omnem Macedoniam essent, portæ urbium clauduntur; luctu omnia replentur : nunc orbitatem amissorum filiorum
9 dolebant : nunc excidia urbium metuebant : nunc

11. *Immaturi.* Ptolemæus etsi temerarius erat, non tamen fuit *immaturus*, quippe filius natu maximus Ptolemæi Lagidæ, an. 470 grandi ætate mortui : quamquam cum Nostro judicat de hoc rege Diodorus XII, fragm. 8.

V. 1. *Igitur Galli*, etc. Confer Diod. XXII, fragm. 6, 8 et 19, ubi olymp. 125, 2; A. U. 475, Ptolemæum refert una cum toto Macedonico exercitu a Gallis concisum et consumtum, qui duce Brenno Macedoniam invaserint 150,000 scutati, 10,000 equites, 2,000 plaustris multisque mercatoribus comitantibus. Confer infra cap. 6, 1.

3. *Dederint, et arma tradiderint.* Recte quidem in futuro exacto : aliter pacem non dabo, nisi dederitis obsides, tradideritis arma : ut frustra Gronovius avus corrigi velit *darent, traderent.*

5. — Anno Urbis conditæ 475.

Alexandri Philippique, regum suorum nomina, sicuti numina, in auxilium vocabant. « Sub illis se non so- 10
lum tutos, verum etiam victores orbis terrarum exstitisse. Ut tuerentur patriam suam, quam gloria re- 11
rum gestarum cælo proximam reddidissent, ut opem adflictis ferrent, quos furor et temeritas Ptolemæi regis perdidisset, » orabant. Desperantibus omnibus, 12
non votis agendum, Sosthenes, unus de Macedonum principibus, ratus, contracta juventute, et Gallos victoria exsultantes compescuit, et Macedoniam ab hostili populatione defendit. Ob quæ virtutis beneficia, 13
multis nobilibus regnum Macedoniæ adfectantibus, ignobilis ipse præponitur : et quum rex ab exercitu 14
appellatus esset, ipse non in regis, sed ducis nomen jurare milites compulit.

VI. Interea Brennus, quo duce portio Gallorum in 1
Græciam se effuderat, audita victoria suorum, qui, Belgio duce, Macedones vicerant, indignatus, parta victoria, opimam prædam, et Orientis spoliis onustam, tam facile relictam esse, ipse adunatis CL millibus peditum, et XV millibus equitum, in Macedoniam irrumpit. Quum agros villasque popularetur, occurrit ei 2
cum instructo exercitu Macedonum Sosthenes : sed

9. *Nomina... numina.* Ludit auctor in nominibus sono similibus. Recte autem dicitur numen Philippi et Alexandri, ut non opus sit corrigere cum Gron. avo *numinum*, quamquam dici potest : Philippus sicuti numen vocatur in auxilium; indeque et hoc loco : nomina Philippi et Alexandri, sicuti numinum.

13. *Ignobilis ipse.* Non regio sanguine cretus : sed tamen unus principum procerumve regni, sicut modo (§ 12) dictum. ED.

14. *Non in regis, sed ducis nomen.* Regis enim nomen adsumsit occisi frater Meleager, qui et ipse Gallis impar, duobus mensibus post decessit; successoremque habuit Antipatrum, Philippi filium, Cassandri nepotem, per 45 dies, cui successit Antigonus Gonatas, de quo consule indicem, et infra XXV, 1, 1. — *Compulit.* Edd. antiq. sex *coegit*.

VI. 1. *In Græciam.* Cap. 4, et coll. not. ad cap. 5, 1. — *Opimam... onustam.* I. e., Macedoniam cap. 4, 9. — *Quindecim millibus.* Diodorus ad cap. 5, 1, laudatus numerat 10,000.

pauci a pluribus, trepidi a valentibus facile vincun-
3 tur. Itaque quum victi se Macedones intra muros ur-
bium condidissent, victor Brennus, nemine prohi-
4 bente, totius Macedoniæ agros deprædatur. Inde,
quasi terrena jam spolia sorderent, animum ad Deo-
rum immortalium templa convertit, scurriliter joca-
tus, « locupletes Deos largiri hominibus oportere. »
5 Statim igitur Delphos iter vertit, prædam religioni,
aurum offensæ Deorum immortalium præferens;
« quos nullis opibus egere, ut qui eas largiri homini-
6 bus soleant, » adfirmabat. Templum autem Apollinis
Delphis positum est in monte Parnasso, in rupe undi-
que impendente: ibi civitatem frequentia hominum
fecit, qui ad adfirmationem majestatis undique con-

2. *Valentibus*. Robustis, viribus et robore præstantibus, quo sensu apud Cic. Verr. V, 55, *lictores valentissimi*; ad div. VII, 1, 12, *homo imbecillus a valentissima bestia laniatur.*

4-5. *Inde* etc. Similes Dionysii tyranni (XX, 1) jocos refert Cic. Nat. Deor. III, 34, 3-8. — Anno Urbis conditæ 475. — *Prædam religioni, aurum... præferens.* Et mavult prædam capere, quam Deos colere; mavult Deos offendere, quam auro sacro abstinere.

6. *Templum autem Apollinis.* De templo Apollinis Delphico adi Pausan. X, 6; coll. Diod. XVI, 26, quorum ille hanc Gallorum expeditionem in Græciam ponit olymp. 125, 2, lib. X, cap. 23, §. 9; sive anno Urbis 475. — Confer etiam *Barthélemy, Voyage du jeune Anacharsis en Grèce, vol. III: « Quelque temps après le prêtre vint nous chercher, et nous mena dans le sanctuaire, espèce de caverne profonde, dont les parois sont ornés de différentes offrandes... L'encens et les autres parfums qu'on y brûlait, le remplissaient d'une fumée épaisse. Vers le milieu est un soupirail, d'où sort l'exhalaison prophétique. On s'en approche par une pente insensible: mais on ne peut pas le voir, parce qu'il est couvert d'un trépied tellement entouré de couronnes et de rameaux de laurier, que la vapeur ne saurait se répandre au-dehors...... Les plus fortes couleurs suffiraient à peine pour peindre les transports dont elle (la Pythie) fut saisie... Nous vîmes sa poitrine s'enfler, son visage rougir et pâlir; tous ses membres s'agitaient de mouvemens involontaires; mais elle ne faisait entendre que des cris plaintifs et de longs gémissemens. Bientôt les yeux étincelans, la bouche écumante, les cheveux hérissés, ne pouvant ni résister à la vapeur qui l'opprimait, ni s'élancer du trépied, où les prêtres la retenaient; elle déchira son bandeau, et au milieu des hurlemens les plus affreux, elle prononça quelques paroles, que les prêtres s'empressèrent de recueillir.* ED. — *Ad adfirmandam.* (Confirmandam,

currentes, in eo saxo consedere. Atque ita templum et 7
civitatem non muri, sed præcipitia; nec manu facta,
sed naturalia præsidia defendunt: prorsus ut incertum
sit, utrum munimentum loci, an majestas Dei plus
hic admirationis habeat. Media saxi rupes in formam
theatri recessit. Quamobrem et hominum clamor, et 8
si quando accedit tubarum sonus, personantibus et
respondentibus in se rupibus, multiplex audiri, am-
pliorque, quam editur, resonare solet. Quæ res ma-
jorem majestatis terrorem ignaris rei, et admiratione
stupentibus plerumque adfert. In hoc rupis anfractu, 9
media ferme montis altitudine, planities exigua est,
atque in ea profundum terræ foramen, quod in ora-
cula patet: ex quo frigidus spiritus, vi quadam, velut
vento, in sublime expulsus, mentes vatum in vecor-
diam vertit; impletasque Deo, responsa consulentibus
dare cogit. Multa igitur ibi et opulenta regum popu- 10
lorumque visuntur munera: quæque magnificentia
sui, reddentium vota gratam voluntatem, et Deorum
responsa manifestant.

VII. Igitur Brennus quum in conspectu haberet 1

defendendam) majestatem Divinam. Non minus tamen bona est lectio Ald. *admiratione*, et Junl. *ad admirationem*.

7. *Civitatem*. Aut potius *urbem* hoc loco, ut §. 6, vid. ind.

8. *Admiratione*. Quod regatur a seq. *stupentibus*. Hanc conjecturam Fabri, duorum codd. auctoritate confirmatam, recepi pro *admirationem*, quod conjungendum cum præc. *terrorem* regatur a verbo *adfert*. De re Faber contulit Virg. Æn. VIII, 351-354.

9. *Mentes... cogit*. Adi Pausan. et Diod. ad §. 6, laudatos, et confer Virg. Æneid. VI. 46-51, 77-80; 100-102, — et *J. B. Rousseau*, Od. lib. III, 1:

... Tel que d'Apollon le ministre terrible,
Impatient du Dieu dont le souffle invincible
Agite tous ses sens,
Le regard furieux, la tête échevelée,
Du temple fait mugir la demeure ébranlée
Par ses cris impuissans. 10.

10. *Multa... munera*. Conf. scriptores ad II, 12, 8 laudatos, inprimis Herodot. I, 50-51 et 92; Pausan. X, 9-11; coll. VI, 19, 1. Quæ quum sint magnificentissima, satis manifeste ostendunt, quam multa Dei responsa fuerint vera (conf. Cic. Nat. Deor. III, 37, 2), quum tam multa adsint dona, quæ

templum, diu deliberavit, confestim rem adgrederetur;
an vero fessis via militibus, noctis spatium ad resu-
2 mendas vires daret. Emanus et Thessalorus duces, qui
se ad prædæ societatem junxerant, « amputari moras
jubent, dum imparati hostes, et recens adventus sui,
3 terrori esset : interjecta nocte et animos hostibus,
forsitan et auxilia accessura; et vias, quæ nunc pa-
4 teant, obstructum iri. » Sed Gallorum vulgus ex longa
inopia, ubi primum vino cæterisque commeatibus
referta rura invenit, non minus abundantia, quam
5 victoria lætum, per agros se sparserat : desertisque
signis, ad occupanda omnia pro victoribus vagabantur.
6 Quæ res dilationem Delphis dedit. Prima namque opi-
nione adventus Gallorum, prohibiti agrestes oraculis
7 feruntur, messes vinaque villis efferre. Cujus rei salu-
tare præceptum non prius intellectum est, quam vini
cæterarumque copiarum abundantia, velut mora,
8 Gallis objecta, auxilia finitimorum convenere. Prius
itaque urbem suam Delphi, aucti viribus sociorum,
permunivere, quam Galli vino, velut prædæ, incu-
9 bantes, ad signa revocarentur. Habebat Brennus lecta
ex omni exercitu peditum sexaginta quinque millia;
Delphorum sociorumque non nisi quatuor millia mi-
10 litum erant : quorum contemtu Brennus ad acuendos
suorum animos, prædæ ubertatem omnibus ostende-
bat, statuasque cum quadrigis, quarum ingens copia
procul visebatur, solido auro fusas esse; plusque in

homines votorum compotes, et in Deum grati obtulerunt.

VII. 1. *An.* Hanc voculam ante *confestim* delevi, suadente Gron. avo. Latinitas enim vel hoc postulat, vel particulæ *an* præmittit *utrum*.

2. *Adventus sui.* Ut cap. 6, 10, *magnificentia sui.*

4. *Rura.* Scilicet agros, villas §. 6.

5. *Pro victoribus.* Respice not. ad XXIII, 3, 9.

6. *Opinione.* Fama, ut XXIII, 2, 1.
— *Messes.* Ut Virg. Georg. I, 49; Ovid. Met. VIII, 781.

10. *Visebatur.* Quo tamen modo? templo inclusa.

pondere, quam in specie, habere prædæ adfirmabat.

VIII. Hac adseveratione incitati Galli, simul et hes- 1
terno mero saucii, sine respectu periculorum in bel-
lum ruebant. Contra Delphi, plus in Deo, quam in 2
viribus reponentes, cum contemtu hostium resiste-
bant; scandentesque Gallos e summo montis vertice,
partim saxo, partim armis obruebant. In hoc partium 3
certamine, repente universorum templorum antistites,
simul et ipsi vates, sparsis crinibus, cum insignibus
atque infulis, pavidi vecordesque in primam pugnan-
tium aciem procurrunt: « Advenisse Deum clamant, 4
eumque se vidisse desilientem in templum per culmi-
nis aperta fastigia. Dum omnes opem Dei suppliciter 5
implorant, juvenem supra humanum modum insignis
pulchritudinis, comitesque ei duas armatas virgines,
ex propinquis duabus Dianæ Minervæque ædibus
occurrisse; nec oculis tantum hæc se perspexisse, 6
audisse etiam stridorem arcus, ac strepitum armorum.
Proinde ne cunctarentur, Diis antesignanis, hostem 7
cædere, et victoriæ Deorum socios se adjungere, »
summis obsecrationibus monebant. Quibus vocibus 8

VIII. 1. *Respectu*. Pericula imminentia non *respiciuntur*, sed *conspiciuntur*.

2. *Reponentes*. *Ponentes* Junt. Illud etiam Tacit. adhibet Germ. 30, 3. — *Cum contemtu hostium*. Recte Delphi contemsisse dicuntur hostes, quorum exercitum 65,000 excipere ipsi auderent non nisi 4,000, c. 7, 9.

3. *Simul et ipsi vates* MSS. Fuldenses *ipsæ vates*, ut apud Virg. Æneid. VI, 65:

> ... Tuque o sanctissima vates,
> Præscia venturi... ED.

— *Sparsis crinibus*. Solutis, revinctis more sacrificantium. Conf. ad c. 3, 9.

4. *Eumque* etc. Hunc locum ita distinguit Schefferus: *eumque se vidisse desilientem in templum per culminis aperta fastigia, dum omnes opem Dei suppliciter implorant, juvenem supra humanum modum insignis pulchritudinis. Comites ei duas armatas virgines*, etc. ED.

5. *Ædibus*. Aut potius ex unis et iisdem ædibus, quum Diana ac Minerva Apollinis essent σύνναοι.

6. *Stridorem arcus, ac strepitum armorum*. Conf. Virg. Æn. IX, 659. Hom. Il. I, 44-52, ubi de Apolline ex cæli verticibus descendente:

> Ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο,
> Αὐτοῦ κινηθέντος... ED.

9 incensi, omnes certatim in prælium prosiliunt. Præsentiam Dei et ipsi statim sensere. Nam et terræ motu portio montis abrupta Gallorum stravit exercitum, et confertissimi cunei non sine vulneribus hostium dis-
10 sipati ruebant. Insequuta deinde tempestas est, quæ
11 grandine et frigore saucios ex vulneribus absumsit. Dux ipse Brennus, quum dolorem vulnerum ferre
12 non posset, pugione vitam finivit. Alter ex ducibus, punitis belli auctoribus, cum decem millibus saucio-
13 rum, citato agmine, Græcia excedit. Sed nec fugientibus fortuna commodior fuit: siquidem pavidis nulla sub
14 tectis acta nox; nullus sine labore et periculo dies; adsidui imbres et gelu nix concreta, et fames, et lassitudo, super hæc maximum pervigiliæ malum mise-
15 ras infelicis belli reliquias obterebant. Gentes quoque nationesque, per quas iter habebant, palantes, velut
16 prædam, sectabantur. Quo pacto evenit, ut nemo ex tanto exercitu, qui paullo ante fiducia virium etiam adversus Deos contendebat, vel ad memoriam tantæ cladis, superesset.

10. *Frigore*. Plures editiones habent *fulgure*. ED.

11. *Pugione*. Vino largiter hausto, pudore cladis acceptæ, ut ait Pausanias XX, 23, 8, et Diod. XXII, 19; Valer. Max. I, 1, 18.

12. *Belli auctoribus*. Scilicet qui bellum hoc Delphicum suaseraut, ad id impulerant.

13. *Pavidis nulla sub tectis acta nox*. Respice II, 13, 11.

14. *Et gelu nix concreta*. Construe verba ita: *nix concreta gelu*, ut Curt. VIII, 4, 6: *frigoris vis gelu concreto adstrinxerat imbrem*. — *Reliquias*. 10,000 reliquos de 65,000 §. 12; coll. cap. 7, 9.

15. *Palantes*. Scilicet Gallos.

16. *Adversus Deos contendebat*. Gravius, quam quod edd. tres antiq. et unus MS. habent, *Deos contemnebat*. — *Superesset*. Quid ipse narras infra XXXII, 3, 6? Idem tamen cum Nostro narrat Diodorus XXII, 19, ubi 10,000 pereunt apud Delphos; 20,000 vulnerati, frigore fameque confecti, a Cichorio, Brenni successore, occiduntur; plures alii in itinere a Græcis insequentibus commeatu privati cæduntur; 20,000 apud Thermopylas fame pereunt; reliqui per Dardanos (cap. 4, 9) iter facientes consumuntur: ut ne unus quidem superesset, qui in patriam salvus rediret. Contra Polybius IV, 49, superstites tradit circa Byzantium constitisse, ibique imperium condidisse. Conf. Flor. II, 11, 3.

LIBER XXV.

I. Inter duos reges, Antigonum et Antiochum, sta- 1
tuta pace, quum in Macedoniam Antigonus revertere-
tur, novus eidem repente hostis exortus est. Quippe 2
Galli, qui a Brenno duce, quum in Græciam proficis-
ceretur, ad terminos gentis tuendos relicti fuerant, ne
soli desides viderentur, peditum quindecim millia,
equitum tria millia armaverunt; fugatisque Getarum 3
Triballorumque copiis, Macedoniæ imminentes, lega-
tos ad regem miserunt, qui pacem ei venalem offer-
rent, simul et regis castra specularentur. Quos Anti- 4
gonus, pro regali munificentia, ingenti adparatu epu-
larum ad cœnam invitavit. Sed Galli expositum grande 5
auri argentique pondus admirantes, atque prædæ
ubertate solicitati, infestiores, quam venerant, rever-
tuntur. Quibus et elephantos ad terrorem, velut in- 6
usitatas barbaris formas, rex ostendi jusserat, et naves
onustas copiis demonstrari : ignarus, quod, quibus 7

I. 1. *Antigonum*. Gonatam, Demetrii filium, Antigoni nepotem (cap. 1, 8, lib. XXIV; coll. XVII, 2, 10), et *Antiochum*, Syriæ regem (XXIV, 1, 8), qui Macedoniam sibi vindicabat, a patre antea Seleuco occupatam, ab hujus autem parricida, Ptolemæo Cerauno, possessam (XVII, 2, 4-5). Antiochus igitur, Seleuci filius, cedit jam Macedonia Antigono, cujus quidem pater a Seleuco captus, apud hunc obierat, XVI, 2, 6; coll. not. ad XXIV, 5, 14. — Anno Urbis conditæ 475.

2 *Quippe Galli*, etc. Resp. XXIV, 6.

3. *Venalem* Confer XXIV, 4, 7, et cap. 5, 1; coll. Liv. XXXVIII, 27, 2; XXI, 20, 8, ubi Galli dicuntur *gens avidissima rapiendi, avidissima auri*.

6. *Inusitatas*. Gronov. et hic corrigit *invisitatas*, ut supra XVIII, 1, 6; quod hoc loco habet MS. Oxon., coll. Curt. IX, 6.

7. *Quod... solicitabat*. Id est, se solicitare, præcedente *ignarus*.

ostentatione virium metum se injicere existimabat,
8 eorum animos ut ad opimam prædam solicitabat. Itaque legati ad suos reversi, omnia in majus extollentes,
9 opes pariter et negligentiam regis ostendunt: « Referta auro et argento castra; sed neque vallo, fossave munita: et quasi satis munimenti in divitiis haberent, ita
10 eos omnia officia militaria intermisisse: prorsus quasi ferri auxilio non indigerent, quoniam abundarent auro. »

1 II. Hac relatione avidæ gentis animi satis ad prædam
2 incitabantur. Accedebat tamen et exemplum Belgii, qui non magno ante tempore Macedonum exercitum
3 cum rege trucidaverat. Itaque, consentientibus omnibus, nocte castra regis adgrediuntur: qui præsentiens tantam tempestatem, signum pridie dederat, ut, omnibus rebus ablatis, in proxima sylva taciti se occulta-
4 rent. Neque aliter servata castra, quam quod deserta sunt: siquidem Galli, ubi omnia vacantia, nec sine defensoribus modo, verum etiam sine custodibus vident, non fugam hostium, sed dolum arbitrantes, diu
5 intrare portas timuerunt. Ad postremum integris et intactis munimentis, scrutantes potius, quam diri-
6 pientes, castra occupaverunt. Tunc ablatis, quæ inve-
7 nerant, ad litus convertuntur. Ibi dum naves incautius diripiunt, a remigibus et ab exercitus parte, quæ eo cum conjugibus et liberis confugerant, nihil tale metuentes trucidantur: tantaque cædes Gallorum fuit, ut Antigono pacem opinio hujus victoriæ, non a Gallis tantum, verum etiam a finitimorum feritate, præsti-

II. 2. *Exemplum Belgii.* Respice XXIV, 5, 6.

7. *Ibi dum naves incautius diripiunt*, etc. Confer Diod. XXII, 19. — *Quæ... confugerant.* In plurali, quum illud sit collect., quamquam et cum Med. legere potes *confugerat*, aut cum Grævio corrigere *qui*. — *Opinio hujus victoriæ.* Existimatio ex victoria parta: Tacit. Germ. 13. *Germani ipsa plerumque fama bella profligant.* ED. — Anno Urbis 476.

terit. Quamquam Gallorum ea tempestate tantæ fœ- 8
cunditatis juventus fuit, ut Asiam omnem, velut exa-
mine aliquo, implerent. Denique neque reges Orientis 9
sine mercenario Gallorum exercitu ulla bella gesse-
runt; neque pulsi regno ad alios, quam ad Gallos,
confugerunt. Tantus terror Gallici nominis, et armo- 10
rum invicta felicitas erat, ut aliter neque majestatem
suam tutari, neque amissam reciperare se posse sine
Gallica virtute arbitrarentur. Itaque in auxilium a 11
Bithyniæ rege vocati, regnum cum eo parta victoria
diviserunt; eamque regionem Gallo-Græciam cogno-
minaverunt.

III. Dum hæc in Asia geruntur, interim in Sicilia 1
Pyrrhus a Pœnis navali prælio victus, ab Antigono,
Macedoniæ rege, supplementum militum per legatos
petit: denuntians, « ni mittat, redire se in regnum 2
necesse habere, incrementa rerum, quæ de Romanis
voluerit, de ipso quæsiturum. » Quod ubi negatum 3
legati retulerunt, dissimulatis caussis; repentinam
fingit profectionem. Socios interim parare bellum 4

9. *Denique* etc. Conf. infra XXXII, 3, 6, unde vides, Nostrum ipsum sibi contradicere et rem in majus efferre, quum, quod de Nicomede paucisque aliis regibus dicere poterat, de omnibus Asiæ majoris et minoris regibus dicat: quamquam fuere in auxiliariis Pyrrhi Macedoniam invadentis (not. ad XXVI, 2, 1) mercenarii Antiochi Hieracis XXVII, 2, 10.

11. *In auxilium*. Contra Antiochum, Syriæ regem (cap. 1, 1), cum Nicomede, Bithyniæ rege, bellum gerentem. — *Vocati*. Cum Grævio dedi ex aliquot MSS. et ed. Med. pro *invocati*. — *Gallo-Græciam*. Sive Galatiam, quum ipsi appellarentur Ἑλληνο-γαλάται, Diod. V, 32. Erat autem illa regio Phrygia septemtrionalis, inter duodecim ipsorum tetrarchas tum divisa. — A. U. 478.

III. 1. *In Sicilia*. Graviter cum Pœnis dimicantem Pyrrhum invenimus olymp. 126, 1, A. U. 478, apud Diod. XXII, fragm. 20. Conf. supra not. ad XXIII, 3, 1, et Plutarch. in Pyrrho.

2. *Denuntians*, etc. Denuntians ni mittat auxilium ipsi necesse esse redire in regnum suum, et tunc se gesturum in eum bellum, ut fines imperii sui dilatet, quod facere volebat dispendio Romanorum. ED.

3. *Fingit profectionem*. Scilicet parat, adornat.

jubet : arcis Tarentinæ custodiam Heleno filio, et
5 amico Miloni tradit. Reversus in Epirum, statim fines
Macedoniæ invadit : cui Antigonus cum exercitu oc-
6 currit; victusque prælio in fugam vertitur. Atque ita
Pyrrhus Macedoniam in deditionem accipit; et, veluti damna amissæ Siciliæ Italiæque, adquisito Macedoniæ regno, pensasset, relictum Tarenti filium et
7 amicum arcessit. Antigonus autem cum paucis equitibus, fugæ comitibus, repente fortunæ ornamentis destitutus, amissi regni speculaturus eventum, Thessalonicam se recepit, ut inde cum conducta Gallorum
8 mercenaria manu bellum repararet. Rursus a Ptolemæo, Pyrrhi filio, funditus victus, cum septem comitibus fugiens, non jam reciperandi regni spem, sed salutis latebras, ac fugæ solitudines captat.

1 IV. Igitur Pyrrhus in tanto fastigio regni collocatus, jam nec eo, ad quod votis perveniendum fuerat, con-
2 tentus, Græciæ Asiæque regna meditatur. Neque illi major ex imperio, quam ex bello, voluptas erat : nec quisquam Pyrrhum, qua tulisset impetum, sustinere
3 valuit. Sed ut ad devincenda regna invictus habebatur : ita devictis adquisitisque celeriter carebat. Tanto melius studebat adquirere imperia, quam retinere.
4 Itaque quum copias Cherroneson transposuisset, legationibus Atheniensium, et Achæorum, Messenio-

4. *Heleno*. Respice XXIII, 3, 3.

5. *Reversus in Epirum*, etc. Conf. Diod. XXII, fragm. 21.

6. *Deditionem*. Gron. correx. *ditionem*. — Anno Urbis 478.

8. *Ptolemæo*. XVIII, 1, 3. — *Captat*. Recepit tamen duobus annis post regnum, Pyrrho in Peloponneso absente, idque tenuit ad annum usque urbis conditæ 512. Schefferus autem corrigit et distinguit, *salutis latebras ac fugæ, solitudinesque*.

IV. 3. *Ad devincenda regna*. Confer supra XXIII, 3, 10. — *Carebat*. Aptius duo codices habent *excidebat*.

4. *Cherroneson*. Sic pro *Cherroneso* recep. ex emendatione Gron. svi, Grævio probata, i. e. in Peloponnesum per Isthmum Corinthiacum. — *Cherronesos* enim quævis peninsula dicitur. ED.

rumque excipitur. Sed et Græcia omnis admiratione 5
nominis ejus, simul et rerum adversus Romanos Pœnosque gestarum gloria attonita, adventum ejus exspectabat. Primum illi bellum adversus Spartanos fuit:
ubi majore mulierum, quam virorum, virtute excep- 6
tus, Ptolemæum filium, et exercitus partem robustissimam amisit. Quippe oppugnanti urbem, ad tutelam 7
patriæ tanta multitudo feminarum concurrit, ut non
fortius victus, quam verecundius, recederet. Porro 8
Ptolemæum, filium ejus, adeo strenuum et manu fortem fuisse tradunt, ut urbem Corcyram cum sexaginta ceperit: idem prælio navali quinqueremem ex scapha cum septem insiluerit, captamque tenuerit:
in oppugnatione quoque Spartanorum usque in me- 9
diam urbem equo procurrerit: ibique concursu multitudinis interfectus sit. Cujus corpus ut relatum patri 10
est, dixisse Pyrrhum ferunt, « aliquanto tardius eum, quam timuerit ipse, vel temeritas ejus meruerit, occisum esse. »

V. Repulsus a Spartanis Pyrrhus Argos petit: ibi, 1
dum Antigonum in urbe clausum expugnare conatur, inter confertissimos violentissime dimicans, saxo de
muris ictus occiditur. Caput ejus Antigono refertur: 2
qui victoria mitius usus, filium ejus Helenum, cum Epirotis sibi deditum, in regnum dimisit, eique insepulti patris ossa in patriam referenda tradidit. Satis 3

6. *Bellum adversus Spartanos*. Ad quod impulsus fuerat a Cleonymo, qui cum Areo de regno disceptabat. Areus enim, Acrotati filius, quum Cleomeni avo successisset, ille hujus patruus eum regno pellere conabatur. Quod quum frustra Spartæ tentasset, confugit ad hunc Pyrrhum, hujus auxilium imploraturus. Conf. Pausan. III, 6; I, 13; Plutarch. in Vita Pyrrhi cap. 26. — Anno Urbis 482.

V. 1. *Antigonum*. Macedonia pulsum (cap. 3, 5-8), indeque hic et Spartæ et Argis cum æmulo fortiter dimicantem. — *Conatur*. Alii codices habent *cogitat*, quod probat Vorstius.

2. *Helenum*. Cap. 3, 4. — Anno Urbis conditæ 482.

constans inter omnes auctores fama est, nullum nec ejus, nec superioris ætatis regem comparandum Pyrrho fuisse; raroque non inter reges tantum, verum etiam inter illustres viros, aut vitæ sanctioris, aut jus-
4 titiæ probatioris, visum fuisse. Scientiam certe rei militaris in illo viro tantam fuisse, ut cum Lysimacho, Demetrio, Antigono, tantis regibus, bella gerens,
5 invictus semper fuerit: Illyriorum quoque, Siculorum, Romanorumque, et Carthaginiensium bellis, nun-
6 quam inferior, plerumque etiam victor exstiterit: qui patriam certe suam angustam, ignobilemque, fama rerum gestarum, et claritate nominis sui, toto orbe illustrem reddiderit.

3. *Justitia probata.* Quo tandem modo probari potest in viro, cui summa ex bello esset voluptas? cap. 4, 2. — *Comparandum Pyrrho.* De eo Plutarchus: Νομισθεὶς ἐμπειρίᾳ μὲν πολεμικῇ, καὶ χειρὶ, καὶ τόλμῃ πολὺ πρῶτος εἶναι τῶν καθ' αὑτὸν βασιλέων. Alexandro autem primas, Pyrrho secundas, sibi tertias dabat Hannibal, uti narrant Livius et Plutarchus: cujus quidem de Pyrrho hæc est sententia: « *Les autres roys ne le* (Alexandre) *contrefaisoyent, sinon en habits de pourpre, en nombre de gardes autour de leurs personnes, en vne façon de ployer vn peu le col, et de parler hautainement: et Pyrrus seul le représentoit en exploits d'armes, et en actes de prouësse... On dit que le roy Antigonus interrogé qui luy sembloit le plus grand capitaine, respondit Pyrrus, pourveu qu'il vieillisse; parlant des capitaines de son tems seulement. Mais Hannibal le prononça le premier de tous vniversellement en expérience et suffisance au mestier de la guerre; Scipion le second, et soy le troisième... Aussi semble-t-il que Pyrrus ne fit iamais autre chose en toute sa vie, que vaequer et estudier à cette science, comme à celle qui estoit véritablement royale, sans faire compte de toutes autres sciences gentilles à sçavoir.* » *Traduction d'Amyot.* ED.

4. *Invictus.* Quomodo invictus fuit ille Pyrrhus, quum a Lysimacho Macedonia sit pulsus XVI, 3, 2? Conf. tamen Liv. XXXV, 14, 6-7.

LIBER XXVI.

I. Post mortem Pyrrhi non in Macedonia tantum, 1
verum etiam in Asia, Græciaque, magni bellorum
motus fuere. Nam et Peloponnesii per proditionem 2
Antigono traditi: et variante hominum partim dolore, 3
partim gaudio, prout singulæ civitates aut auxilium de
Pyrrho speraverant, aut metus sustinuerant, ita aut
cum Antigono societatem jungebant, aut mutuis inter
se odiis in bellum ruebant. Inter hunc turbatarum 4
provinciarum motum, Epiorum quoque urbs ab
Aristotimo principe per tyrannidem occupatur: a quo 5
quum multi ex primoribus occisi, plures in exsilium
acti essent, Ætolis per legatos postulantibus, « conjuges liberosque exsulum redderet, » primo negavit:
postea, quasi pœniteret, proficiscendi ad suos omni- 6
bus matronis potestatem dedit; diemque profectionis
statuit. Illæ quasi in perpetuum cum viris exsulaturæ, 7
pretiosissima quæque auferentes, quum ad portam,
quasi uno agmine profecturæ, convenissent, omnibus
rebus exspoliatæ, in carcerem recluduntur: occisis

I. 1. — Anno Urbis cond. 482.

3. *Hominum*. Gron. avus mavult *homines*, quo sensu Liv. XXVI, 1: *Secundæ adversæque res variant non fortunam magis, quam animos hominum*.

4. *Epiorum*. Ita corrigendum existimavi ex conjectura Fabri pro *Epirorum*, quod recte alii MSS. libri mutarunt in *Epirotarum*, quum Epiri incolæ non *Epiri*, sed *Epirotæ* dicantur. At non Epirotarum urbs occupatur ab Aristotimo, sed *Epiorum*, sive *Epeorum*, qui Græcis sunt Ἐπειοὶ dicti ab Epeo, Pelopis æquali, Elidis rege, Hom. Od. XIII, 275; XV, 297: ita ut *Epii* hoc loco antiquo nomine sint *Elii*.

prius in gremio matrum parvulis liberis, virginibus-
8 que ad stuprum direptis. Ad tam sævam dominationem stupentibus omnibus, princeps eorum Hellanicus, senex et liberis orbus, ut qui nec ætatis nec pignoris respectu timeret, contractos domum fidissimos ami-
9 corum in vindictam patriæ hortatur. Cunctantibus privato periculo publicum finire, et deliberandi spatium postulantibus, arcessitis servis, jubet obserari fores, tyrannoque nuntiari, « mitteret, qui conjuratos apud se comprehenderet : » objectans singulis, « se, quia liberandæ patriæ auctor esse non possit, desertæ
10 ultorem futurum. » Tunc illi ancipiti periculo circumventi, honestiorem viam eligentes, conjurant in tyranni necem : atque ita Aristotimus, quinto, postquam tyrannidem occupaverat, mense, opprimitur.
1 II. Interea Antigonus quum multiplici bello, et Ptolemæi regis, et Spartanorum premeretur, novusque illi hostis Gallo-Græciæ exercitus adfluxisset; in speciem castrorum parva manu adversus cæteros relicta,
2 adversus Gallos totis viribus proficiscitur. Quibus

7. *Direptis*. Aut potius, ut Gron. avus corrigit, *abreptis*, id est, abstractis, quum illud sit *spoliare*.

8. *Pignoris*. Editiones antiquæ *pigneris* frequenter *o* in *e* mutato. — *Contractos domum*. Plures edd. *convocatos domi*. XD.

9. *Arcessitis servis*. Per servos arcessitos, sive quum servi ab ipso essent arcessiti. Non igitur est opus cum Gron. avo corrigere : *servos arcessitos observare... nuntiare*. Minus autem aptum est, quod habent duo codd. *observari*.

II. 1. *Ptolemæi regis*. Id est, regis filii. Erat enim Ptolemæus Pyrrhi filius, Antigoni victor V, 3, 8, occisus deinde A. U. 482 cum patre XXV, 4, 6 : quamquam quum tempus Noster non definiat, etiam Ptolemæus Philadelphus, Ægypti rex per annos 470-507, intelligi potest, quem contra Antigonum, Macedoniæ regem, Atheniensibus classem auxilio misisse tradit Pausanias I, 7, 3; coll. cap. 1, 1. — *Gallo-Græciæ*. Gallo-Græcorum, Galatarum, Gallorum XXV, 2, 11, quos Pyrrhus in Macedonia occupanda (XXV, 3, 5-8) socios sibi adjunxerat, ét a quibus regia Macedonum sepulcra Ægeis A. U. 480 direpta tradit Diodorus XXII, fragm. 21. Hos igitur a Pyrrho in Peloponnesum festinante (XXV, 4, 4) ad Macedoniam tutandam relictos, sed in terra amica hostiliter agentes debellabat Antigonus.

cognitis, Galli quum et ipsi se prælio pararent, in auspicia pugnæ hostias cædunt : quarum extis quum magna cædes, interitusque omnium prædiceretur, non in timorem, sed in furorem versi, sperantesque Deorum minas expiari cæde suorum posse, conjuges et liberos suos trucidant, auspicia belli a parricidio in-
cipientes. Tanta rabies feros animos invaserat, ut non 3
parcerent ætati, cui etiam hostes pepercissent, bellumque internecivum cum liberis, liberorumque ma-
tribus gererent, pro quibus bella suscipi solent. Ita- 4
que quasi scelere vitam victoriamque redemissent, sicut erant cruenti ex recenti suorum cæde, in prælium non meliore eventu, quam omine, proficiscun-
tur : siquidem pugnantes, prius parricidiorum furiæ, 5
quam hostes circumvenere; obversantibusque ante oculos manibus interemtorum, omnes occidione cæsi.
Tanta strages fuit, ut pariter cum hominibus Dii con- 6
sensisse in exitium parricidarum viderentur. Post hu- 7
jus pugnæ eventum, Ptolemæus et Spartani, victorem hostium exercitum declinantes, in tutiora se reci-
piunt. Antigonus quoque, ubi eorum discessum videt, 8
recenti adhuc ex priori victoria militum ardore, bel-
lum Atheniensibus infert. In quo quum occupatus 9
esset, interim Alexander, rex Epiri, ulcisci mortem patris Pyrrhi cupiens, fines Macedoniæ depopulatur.

2. *Prælio*. Antiquiores typis expressi *prælia*. ED.

3. *Ætati*; etc. Conf. XVIII, 6, 12, et Liv. XXIV, 26, 9; Herodot. IX, 87; Senec. de Ira, II, 9.

4. *Sicut erant cruenti*. Ita supra XIV, 4, 1 : *Prolatam, sicut erat catenatus, manum ostendit*; Tacit. Annal. XIII, 16, de Nerone : *Ille, ut erat reclinis, et nescio similis*, etc. ED.

5. *Parricidiorum furiæ*. Conf. XXIV, 4, 8, et Cicer. pro Rosc. Am. 24, 1.

6. *Exitium*. *Excidium* edd. quinque antiquæ.

8. *Ardore*. MSS. Bongars. addunt *belli*, quod mutat Is. Vossius in *bellandi*. — *Atheniensibus*. Quorum urbem occupatam præsidio tenet.

9. *Alexander*. Unus reliquus ex tribus Pyrrhi filiis (XVIII, 1, 3; XXIII, 3, 3), Ptolemæo a Spartanis occiso (XXV, 4, 6), quum, quid

10 Adversus quem quum reversus a Græcia Antigonus
esset, transitione militum destitutus, regnum Mace-
11 doniæ cum exercitu amittit. Hujus filius Demetrius
puer admodum, absente patre, reparato exercitu,
non solum amissam Macedoniam recipit, verum etiam
12 Epiri regno Alexandrum spoliat. Tanta vel mobilitas
militum, vel fortunæ varietas erat, ut vicissim reges,
nunc exsules, nunc reges viderentur.

1 III. Igitur Alexander, quum exsul ad Acarnanas
confugisset, non minore Epirotarum desiderio, quam
2 sociorum auxilio, in regnum restituitur. Per idem
tempus, rex Cyrenarum Agas decedit: qui ante infir-
mitatem, Berenicen unicam filiam, ad finienda cum
3 Ptolemæo fratre certamina, filio ejus desponderat. Sed
post mortem regis, mater virginis Arsinoe, ut invita
se contractum matrimonium solveret, misit, qui ad
nuptias virginis, regnumque Cyrenarum, Demetrium,
fratrem regis Antigoni, a Macedonia arcesserent: qui
4 et ipse ex filia Ptolemæi procreatus erat. Sed nec De-
metrius moram fecit. Itaque quum, secundante vento,
celeriter Cyrenas advolasset, fiducia pulchritudinis,
qua nimis placere socrui cœperat, statim a principio
superbus, regiæ familiæ, militibusque impotens erat;
studiumque placendi a virgine in matrem contulerat.

Heleno (XXV, 5, 2) acciderit, relatum non legerim. Confer infra XXVIII, 1, 1.

10. *Transitione... destitutus.* Destitutos a militibus, ad Alexandrum transeuntibus.

11. *Demetrius.* Qui patris deinde successor regnavit 512-522. Conf. infra XXVIII, 1, 1, et cap. 3, 9.

III. 2. *Agas.* Aut potius *Magas*, ut scribitur apud Polyænum, Athenæum et Pausan. I, 6, 8: ubi hic Philippi cujusdam ex Berenice filius Cyrenen, quæ defecerat, recipit; ductaque uxore Apame, Antiochi I filia, deficit a Ptolemæo Philadelpho, cap. 7, 1-3.

3. *Arsinoe.* Antigoni Gonatæ, ut sequentia ostendunt, soror, ergo Demetrii Poliorcetæ filia. — *Qui... erat.* Demetrius igitur Poliorcetes (vid. ind.), Antigoni Gonatæ et hujus Demetrii pater, gener fuerat Ptolemæi Philadelphi.

Quæ res suspecta primo virgini, dein popularibus mi- 5
litibusque invisa fuit. Itaque versis omnium animis in 6
Ptolemæi filium, insidiæ Demetrio comparantur: cui, quum in lectum socrus concessisset, percussores immittuntur. Sed Arsinoe, audita voce filiæ, ad fores 7
stantis, et præcipientis, « ut matri parcerent, » adulterum paullisper corpore suo protexit. Quo interfecto, 8
Berenice, et stuprum matris, salva pietate, ulta est: et in matrimonio sortiendo, judicium patris sequuta.

6. *Comparantur*. MS. Voss. *componuntur*, ut I, 8, 11. — *Ptolemæi* (Philadelphi) *filium*. Evergeten.

8. *Judicium patris sequuta*. Ex voluntate patris nupsit Philadelphi filio (§. 2), Ptolemæo Evergetæ. Hinc Apame (not. ad §. 2) illa, sive, ut Nostro vocatur §. 3, Arsinoe, Antiochi I filia, remissa ad fratrem Antiochum, cognomine Θεόν, hunc excitavit contra illum Ptolemæum, a quo Antiochus bello fractus, pacis conditionem accipere coactus est hanc, ut, Laodice uxóre repulsa, in matrimonium duceret Berenicen, Ptolemæi filiam. Hinc harum feminarum odia exitialia originem traxerant, XXVII, 1.

LIBER XXVII.

1 I. Mortuo Syriæ rege Antiocho, quum in locum
ejus filius Seleucus successisset, hortante matre Lao-
dice, quæ prohibere debuerat, auspicia regni a parri-
2 cidio cœpit. Quippe Berenicen novercam suam, soro-
rem Ptolemæi, regis Ægypti, cum parvulo fratre ex
3 ea suscepto interficit. Quo facinore perpetrato, et
infamiæ maculam subiit, et Ptolemæi bello se impli-
4 cuit. Porro Berenice, quum ad se interficiendam mis-
5 sos didicisset, Daphnæ se claudit. Ubi quum obsideri
eam cum parvulo filio nuntiatum Asiæ civitatibus esset,
recordatione paternæ, majorumque ejus dignitatis,
casum tam indignæ fortunæ miserantes, auxilia ei
6 omnes misere. Frater quoque Ptolemæus periculo so-
roris exterritus, relicto regno, cum omnibus viribus

I. 1. *Antiocho*. Cognomine *Deo*. Resp. not. ad XXVI, 3, 8; et conf. Plin. VII, 12; Valer. Max. IX, 14 ext. 1. — *Seleucus*. Hujus nominis secundus (vid. ind.) per an. 508-528. — *Laodice*. Quæ soror et uxor repulsa fuerat Antiochi, ab ipsa veneno interemti. Vid. not. ad XXVI, 3, 8. — Anno Urbis 508.

2. *Berenicen*. Vid. not. ad XXVI, 3, 8. — *Ptolemæi*. Evergetæ, cap. 2, 9. — *Regis Ægypti*. Per annos 507-533.

3. *Infamiæ... subiit*. Ut *vitiorum subire nomina*, Cic. Off. III, 13 extr.

4. *Daphnæ*. Daphne, ait Vorstius, suburbanum fuit Antiochiæ, quæ et *Epidaphnes* inde dicitur. Nomen sine dubio indictum fuit a Seleuco Nicanore. De hoc enim supra XV, 4, 8, scribit Noster, quod campos vicinos Antiochiæ Apollini dicaverit. Huic autem adamata fuit Daphne. Quæ quidem levis conjectura. ED.

5. *Paternæ*. Filia erat, ut ad XXVI, 3, 8, dixi, Ptolemæi Philadelphi, neptis Ptolemæi Lagidæ. — *Indignæ fortunæ*. Fortunæ miseræ, adversæ, qua hanc feminam indignam judicabant. Ergo non est, cur cum Gron. avo corrigas *indignum*, referens ad *casum*, quod ipse explicat effectum; coll. Cæs. Bell. Gall. VI, 35, 2; Flor. II, 8, 1.

advolat. Sed Berenice ante adventum auxiliorum, 7
quum vi expugnari non posset, dolo circumventa trucidatur. Indigna res omnibus visa. Itaque quum uni- 8
versæ civitates, quæ defecerant, ingentem classem comparassent, repente exemplo crudelitatis exterritæ, simul et in ultionem ejus, quam defensuri erant, Ptolemæo se tradunt : qui, nisi in Ægyptum domestica 9
seditione revocatus esset, totum regnum Seleuci occupasset. Tantum vel illi odium, parricidiale scelus, vel 10
huic favorem indigne peremtæ mors sororis attulerat!

II. Post discessum Ptolemæi Seleucus quum adver- 1
sus civitates, quæ defecerant, ingentem classem comparasset, repente, veluti Diis ipsis parricidium vindicantibus, orta tempestate, classem naufragio amittit; nec quicquam illi ex tanto adparatu, præter nudum 2
corpus, et spiritum, et paucos naufragii comites residuos fortuna fecit. Misera quidem res, sed optanda 3
Seleuco fuit : siquidem civitates, quæ odio ejus ad Ptolemæum transierant, velut Diis arbitris satisfactum sibi esset, repentina animorum mutatione in naufragii misericordiam versæ, imperio se ejus restituunt. Lætus igitur malis suis, et damnis ditior redditus, 4
veluti par viribus, bellum Ptolemæo infert : sed quasi 5
ad ludibrium tantum fortunæ natus esset, nec prop-

8. *Quam defensuri... erant.* A qua crudelitate se defensuri erant. Cæterum est constructio, quæ dicitur ad sensum, *defensuri civitates.*

II. 3. *In naufragii misericordiam.* In misericordiam ejus naufragium passi. De re contulit Berneccerus Cicer. Manil. IX, 13 : *Hoc jam fere sic fieri solere accepimus, ut regum adflictæ fortunæ facile multorum opes alliciant ad misericordiam.* Nam, ut ait Seneca de Clementia II, 5, *non caussam, sed fortunam spectat misericordia ;* Livius XLII, 63, 2 : *Pravo studio etiam in certaminibus ludicris vulgus utitur, deteriori atque infirmiori favendo.* Tacit. Ann. XV, 44, 9; Valer. Max. V, 3, 3 : *Etiam quos injuriæ invisos faciunt, gratiosos miseriæ reddunt.*

4. *Damnis ditior. Clade major*, ut ait Flor. III, 21, 10, *cladibus animosior*, I, 16, 7. Confer etiam infra XXXVII, 1-8.

ter aliud opes regni recepisset, quam ut amitteret, victus prælio, non multo quam post naufragium co-
6 mitatior, trepidus Antiochiam confugit. Inde ad Antiochum fratrem literas facit: quibus auxilium ejus implorat, oblata ei Asia, inter fines Tauri montis, in
7 præmium latæ opis. Antiochus autem quum esset annos XIV natus, supra ætatem regni avidus, occasionem non tam pio animo, quam offerebatur, arripuit: sed latronis more, totum fratri eripere cupiens, puer
8 sceleratam virilemque sumit audaciam. Unde *Hierax* est cognominatus: quia non hominis, sed accipitris
9 ritu, in alienis eripiendis vitam sectaretur. Interea Ptolemæus Evergetes, quum Antiochum in auxilium Seleuco venire cognovisset, ne cum duobus uno tempore dimicaret, in annos decem cum Seleuco pacem
10 facit; sed pax ab hoste data interpellatur a fratre: qui, conducto Gallorum mercenario exercitu, pro auxilio bellum, pro fratre hostem se imploratus exhi-
11 buit. In eo prælio virtute Gallorum victor quidem Antiochus fuit: sed Galli, arbitrantes Seleucum in prælio cecidisse, in ipsum Antiochum arma vertere, liberius depopulaturi Asiam, si omnem stirpem re-
12 giam exstinxissent. Quod ubi sensit Antiochus, velut a prædonibus, auro se redimit, societatemque cum mercenariis suis jungit.

1 III. Interea rex Bithyniæ Eumenes, sparsis consumtisque fratribus bello intestinæ discordiæ, quasi va-

5. *Nan multo comitatior*. Non cum multo pluribus fugæ comitibus, quam post naufragium §. 2.

6. *Antiochum*. Cognomine *Hieracem* §. 8.

8. *Vitam* etc. Victum (ut XI, 15, 8) *sectaretur*, quæreret *ritu*, more accipitris *alienis eripiendis*, aliena eripientis, aliis sua eripientis.

9. *Cum duobus uno tempore*. Ut VI, 1, 2.

10. *Gallorum*. Respice XXV, 2, 8. — Anno Urbis 512.

11. *Depopulaturi*. Arbitrantes se depopulaturos esse, ut XXII, 4, 4.

III. 1. *Fratribus*. Seleuco et Hierace. Eumenes autem non Bithyniæ rex fuit, sed *Pergami* per annos

cantem Asiæ possessionem invasurus, victorem An-
tiochum, Gallosque adgreditur. Nec difficile saucios 2
adhuc ex superiore congressione, integer ipse viribus,
superat. Ea namque tempestate omnia bella in exitium 3
Asiæ gerebantur : uti quisque fortior fuisset, Asiam
velut prædam occupabat. Seleucus et Antiochus fra- 4
tres bellum propter Asiam gerebant : Ptolemæus, rex
Ægypti, sub specie sororiæ ultionis, Asiæ inhiabat.
Hinc Bithynus Eumenes, inde Galli, humiliorum 5
semper mercenaria manus, Asiam depopulabantur :
quum interea nemo defensor Asiæ inter tot prædones
inveniebatur. Victo Antiocho, quum Eumenes majo- 6
rem partem Asiæ occupasset, ne tunc quidem fratres,
perdito præmio, propter quod bellum gerebant, con-
cordare potuerunt : sed, omisso externo hoste, in
mutuum exitium bellum reparant. In eo Antiochus 7
denuo victus, multorum dierum fuga fatigatus, tan-
dem ad socerum suum Artamenem, regem Cappado-

490-512. Qui igitur *Bithyniæ* tueri vult, is cum Gronovio avo, ut hic, sic supra XVII, 2, 10, corrigere debebit *Nicomedes*. Res autem et historia quum postulet nomen *Eumenis;* auctor noster erravit in nomine *Bithyniæ*, cui, ut dixi, substituendum *Pergami*. Non minus autem Grævius hallucinatur, qui Attalum hic quærit, Eumenis fratrem, de quo Liv. XXXVIII, 12, ubi auctor versatur in A. U. 563, et bello Gallo-Græciæ, quum Noster h. l. versetur in A. U. 512. — *Victorem.* Simile apud Liv. I, 23, 9 : *Memor esto, jam quum signum pugnæ dabis, has duas acies spectaculo fore, ut fessos confectosque, simul victorem ac victum Etrusci* (vicini potentes) *adgrediantur.* Hinc præsagium Sallustii de excidio imperii Romani in Orat. I ad Cæsarem : *Ego sic existimo, quoniam orta omnia intereunt, qua tempestate urbi Romanæ fatum excidii adventarit, cives cum civibus manus conferturos : ita defessos aut exsangues regi aut nationi prædæ futuros.* ED.

4. *Ptolemæus.* Cap. 1, 6. — *Sub specie sororiæ ultionis.* Ut infra XXXVIII, 1, 3; supra IV, 3, 5; XVIII, 1, 1. — *Asiæ inhiabat.* Et Seleuco Ioniam, Hellespontum et Thraciæ oram eripiebat. — *Bithynus.* Aut potius Pergamenus §. 1.

5. *Humiliorum semper mercenaria manus.* Qui a victis semper mercede conducebantur. Boxhorn. autem conjicit; *horum omnium semper mercenaria manus.* ED.

6. — Anno Urbis conditæ 512.

7. *Socerum suum.* Sensu laxiore.

8 ciæ, provehitur. A quo quum primum benigne exceptus
esset, interjectis diebus, cognito, quod insidiæ sibi
9 pararentur, salutem fuga quæsivit. Igitur quum pro-
fugo nusquam tutus locus esset, ad Ptolemæum hos-
tem, cujus fidem tutiorem, quam fratris, existimabat,
decurrit: memor vel quæ facturus fratri esset, vel quæ
10 meruisset a fratre. Sed Ptolemæus non amicior dedito,
quam hosti factus, servari eum arctissima custodia
11 jubet. Hinc quoque Antiochus, opera cujusdam me-
retricis adjutus, quam familiarius noverat, deceptis
custodibus, elabitur, fugiensque a latronibus interfici-
12 tur. Seleucus quoque iisdem ferme diebus, amisso
13 regno, equo præcipitatus, finitur. Sic fratres, quasi
et germanis casibus, exsules ambo, post regna, sce-
lerum suorum pœnas luerunt.

Ariarathes enim, Ariamenis filius, uxorem duxerat Stratonicen, hujus Antiochi sororem. Qui autem hoc loco est *Artamenes*, in duobus MSS. est *Arimenes*, unde Is. Vossius eruit *Ariamenes*, qui Diodoro est *Ariamnes*. — *Provehitur*. Faber mavult cum Ald. et Bongars. *pervehitur*.

9. *Ptolemæum*. §. 4.

10. *Non amicior dedito, quam hosti factus*. Hoc ex Juntina, Grævio volente, Vorstius in textum recepit. Ante legebatur, *non amici debito quam hostis*. ED.

12. *Amisso regno*. Tiridati enim, Parthorum regi, cedere coactus, Media orientali captus, apud hunc degit per annos 518-527. Conf. XLI, 4, 9.

13. *Germanis*. Aptius correx. Bongars. *germani*: fratres natu, germani (fratres) quoque casibus. — *Scelerum*. Seleucus cædis novercæ, cap. 1, 2; Antiochus impietatis in fratrem. — Anno Urbis 528.

LIBER XXVIII.

I. Olympias, Pyrrhi Epirotæ regis filia, amisso ma- 1
rito, eodemque germano fratre Alexandro, quum
tutelam filiorum ex eo susceptorum, Pyrrhi et Ptole-
mæi, regnique administrationem in se recepisset,
Ætolis partem Acarnaniæ, quam in portionem belli
pater pupillorum acceperat, eripere volentibus, ad
regem Macedoniæ Demetrium decurrit; eique, habenti 2
uxorem Antiochi regis Syriæ sororem, filiam suam
Phthiam in matrimonium tradit, ut auxilium, quod
misericordia non poterat, jure cognationis obtineret.
Fiunt igitur nuptiæ, quibus et novi matrimonii gratia 3
adquiritur, et veteris offensa contrahitur. Nam prior 4
uxor, velut matrimonio pulsa, sponte sua ad fratrem
Antiochum discedit; eumque in mariti bellum impel-
lit. Acarnanes quoque diffisi Epirotis, adversus Ætolos 5

I. 1. *Alexandro.* Respice XXVI, 2, 9, et ind. in *Alexander* nr. 8. — *Quam pater pupillorum.* Alexander. — *In portionem belli acceperat.* Propterea quod belli particeps fuerat, Ætolis bellum gerentibus socius accesserat. — *Demetrium.* XXVI, 2, 11: qui quum A.U. 522 sit mortuus, hoc ante hunc annum factum statuendum est. — Anno Urbis 520.

2. *Phthiam.* Ita scrip. ex Plutarcho: codd. enim et edd., ut fit in nominibus propriis, variant. — *Antiochum.* At tum nullus Syriæ rex Antiochus. Nam Antiocho I an. 508 mortuo successerat Seleucus, de quo supra XXVII, 3, 12, regnans jam per annos 508-528. Esset igitur intelligendus Antiochus Magnus, regnans per annos Urbis 531-567; quod res non patitur, quum Demetrius in Macedonia regnarit per annos 512-522. Explicant igitur alii de Antiocho Hierace, de quo supra agit Justinus Noster (XXVII, 2), æmulo fratris. Seleuci illius per an. 508-528. Hujus autem sorori *Nicææ* nomen indunt.

5. *Diffisi.* Scilicet diffisi fidei et auxilio Epirotarum, in quorum ditione (§. 1) adversus Ætulos defendebantur.

auxilium Romanorum implorantes, obtinuerunt a Romano senatu, ut legati mitterentur, qui denuntia-
6 rent Ætolis, « præsidia ab urbibus Acarnaniæ deducerent; paterenturque esse liberos, qui soli quondam adversus Trojanos, auctores originis suæ, auxilia Græcis non miserint. »

1 II. Sed Ætoli legationem Romanorum superbe audivere: Pœnos illis et Gallos, a quibus tot bellis occi-
2 dione cæsi sint, exprobrantes; dicentesque, « prius illis portas adversus Carthaginienses aperiendas, quas clauserit metus Punici belli, quam in Græciam arma
3 transferenda. Meminisse deinde jubent, qui quibus
4 minentur. Adversus Gallos urbem eos suam tueri non potuisse, captamque non ferro defendisse, sed auro
5 redemisse. Quam gentem se aliquando majore manu Græciam ingressam, non solum nullis externis viribus, sed ne domesticis quidem totis adjutos, universam delesse; sedemque sepulcris eorum præbuisse,

6. *Qui denuntiarent Ætolis*. Hac de re confer *Montesquieu*, *Grandeur et Décadence des Romains, ch. VI:* « *Leur coutume* (des Romains) *étant de parler toujours en maîtres, les ambassadeurs qu'ils envoyaient chez les peuples, qui n'avaient point encore senti leur puissance, étaient sûrement maltraités: ce qui était un prétexte sûr pour faire une nouvelle guerre.* » E.n. — *Qui soli... miserint.* Quod ex Ephoro docet Strabo lib. X, pag. 695 et 708 seq.

II. 1. *Superbe audivere.* Livius VIII, 22, 9: *Relatum a Græcis, gente lingua magis strenua, quam factis, ferox responsum.* — *Exprobrantes.* Cæsi estis, Romani, tot bellis a Pœnis (bello Punico primo anno 489-512) et Gallis (anno 367) VI, 6, 5; XXXVIII, 4, 8.

2. *Quas... belli.* Videtur auctor innuere bellum Punicum alterum, quod Hannibal an. 534 ingressus, finiit an. 551. Quod si est; vides ipse, quam turpiter ante annum 522 loquentes inducat Acarnanas, de rebus post annum demum 534 gestis.

3. *Qui quibus minentur.* Qui sint ipsi Romani, et qui sint Ætoli, quibus minentur.

4. *Defendisse.* Hanc vocem delet Scheffer., quum ineptum sit dicere: *captam* urbem *defendere*. Captam igitur urbem vestram non ferro, sed auro redemistis.

5. *Quam gentem* etc. Resp. XXIV, 4 et cætera loca in ind. indicata. — *Se delesse.* Id est ipsi deleverint, Græca constructione. Conf. XVIII, 6, 3, et h. l. §. 8. — *Sedemque .. proposuerant.* Nos, inquiunt Ætoli, Gallos ibi cæsos sepelivimus, ubi

quam illi urbibus imperioque suo proposuerant. Con- 6
tra, Italiam, trepidis ex recenti urbis suæ incendio
Romanis, universam ferme a Gallis occupatam. Prius 7
igitur illis Gallos Italia pellendos, quam minentur
Ætolis; priusque sua defendenda, quam aliena adpe-
tenda. Quos autem homines Romanos esse? nempe 8
pastores, qui latrocinio justis dominis ademtum solum
teneant: qui uxores, quum propter originis dehonesta- 9
menta non invenirent, vi publica rapuerint: qui deni- 10
que urbem ipsam parricidio condiderint, murorumque
fundamenta fraterno sanguine adsperserint. Ætolos 11
autem principes Græciæ semper fuisse; et sicut dig-
nitate, ita et virtute cæteris præstitisse: solos denique 12
esse, qui Macedonas, imperio terrarum florentes,
semper contemserint: qui Philippum regem non ti-
muerint: qui Alexandri Magni post Persas Indosque
devictos, quum omnes nomen ejus horrerent, edicta
spreverint. Monere igitur se Romanos, contenti sint 13
fortuna præsenti, nec provocent arma, quibus et
Gallos cæsos, et Macedonas contemtos videant.» Sic 14
dimissa legatione Romanorum ne fortius loquuti,
quam fecisse, viderentur, fines Epiri regni et Acar-
naniæ depopulantur.

III. Jam Olympias filiis regna tradiderat; et in locum 1
Pyrrhi fratris defuncti Ptolemæus successerat: qui 2
quum hostibus, instructo exercitu, obvius processis-

ipsi urbes occupare imperiumque conferre constituerant.

6. *Universam... ferme.* Italiam superiorem, Galliam Cisalpinam.

8. *Pastores, qui... teneant.* Confer XXXVIII, 6, 7, 8, *justi domini sunt Albani.*

9. *Uxores... rapuerint.* Sabinas rapuerunt vi et quidem publica, i. e. jussu Romuli regis, Liv. I, 9.

10. *Qui adsperserint.* Quorum rex primus Romulus, fratre Remo occiso, regnum auspicatus sit, Liv. I, 7; Lucan. I, 95; Horat. Carm. V, 7, 19.

11. *Ætolos.* Homero jam Il. IX, 525, celebratos μενεχάρμας.

12. *Edicta.* Conf. XIII, 5.

14. *Regni.* Hanc vocem deleri vult Faber, et recte quidem.

III. 1. — Anno Urbis 535.

3 set, infirmitate correptus, in itinere decedit. Olympias
quoque [non magno post tempore] gemino funerum
vulnere adflicta, ægrum spiritum trahens, non diu
4 filiis supervixit. Quum ex gente regia sola Nereis virgo
cum Laodamia sorore superesset, Nereis nubit Ge-
5 loni, Siciliæ regis filio : Laodamia autem, quum in
aram Dianæ confugisset, concursu populi interficitur.
6 Quod facinus Dii immortales adsiduis cladibus gentis,
7 et prope interitu totius populi vindicaverunt. Nam
sterilitatem famemque passi, et intestina discordia
vexati, externis ad postremum bellis pæne consumti
8 sunt : Miloque, Laodamiæ percussor, in furorem ver-
sus, nunc ferro, nunc saxo, in summa dentibus lace-
9 ratis visceribus, duodecima die interiit. His in Epiro
gestis, interim in Macedonia Demetrius rex, relicto
10 filio Philippo, parvulo admodum, decedit. Cui Anti-
gonus tutor datus, accepta in matrimonium matre
11 pupilli, regem se constitui laborabat. Interjecto deinde
tempore, quum seditione minaci Macedonum, clausus
in regia teneretur, in publicum sine satellitibus pro-
12 cedit; projectoque in vulgus diademate ac purpura,
« dare hæc eos alteri jubet, qui aut imperare illis nes-
13 ciat, aut cui parere ipsi sciant : se adhuc invidiosum

3. *Non magno post tempore.* Verba uncia inclusa, absunt duobus codd. et Ald., nec sensum commodnm præbent.

4. *Regis.* Scil. Hieronis per annos 490-539. Reapice not. ad XXIII, 4, 1. Gelo ipse ante patrem mortuus est, Liv. XXIII, 30, 10; A U. 536. — *Laodomia.* (Sic Ald. et Bongars., exteræ edd. *Laudamia*, *Laudamea*, *Laodamia*), quæ aliis acriptoribus est *Deidamia.*

9. *Parvulo.* Qui ai an. 533 natua fuit annoa 14 (cap. 4, 16), tnm tres fere annos compleverat. — Anno Urbis 522.

10. *Antigonus.* II, cognomine *Δωσῶν*, filius Alcyonæi, quem ex pellice quadam Damone susceperat Antigonua Gonatas, Demetrii pater, Philippi avus. Ergo et bic Antigonus, et, cujus tutor erat, Philippus nepotes erant Antigoni Gonatæ. — *Matre pupilli.* Phthia de qna vide cap. 1, 2.

11. *Clausus in regia teneretur.* Se claudens, teneret se.

12. *Nesciat.* Edd. antiq. quinque

illud regnum, non voluptatibus, sed laboribus ac periculis sentire. » Commemorat deinde beneficia sua : 14
« ut defectionem sociorum vindicaverit : ut Dardanos, Thessalosque exsultantes morte Demetrii regis compescuerit : ut denique dignitatem Macedonum non solum defenderit, verum etiam auxerit. Quorum si illos 15
pœniteat, deponere se imperium, et reddere illis munus suum; ipsi regem quærant, cui imperent. » Quum 16
populus pudore motus, recipere eum regnum juberet, tamdiu recusavit, quoad seditionis auctores supplicio traderentur.

IV. Post hæc bellum Spartanis infert : qui soli Phi- 1
lippi Alexandrique bellis, et imperium Macedonum, et omnibus metuenda arma contemserant. Inter duas 2
nobilissimas gentes bellum summis utrinque viribus fuit : quum hi pro vetere Macedonum gloria, illi non solum pro illibata libertate, sed etiam pro salute certarent. Victi Lacedæmonii, non ipsi tantum, sed etiam 3
conjuges liberique, magno animo fortunam tulere. Nemo quippe in acie saluti pepercit : nulla amissum 4
conjugem flevit : filiorum mortem senes laudabant : patribus in acie cæsis filii gratulabantur : suam vicem

sciat, non bene. Nescit enim rex imperare suis, qui huic imperant. Sensus igitur est : quærite vobis regem, cui pro lubitu imperare possitis.

15. *Ipsi*. Edd. antiq. sex cum aliquot codd. *quia*, unde Bong. elicit *quare* : facilius Is. Vossius *quin* (qui non, i. e. cur non quærant? ergo : quærant igitur).

IV. 1. *Infert*. Scil infert Spartanis bellum Antigonus, in auxilium vocatus ab Arato, Achæorum duce. Conf. Plut. in hujus et Cleomenis vita.—*Philippi... contemserant*. IX, 5, 3. —*Alexandri*. XI, 2, 7; XII, 1, 6.

3. *Victi*. Ad Sellasiam olymp. 139, 3, A. U. 532, ubi ex 6,000 Spartanis non nisi 600 fuga salvi evaserunt, ut ait Plutarchus.

4. *Nulla amissum conjugem flevit*. Ita Romanæ mulieres post Cannensem pugnam : de quibus *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains*, IV : « *Rome fut sauvée par la force de son institution. Après la bataille de Cannes il ne fut pas permis aux femmes mêmes de verser des larmes. Le sénat refusa de racheter des prisonniers*, etc. » ED.

omnes dolebant, quod non ipsi pro patriæ libertate
5 cecidissent. Patentibus omnes domibus saucios exci-
6 piebant, vulnera curabant, lassos reficiebant. Inter
hæc nullus in urbe strepitus, nulla trepidatio; magis
omnes publicam, quam privatam fortunam lugebant.
7 Inter hæc Cleomenes rex post multas hostium cædes,
toto corpore, suo pariter et hostium cruore madens,
8 supervenit; ingressusque urbem non humi consedit,
non cibum aut potum poposcit, non denique armo-
9 rum onus deposuit: sed adclinis parieti, quum quatuor
millia sola ex pugna superfuisse conspexisset, horta-
tur, « ut se ad meliora reipublicæ tempora reserva-
10 rent. » Tum cum conjuge et liberis Ægyptum ad Pto-
lemæum proficiscitur: a quo honorifice susceptus,
11 diu in summa dignatione regis vixit. Postremo post
Ptolemæi mortem, a filio ejus cum omni familia inter-
12 ficitur. Antigonus autem, cæsis occidione Spartanis,
fortunam tantæ urbis miseratus, a direptione milites
13 prohibuit; veniamque his, qui superfuerant, dedit,

5. *Patentibus omnes* etc. Confer Liv. II, 47, 12; Tacit. Ann. IV, 63, 6; German. VII: *Quodque præcipuum* (Germanis) *fortitudinis incitamentum est, non casus nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiæ et propinquitates, et in proximo pignora; unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium: hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. Ad matres, ad conjuges vulnera ferunt: nec illæ numerare aut exigere plagas pavent.* ED.

6. *Magis... lugebant.* Conferendus est Livius XXVI, 36, 9: *Nam respublica incolumis, et privatas res facile salvas præstat: publica prodendo, tua nequicquam serves.*

9. *Hortatur.* Gron. avus, Latiniorem orationem sectatus corrigit: *hortatus... reservarent, cum... proficiscitur.* De re conf. II, 11, 5, et Diodor. XVII, 63.

10. *Ptolemæum.* Everget. XXVII, 2, 5; et cap. 3, 11, cap. 1, 1. — *Dignatione.* Id est, *gratia* quamquam tamen ponitur *dignatio* pro ipsa quoque *dignitate.* Cic. ad Atticum X, 10: *Etsi meus quidem* (animus) *est fortior, eoque ipso vehementius commovet, nec quicquam nisi de dignatione laborat.* ED.

11. *A filio.* Et successore, Ptolemæo Philopatore, per an. 533-350 regnante XXIX, 1, 5. Ipsum tamen Cleomenem sibi vim intulisse referunt Plut. in vita, et Pausanias II, 9, 3.

præfatus, « bellum se cum Cleomene, non cum Spar-
tanis habuisse, cujus fuga omnis ira ejus finita sit :
nec minori sibi gloriæ fore, si ab eo servata Lacedæ- 14
mon, a quo solo capta sit, proderetur. Parcere igitur 15
se solo urbis ac tectis, quoniam homines, quibus par-
ceret, non superfuissent. » Nec multo post ipse dece- 16
dit, regnumque Philippo pupillo, annos XIV nato,
tradidit.

13. *Ejus*. Aut potius legendum *sua* (Antigoni).

14. *A quo solo*. Quid XXV, 4, 9? — *Proderetur*. Memoriæ, quod additur XII, 6, 17.

16. — Anno Urbis conditæ 533.

LIBER XXIX.

1 I. Iisdem ferme temporibus prope universi orbis im-
2 peria nova regum successione mutata sunt. Nam et in
Macedonia Philippus, mortuo Antigono, tutore eo-
demque vitrico, annorum quatuordecim regnum sus-
3 cepit : et in Asia, interfecto Seleuco, impubes adhuc
4 rex Antiochus constitutus est : Cappadociæ quoque
regnum Ariarathi, puero admodum, pater ipse tradi-
5 derat : Ægyptum, patre ac matre interfectis, occupa-
verat Ptolemæus, cui ex facinoris crimine cognomen-
6 tum *Philopatori* fuit. Sed et Spartani in locum Cleo-
7 menis suffecerunt Lycurgum. Et ne qua temporibus
mutatio deesset, apud Carthaginienses quoque ætate
immatura dux Hannibal constituitur, non penuria
seniorum, sed odio Romanorum, quo imbutum eum
a pueritia sciebant, fatale non tam Romanis, quam
8 ipsi Africæ, malum. His regibus pueris etsi nulli se-

I. 2. *Nam et in Macedonia Philippus*, etc. Respice XXVIII, 4, 16, et cap. 3, 10. Philippus Macedoniæ rex A. U. 533-576.

3. *Interfecto Seleuco*. Resp. XXVII, 3, 12. Seleuco autem illi, II, Callinico A. U. 528, quum Seleucus III, Ceraunus filius, successisset, huic demum veneno necato successit an. 531, frater Antiochus, *Magnus* insequente tempore dictus.

4. *Pater*. Artamenes XXVII, 3, 7.

5. *Ptolemæus, cui... Philopatori*. XXVIII, 4, 11, et infra XXX, 1-2. — Anno Urbis 533.

6. *Spartani... suffecerunt Lycurgum*. Respice XXVIII, 4, 10-11. Spartani, aut potius Ephori factione electi, Polyb. IV, 34-37, nec non 81 et 82. — Anno Urbis 534.

7. *Ætate immatura*. Non satis imperatoria, quum ageret annum ætatis 26, vid. Corn. in vita cap. 3, 2, ibique a me notata. Distinxi cum Gron. avo post *sciebant* commate, non cum vulg. puncto, ut *fatale malum* sit adpositio τοῦ *Hannibal*. De re adi Corn. XXIII, 2, 3. — Anno Urbis conditæ 533.

8. *His regibus pueris*. Scheffer. ma-

nioris ætatis rectores erant, tamen in suorum quibusque
majorum vestigia intentis, magna indoles virtutis eni-
tuit. Solus Ptolemæus, sicut scelestus in occupando 9
regno, ita et segnis in administrando fuit. Philippum 10
Dardani, cæterique omnes finitimi populi, quibus
velut immortale odium cum Macedonum regibus erat,
contemtu ætatis adsidue lacessebant. Contra ille, sub- 11
motis hostibus, non contentus sua defendisse, ultro
etiam Ætolis bellum inferre gestiebat.

II. Quæ agitantem illum Demetrius, rex Illyriorum, 1
nuper a Paullo, Romano consule, victus, supplicibus
precibus adgreditur, injuriam Romanorum querens:
« qui non contenti Italiæ terminis, imperium spe im- 2
proba totius orbis amplexi, bellum cum omnibus
regibus gerant. Sic illos Siciliæ, sic Sardiniæ, Hispa- 3

vult *in his regibus pueris :* quamquam Virg. sic loquitur, Æneid. IV :

... Tantum egregio decus enitet ore.

— *In... vestigia intentis.* Imp Julianus in Misopog., *Quemadmodum in plantis veresimile est diffundi qualitates quam latissime, ac fortasse in totum similia nasci quæ gignuntur, iis quibus orta sunt; sic in hominibus credibile est, nepotum mares avitis adfines esse.* ED.

9. *Segnis.* Hinc Ægypti regnum a tribus soperioribus Ptolemæis, Lagide, Philadelpho et Evergete auctum, sub hoc jam magis magisque labi cœpit.

10. *Dardani.* Vid. loca in ind., ioprimis XI, 1, 6.

II. 1. *Quæ agitantem* etc. Illyriorum rex Agron quum A. U. 524 decessisset, filii impuberis Pinnei tutelam suscepit noverca Teuta, quæ hoc Demetrio legato usus est ad Romanos : qua pulsa ipse nixus Romanorum potentia, ducta Pinnei matre Tritenta in matrimonium, regem se ferebat A. U. 534. Hinc quum aliis Illyrici populis, Romanorum sociis, et Cycladibus bellum intulisset, bellum contra hunc decretum demandatur L. Æmilio Paullo, consuli anno Urbis conditæ 534 (Freinshemius Suppl. Liv. XX, 59), a quo victus confugit ad Philippum.

2. *Imperium spe... amplexi.* Sperantes se imperaturos esse — *Improba.* Id est audaci, impudente, nimisque avida. Florus III, 10, 32 : *improba classis naufragia castigata.* Et quoque *improbus dictus quod instat etiam prohibenti*, inquit Isidorus lib. X. Quod tamen in malam partem sumitur, illud etiam in bonam, Virg. Georg. lib. I, vers. 145 :

... Labor omnia vincit
Improbus...

Stat. Thebaid. lib. VI, vers. 801 :

... adsurgentem magno puer improbus ictu
Perculit, eventuque impalluit ipse secundo. ED.

niæque, sic denique totius Africæ imperium adfec-
tantes, bellum cum Pœnis et Hannibale suscepisse :
4 sibi quoque non aliam ob caussam, quam quod Italiæ
finitimus videbatur, bellum illatum : quasi nefas esset,
5 aliquem regem juxta imperii eorum terminos esse. Sed
et ipsi cavendum esse exemplum : cujus quanto prom-
tius nobiliusque sit regnum, tanto sit Romanos acrio-
6 res hostes habiturus. » Super hæc, « cedere se illi regno,
quod Romani occupaverint, » profitetur; « gratius ha-
biturus, si in possessione imperii sui socium, potius
7 quam hostes, videret. » Hujuscemodi oratione impulit
Philippum, ut, omissis Ætolis, bellum Romanis in-
ferret, minus negotii existimantem, quod jam victos
8 ab Hannibale apud Trasimenum lacum audierat. Ita-
que ne eodem tempore multis bellis distineretur, pa-
cem cum Ætolis facit; non quasi alio bellum transla-
turus, sed ut Græciæ quieti consulturus, « quam nun-
9 quam in majori periculo fuisse » adfirmabat : « siquidem
consurgentibus ab Occidente novis Pœnorum et Ro-
manorum imperiis, quibus una hæc a Græcia atque

3. *Hannibale.* Qui anno inseq. Scipione et Sempronio consulibus, bellum Romanis intulit, Cornel. XXIII, 4, 2.

4. *Videbatur.* Latine dicendum erat *videretur*, aut potius, *visus esset*, quum præcedat *illatum esse*, ergo præteritum constructionis obliquæ.

5. *Promtius.* Aptius sane, quod est in Ald., Col., Bong., *propius.*

6. *Cedere se illi regno, quod* etc. Scilicet, cedere se illi ex regno (regni) partem quam. ED. — *Habiturus.* Cohæret cum præc. *profitetur* ita : profitetur dicens se habiturum esse. Confer XXVII, 2, 11. Pro *gratius* ex MSS. Bongarsianis dedit Burmannus *gratias.*

7. *Thrasimenum lacum.* Ubi an. 536 Flaminium consulem vincit Hannibal, Corn. XXIII, 4, 3.

8. *Distineretur.* Ita pro *detineretur* (edd. antiq. septem *gravaretur*) dedi ex correctione Fabri, Grævio probata, quum *detineatur* exercitus longo bello aut obsidione, duobus pluribusve bellis. Conf. XXXI, 1, 6 : de re VI, 1, 2; Liv. XXIX, 30, 10. — *Facit... translaturus.* Ut §. 6 : dicens, non ideo se facere pacem, quod alio bellum velit transferre.

9. *Quibus una... sit mora.* Quos una hæc res moretur, sive prohibeat a Græcia atque Asia, quam sint occupaturi, simul ac bello sit decretum, uter imperet, Pœnusne an Ro-

Asia sit mora, dum inter se bello discrimen imperii faciunt: cæterum statim victoribus transitum in Orientem fore.»

III. « Videre se itaque, ait, consurgentem in Italia 1
nubem illam trucis et cruenti belli: videre tonantem
ac fulminantem ab Occasu procellam, quam in quascunque
terrarum partes victoriæ tempestas detulerit,
magno cruoris imbre omnia fœdaturam. Frequenter 2
Græciam ingentes motus passam, nunc Persarum,
nunc Gallorum, nunc Macedonum bellis: sed omnia
illa ludum fuisse existimaturos, si ea, quæ nunc in
Italia concurrat manus, extra terram illam se effuderit.
Cernere se, quam cruenta et sanguinaria inter se bella 3
utrique populi viribus copiarum, et ducum artibus gerant:
quæ rabies finiri solo partis alterius interitu, sine
ruina finitimorum, non possit. Feros igitur animos 4
victorum minus quidem Macedoniæ, quam Græciæ,
timendos, quia et remotior, et in vindictam sui robustior
sit: scire tamen se, eos, qui tantis viribus 5
concurrant, non contentos hoc fine victoriæ fore;

manus.—De re autem, hujus prædicti eventus optime fidem fecit. Nam, ut ait *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romoins, ch. V*: « *Lorsqu'on voit deux grands peuples se foire une guerre longue et opiniâtre, c'est souvent une mauvaise politique de penser qu'on peut demeurer spectateur tranquille: cor celui des deux peuples qui est le vainqueur, entreprend d'abord de nouvelles guerres; et une nation de soldats va combattre contre des peuples qui ne sont que citoyens. Ceci parut bien cloirement dans ces temps-là: car les Romains eurent ò peine dompté les Carthaginois, qu'ils attaquèrent de nouveaux peuples, et parurent par toute la terre, pour tout envahir.* ED.

III. 1. *Videre se... consurgentem* etc. Non fatidica magis oratione Cumæa sibylla apud Virgilium Æn. VI, vers. 86, hæc canit:

... bella, horrida bella,
Et Tibrim multo spumantem sanguine cerno. ED.

2. *Persorum... bellis*. Darii, Xerxis, Artaxerxis, de quibus consule ind. — *Gallorum*. XXIV, 4 seqq. — *Macedonum*. A Philippi inde temporibus lib. VIII. — *Ludum*. *Levia*, quod est in ed. Bongars. et MSS. Modii, est illius glossa. — *In Italia concurrat*. Gronov. avus mavult *Italiam concutiat*.

4. *Remotior*. Quod quum rei ipsi repugnet, Faber corrigit, *promtior*, id est, fortior.

metuendumque sibi quoque certamen eorum, qui su-
6 periores exstiterint.» Hoc prætextu, finito cum Ætolis
bello, nihil aliud, quam Pœnorum Romanorumque
7 bella respiciens, singulorum vires perpendebat. Sed
nec Romani, tametsi Pœni et Hannibal in cervicibus
8 erant, soluti metu Macedonico videbantur: quippe
terrebat eos et vetus Macedonum virtus, et devicti
Orientis gloria, et Philippus studio Alexandri æmula-
tionis incensus, quem promtum in bella industrium-
que cognoverant.

1 IV. Igitur Philippus, quum, iterato prælio, victos a
Pœnis Romanos didicisset, aperte hostem se his pro-
fessus, naves, quibus in Italiam exercitum trajiceret,
2 fabricare cœpit. Legatum deinde ad Hannibalem, jun-
3 gendæ societatis gratia, cum epistolis mittit: qui com-
prehensus, et ad senatum perductus, incolumis di-
missus est, non in honorem regis, sed ne, dubius
4 adhuc, indubitatus hostis redderetur. Postea vero,
quum Romanis nuntiatum esset, in Italiam Philippum
copias trajecturum, Lævinum prætorem cum instruc-

7. *Tametsi.* Aptius, quod est in edd. antiq. sex, *quibus,* hoc sensu: atque ut Philippus Romanos timebat, sic et Romani Macedonas timebant, quibus (cum illis) Pœni erant in cervicibus. At quis sensus? Romani, *etsi* a Pœnis urgebantur, tamen metuebant Macedonas.

8. *Devicti Orientis.* Conf. XVIII, 1, 2; XIV, 2, 9; et cap. 4, 19; XXIV, 4, 9: *Philippus incensus gloria rerum ab Alexandro gestarum, quem æmulari studebat.*

IV. 1. *Iterato prælio.* De quo adi Corn. in vita Hannibalis.

2. *Legatum deinde* etc. Conf. Liv. XXIII, 33, qui an. 537 refert hos a Philippo legatos ad Hannibalem missos esse, cladis Cannensis nuntio accepto.

3. *Sed ne, dubius adhuc... redderetur.* Scilicet, non ut regem honoraret, sed ne Philippus, de quo dubitabat, an vellet ipsi bellum inferre, impelleretur ad bellum inferendum. De re autem, de Xenophane Philippi legato ac suis ita Liv. XXIII, *captivis in vincula conditis, comitibusque eorum sub hasta venditis,* etc. De dimissione eorum nihil. AD.

4. *Lævinum prætorem* etc. M. Valerium Lævinum prætorem an. 538 Brundisio Oricum trajecisse narrat Liv. XXIV, 40, qui XXVI, 24-26, quomodo Ætolos in Philippum excitare studuerit, narrat ad an. 541.

tis navibus ad prohibendum transitum mittunt. Qui 5
quum in Græciam trajecisset, multis promissis impellit
Ætolos bellum adversus Philippum suscipere. Phi-
lippus quoque Achæos in Romanorum bella solicitat.
Interea et Dardani Macedoniæ fines vastare cœperunt, 6
abductisque xx millibus captivorum, Philippum a
Romano bello ad tuendum regnum revocaverunt.
Dum hæc aguntur, Lævinus prætor, juncta cum At- 7
talo rege societate, Græciam populatur. Quibus cladi-
bus perculsæ civitates, auxilium petentes Philippum
legationibus fatigant: nec non et Illyriorum rex, lateri 8
ejus hærens, adsiduis precibus promissa exigebat. Su-
per hæc vastati Macedones ultionem flagitabant. Qui- 9
bus tot tantisque rebus obsessus, cui rei primum
occurreret, ambigebat; omnibus tamen propediem
auxilia se missurum pollicetur: non quia facere pos-
set, quæ promittebat, sed ut spe impletos in socie-
tatis jure retineret. Prima tamen illi expeditio adver- 10
sus Dardanos fuit: qui, absentiam ejus aucupantes,
majore belli mole Macedoniæ imminebant. Cum Ro- 11
manis quoque pacem facit, contentis interim bellum

5. *Impellit Ætolos bellum... suscipere.* Hac de re autem confer *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains, chap. V: « Les Romains saisissant l'occasion de leur ressentiment, ou plutôt de leur folie, firent alliance avec eux, entrèrent dans la Grèce, et l'armèrent contre Philippe. »* BO. — *Achæos... solicitat.* Iisque auxilium fert contra Ætolos, Romanorum socios, Liv. XXVII, 29-30, ad an. 544. — Anno Urbis 541.

6. *Dardani.* Respice cap. 1, 10; coll. Liv. XXVII, 33, ad an. 544, hoc referente.

7. *Juncta. Inita* edd. antiq. sex. — *Rege.* Pergami per annos 512-556, quem an. 544 Æginam cum navibus venisse, auxilium Ætolis Romanisque laturum, narrat Liv. XXVII, 30, 11. Conf. infra XXX, 3, 5.

8. *Nec non et Illyriorum rex.* Respice cap. 2, 1.

9. *Pollicetur... retineret.* Confer Liv. XXXI, 46, 4; XXXIV, 12, 2; XXXIV, 59, 6; Tacit. Hist. III, 25, 1.

10. *Prima tamen illi expeditio.* Quod Livius tamen refert ad an. demum 555, lib. XXXIII, 19: quamquam jam an. 545, ex Græcia in Macedoniam regem rediisse, ut Dardanis bellum inferret, refert XXVIII, 8, 14.

11. *Cum Romanis quoque pacem fa-*

Macedonicum distulisse: Philopœmeni, Achæorum duci, quem ad Romanos sociorum animos solicitare
12 didicerat, insidias prætendit. Quibus ille cognitis vitatisque, discedere ab eo Achæos auctoritate sua coegit.

cit. An. 547, Liv. XXIX, 12. Qui, ut rex didicerat (cognoverat, audiverat), sociorum (Achæorum) animos solicitaverat ad societatem cum Romanis ineundam, fœdusque cum Philippo solvendum, ab an. inde 542 cum hoc initum contra Ætolos, in quos et Cleomenem 527-532 excitaverant (XXVIII, 4, 1), et ipsi bellum gesserant per an. 535-537. Anno autem 554 Romanorum partes amplectuntur, auctore Philopœmene, duce suo fortissimo, prudentissimo, per annos 531-569. Conf. infra XXXII, 1, 4.

12. — Anno Urbis conditæ 554.

LIBER XXX.

I. PHILIPPO in Macedonia magnis rebus intento, in 1
Ægypto Ptolemæi diversi mores erant. Quippe regno 2
parricidio parto, et ad necem utriusque parentis
cæde etiam fratris adjuncta, velut rebus feliciter gestis,
luxuriæ se tradiderat; regisque mores omnis sequuta
regia erat. Itaque non amici tantum præfectique, ve- 3
rum etiam omnis exercitus, depositis militiæ studiis,
otio ac desidia corrupti marcebant. Quibus rebus 4
cognitis, Antiochus, rex Syriæ, veteri inter se regno-
rum odio stimulante, repentino bello multas urbes
ejus oppressit, ipsamque Ægyptum adgreditur. Tre- 5
pidare igitur Ptolemæus; legationibus missis, quoad
vires pararet, morari Antiochum. Magno deinde in 6
Græcia exercitu conducto, secundum prælium facit;
spoliassetque regno Antiochum, si fortunam virtute
juvisset. Sed contentus reciperatione urbium, quas 7
amiserat, facta pace, avide materiam quietis arripuit;
revolutusque in luxuriam, occisa Eurydice uxore ea-
demque sorore sua, Agathocliæ meretricis illecebris

I. 1. *Ptolemæi.* De quo XXIX, 1, 5, qui regn. per annos 533-550.

2. *Adjuncta.* MSS. omnes *adstructa*, ut supra XXIII, 3, 12 ED. — *Regisque... erat.* Confer Cic. ad div. I, 9, 27.

3. *Præfectique.* Provinciarum satrapæ, *gouverneurs*, XIII, 4, 25, hoc loco cap. 2, 5.

4. *Antiochus.* De quo ad XXIX, 1, 3, qui regnavit 531-567. — Anno Urbis 535.

5. *Adgreditur.* Adjutus a Theodoto, imperatore Ægyptio, quem Ptolemæus offenderat.

6. — Anno Urbis 537.

7. *Urbium.* Aut potius provinciarum, Cœle-Syriæ, Phœnices, Palæstinæ, quas an. 535 sibi ab Antiocho ereptas jam an. 537 recipit.

8 capitur. Atque ita omnem magnitudinem nominis ac majestatis oblitus, noctes in stupris, dies in conviviis
9 consumit. Adduntur instrumenta luxuriæ, tympana et crepundia : nec jam spectator rex, sed magister
10 nequitiæ, nervorum oblectamenta modulatur. Hæc primo laborantis regiæ tacitæ pestes et occultæ fuere.
1 II. Deinde crescente licentia, jam nec parietibus regiæ domus contineri meretricis audacia potest :
2 quam proterviorem sociata cum Agathocle fratre, ambitiosæ pulchritudinis scorto, quotidiana regis stu-
3 pra faciebant. Accedebat et mater Œnanthe, quæ geminæ sobolis illecebris devinctum regem tenebat.
4 Itaque non contentæ rege, jam etiam regnum possident, jam in publico visuntur, jam salutantur, jam
5 comitantur. Agathocles regis lateri junctus, civitatem regebat : tribunatus, præfecturas, et ducatus mulieres

9. *Crepundia.* Vulgo *tripudia*, hoc est crepitacula, sistra Ægyptiaca, quibus in choreis utebantur veteres. ED. — *Magister nequitiæ.* Conf. Tac. Annal., XIII, 3, de Nerone : quem quidem locum sic imitatus est *Racine*, *Britannicus*, *Act. IV*, *sc.* 4 :

Pour toute ambition, pour vertu singulière,
Il excelle à conduire un char dans la carrière,
A disputer des prix indignes de ses mains,
A se donner lui-même en spectacle aux Romains,
A venir prodiguer sa voix sur un théâtre.

ED.

— *Nervorum oblectamenta.* Nervos oblectantes, quo sensu apud Cicer. Tusc. I, 2, *nervorum vocumque cantus.*

10. *Hæc.* Latinitas postulat *hæ*, rel. ad *pestes*. — *Laborantis.* Malo intestino ægrotantis, quod aptius est *pesti*, quam quod in quibusdam codd. et edd. antiq. septem est, *labentis*, quod Grævius corrigit in *labantis*, id est, ruinam minantis. — *Tacitæ pestes et occultæ.* Edd. illæ antiquæ : *tacita pestis et occulta mala*, quam manifestam interpolationem amplectitur Grævius. Tacitam autem et occultam pestem vocat auctor, quippe intra domus regiæ parietes inclusam cap. 2, 1.

II. 3. *Œnanthe.* Confer Plut. in Cleom. 46; Polyb. XV, 27 et 31; Athen. VI, 13.

4. *Itaque non contentæ rege*, etc. Apud Suetonium cap. 29, Ptolemæi mores Claudius egregie retulit, qui, *libertis uxoribusque addictus, non principem se, sed ministrum egit; compendio cujusque horum, vel etiam studio ac libidine, honores, exercitus, impunitates, supplicia largitus est, et quidem inscius plerumque et ignarus.* ED. — *Comitantur.* Passive : *Per plateas incedunt, comitibus splendidis stipati.*

5. *Tribunatus.* Magistratus urbanos. — *Præfecturas.* Provinciarum

ordinabant; nec quisquam in regno suo minus, quam ipse rex, poterat. Quum interim, relicto quinquenni 6
ex Eurydice sorore filio, moritur : sed mors ejus, dum pecuniam regiam mulieres rapiunt, et imperium, inita cum perditissimis societate, occupare conantur, diu occultata fuit. Re tandem cognita, concursu multitu- 7
dinis, et Agathocles occiditur, et mulieres in ultionem Eurydices patibulis suffiguntur. Morte regis, suppli- 8
cio meretricum velut expiata regni infamia, legatos Alexandrini ad Romanos misere, orantes, « ut tutelam pupilli susciperent; tuerenturque regnum Ægypti, quod jam Philippum et Antiochum, facta inter se pactione, divisisse » dicebant.

III. Grata legatio Romanis fuit, caussam belli ad- 1
versus Philippum quærentibus, qui insidiatus eis temporibus Punici belli fuerat. Huc accedebat, quod 2
Pœnis et Hannibale superato, nullius magis arma metuebant, reputantibus, quantum motum Pyrrhus parva manu Macedonum in Italia fecisset, quantasque

cap. 1, 3. — *Ducatus.* Belli IX, 6, 8.

6. *Filio.* Ptolemæo *Epiphane* per annos 550-573, de quo infra vide XXXI, 1, 1.

7. *Mulieres.* Agathoclia cum matre OEnanthe cap. 1, 7, et cap. 2, 3.

8. *Philippum.* Qui pace an. 547 inita (XXIX, 4, 11), jam rupta, novum cum Romanis bellum ingressus fuerat an. 552 (Liv. XXXI, 5), societatemque cum Antiocho inierat cap. 14, 5, ubi *animos Philippo faciebat, præter ferociam insitam, fœdus ictum cum Antiocho, Syriæ rege, divisæque jam cum eo Ægypti opes*, cui, morte audita Ptolemæi (Philopatoris) regis, ambo imminebant. De potentia hac Romanorum confer Flor. II, 7, 8.

III. 1. *Qui insidiatus* etc. Qui Punico bello altero (535-550, vid. not. ad XXXVIII, 4, 6) insidiatus Romanis fuerat; legatos ad Hannibalem miserat XXIX, 4, 2; et contra quem ipsi Lævinum in Græciam miserant XXIX, 4, 4, an. 538; qui porro Achæos in ipsos solicitaverat XXIX, 4, 5, anno Urbis conditæ 544; et anno demum 547 a Dardanis infestatus, pacem cum his inierat XXIX, 4, 11.

2. *Reputantibus.* De hujus genere constructionis apud Justinum nostrum maxime usitati, confer ad II, 13, 6. ED. — *Macedonum.* Quorum novem millia a Ptolemæo Cerauno in biennium auxiliaria Pyrrhus acceperat XVII, 2, 13-14. — *Oriente.* Ab his, duce Alexandro, subacto. Confer XXIX, 3, 8.

3 res Macedones in Oriente gessissent. Mittuntur itaque legati, qui Antiocho et Philippo denuntient, « regno
4 Ægypti abstineant. » Mittitur et M. Lepidus in Ægyptum, qui tutorio nomine regnum pupilli administret.
5 Dum hæc aguntur, interim legationes Attali regis et Rhodiorum, injurias Philippi querentes, Romam venerunt. Quæ res omnem cunctationem Macedonici
6 belli senatui exemit. Statim igitur, titulo ferendi sociis auxilii, bellum adversus Philippum decernitur, legio-
7 nesque cum consule in Macedoniam mittuntur. Nec multo post tempore, tota Græcia, fiducia Romanorum, adversus Philippum, spe pristinæ libertatis erecta, bellum ei intulit: atque ita, quum rex undique
8 urgeretur, pacem petere compellitur. Deinde, quum expositæ conditiones pacis a Romanis essent, repetere sua et Attalus, et Rhodii, et Achæi, et Ætoli cœpere.

3. *Regno Ægypti abstineant.* Hac de re confer *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains, VI: « Quand quelque prince avait fait une conquête, qui souvent l'avait épuisé, un ambassadeur Romain survenait d'abord, qui la lui arrachait des mains. Entre mille exemples, on peut se rappeler comment avec une parole ils chassèrent d'Égypte Antiochus.* » ED.

4. *Mittitur et M. Lepidus.* Lepidum cum Nerone et Sempronio missum anno 551, in Ægyptum narrat Liv. XXXI, 2, ut et victum Hannibalem nuntiaret, et regi de fide servata gratias agerent. Conf. Valer. Max. VI, 6, 1.

5. *Attali.* XXIX, 4, 7; coll. de re Liv. XXXI, 2, 1. — *Injurias Philippi querentes.* Hac de re conf. *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains, VI: « Philippe, qui dans le commencement de son règne s'était attiré l'amour et la confiance des Grecs par sa modération, changea tout à coup, et devint un cruel tyran, dans un temps où il aurait dû être juste par politique et par ambition.* » ED.

6. *Titulo ferendi sociis auxilii.* Hac de re confer *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains, chap. VI: « Lorsqu'ils* (les Romains) *voyaient que deux peuples étaient en guerre, quoiqu'ils n'eussent aucune alliance, ni rien à démêler avec l'un ni avec l'autre, ils ne laissaient pas de paraître sur la scène; et comme nos chevaliers errans, ils prenaient le parti du plus faible.* » ED. — *Consule.* An. 552, Galba et Cotta consulibus, bellum cum Philippo initum esse narrat Liv. XXXI, 5, et a Galba gestum cap. 6 et 14.

7. *Erecta.* A T. Quinctio Flaminino, cs. an. 554, libera promulgata in ludis publicis an. 556, Liv. XXXIII, 32. — *Compellitur.* A Flaminino illo ad Cynoscephalas victus an. 555 (Liv. XXXVII, 7), qui et

Contra Philippus, « adduci se posse, ut Romanis pa- 9
reat, » concedebat; « Cæterum indignum esse, Græcos
a Philippo et Alexandro, majoribus suis victos, et sub
jugum Macedonici imperii subactos, veluti victores,
leges pacis sibi dicere, quibus prius sit servitutis ratio
reddenda, quam libertas vindicanda. » Ad postremum 10
tamen, petente eo, induciæ duorum mensium datæ,
ut pax, quæ in Macedonia non conveniebat, Romæ
a senatu peteretur.

IV. Eodem anno inter insulas Theram et Thera- 1
siam, medio utriusque ripæ et maris spatio, terræ
motus fuit. In quo, cum admiratione navigantium, 2
repente ex profundo cum calidis aquis insula emersit.
In Asia quoque eadem die idem motus terræ Rhodum, 3
multasque alias civitates, gravi ruinarum labe con-
cussit: quasdam solidas absorbuit. Quo prodigio ter- 4
ritis omnibus, vates cecinere, « oriens Romanorum
imperium, vetus Græcorum ac Macedonum voratu-

cap. 12-13, de pace agit regi concessa; coll. h. l. cap. 4, 17; Flor. II, 15, 17.

9. *Majoribus suis.* Id est, antecessoribus regni. Philippus enim, Demetrii filius, Antigoni Gonatæ nepos, proavum habebat Demetrium Polioreetem, Antigoni filium. Antigonus ipse dux fuerat Alexandri XIII, 4, 14, quamquam cum hoc ad Temenum genus suum referens XV, 2, 10 not. — *Servitutis ratio reddenda.* Id est, ratio reddenda erat modi, quo, utpote servi, sese habuerant. ED.

10. *Duorum.* Quatuor Livius XXXIII, 13, 13.

IV. 1. *Eodem anno.* Immo multis annis ante, nempe olymp. 139, 1, A. U. 530, quod constat ex Polybio et Eusebii Chronico; quamquam Plin. II, 87, defert ad olymp. 156, 2, A. U. 599; Diodor. XXVI, 6, ad olymp. 140, 4, A. U. 537. — — *Theram.* Hodie *Santorini*, juxta quam A. C. 1707, die 23. Mart. similis insula prosiluit ex mari, quæ adcrevit ad an. usque 1711. — *Maris.* Cretici.

2. *Insula.* Automata, sive Hiera.

4. *Vates cecinere*, etc. Vetus Græcorum ac Macedonum imperium, a Philippo et Alexandro conditum, devorabitur (terræ instar a mari absorptæ) ab oriente Romanorum imperio. Illud autem ut cum Gatterero statuere potes ab anno inde Urbis 400 (424) ad annum usque 600 (607), sic hoc ab hoc inde tempore propagat ad annum usque Chr. 453, ergo per annos 1600, sicut illud per annos 200: ita ut periodus, quam

5 rum. » Interim a senatu repudiata pace, Philippus in
6 societatem belli Nabin tyrannum solicitat. Atque ita,
quum in aciem exercitum instructis e diverso hostibus
produxisset, hortari suos cœpit, referendo, « Persas,
Bactros, Indosque, et omnem Asiam, Orientis finem,
7 a Macedonibus perdomitam; tantoque fortius hoc
bellum, quam illa, sustinendum, quanto sit libertas
8 imperio carior. » Sed et Flamininus Romanus consul,
relatione rerum recentissime gestarum, suos stimula-
bat in prælium, ostendendo, « Hinc Carthaginem cum
Sicilia, inde Italiam et Hispaniam Romana virtute per-
9 domitas : nec Hannibalem quidem Alexandro Magno
postponendum, quo Italia pulso, Africam ipsam, ter-
10 tiam partem mundi, superaverint. Sed nec Macedonas
veteri fama, sed præsentibus viribus, æstimandos :
11 quia non cum Alexandro Magno, quem invictum au-
dierant, nec cum exercitu ejus, qui totum Orientem
12 devicerat, bellum gerant : sed cum Philippo, puero
immaturæ ætatis, qui regni terminos adversus finiti-
mos ægre defendat, et cum his Macedonibus, qui non
13 ita pridem prædæ Dardanis fuerint. Illos majorum
14 decora, se suorum militum commemorare. Non enim
alio exercitu Hannibalem et Pœnos, et totum ferme

ipse denominat Macedonico-Romanam, complectatur annos 1800.

5. *Tyrannum*. Spartæ ab anno inde Urbis 547.

6. *Finem*. Tres codd. et edd. antiquæ septem *fine*, quod recepit Abr. Gronov.

8. *Carthaginem cum Sicilia*. Finito bello Punico altero an. 550, aut si mavis, 551, Liv. XXX, 44, 2. — *Hispaniam*. Qua Pœni cedere coacti fuerant : Sicilia an. 544, in provinciæ formam redacta fuerat.

9. *Africam... superaverint*. Scipio enim, Hannibalis ad Zamam victor an. 550, Liv. XXX, 29, *Africani* inde nomen reportaverat.

11. *Quem invictum audierant*. Gron. avus ex latinitatis lege recte correx. *qui invictus audierit* (dictus sit), *qui totum Orientem devicerit*.

12. *Puero*. Quid puero? Qui an. 533, quo Antigono successerat, compleverat annos 14 (XXVII, 4, 16), ergo hoc anno 555 agebat annum 36 tum. Hinc Scheffer. deleri vult *puero*. — *Ægre defendat*. Confer XXIX, 4, 10.

Occidentem, sed his ipsis, quos in acie habeat, mili-
tibus subactos. » His adhortationibus utrinque conci- 15
tati milites, prælio concurrunt, alteri Orientis, alteri
Occidentis imperio gloriantes; ferentesque in bellum,
alii majorum suorum antiquam et obsoletam gloriam,
alii virentem recentibus experimentis virtutis florem.
Sed Macedonas Romana fortuna vicit. Fractus itaque 16
bello Philippus, pace a Flaminino consule petita, no- 17
men quidem regium retinuit : sed omnibus Græciæ
urbibus, velut regni membris, extra terminos antiquæ
possessionis, amissis, solam Macedoniam retinuit.
Offensi tamen Ætoli, quod non ex arbitrio eorum 18
Macedonia quoque ademta regi, et data sibi in præ-
mium belli esset, legatos ad Antiochum mittunt, qui
eum adulatione magnitudinis, in Romana bella, spe
societatis universæ Græciæ, impellerent.

16. *Sed... vicit.* Vid. not. ad cap. 3, 7. — Anno Urbis 555.

18. *Ætoli.* Qui, ut supra jam ad XXIX, 4, 11, dixi, bellum gesserant contra Cleomenem Spartanum per annos 527-532; contra Achæos, Philippi socios 535-537; qui quum Naupacto cedere fuissent coacti, an. 542-548 Romanos adjuvant contra Philippum : cujus iterum bellum cum Romanis ingressi an. 552 (cap. 2, 8 not.), jam an. 557 victis hostibus, utpote Romanorumque socii, putant se injuria adfectos, quod, etc. De re ipsa conf. Liv. XXXIII, 13, 6; et cap. 49, 8, ad an. 557, qui alienatos dicit Ætolorum animos a societate Romana; eodemque anno in conventu Græcorum Alexander, princeps Ætolorum, Romanos fraudis insimulat (XXXIV, 23): qui idem Antiochum in bellum concitat an. 559, XXXV, 18. Confer infra XXXII, 1, 1; Flor. II, 8, 6. — Confer etiam *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains, chap. V,* ubi inquit : « *Les Étoliens qui s'étaient imaginé qu'ils domineraient dans la Grèce, voyant qu'ils n'avaient fait que se donner des maîtres, furent au désespoir : et comme ils prenaient toujours des résolutions extrêmes, voulant corriger leurs folies par leurs folies, ils appelèrent dans la Grèce Antiochus, roi de Syrie, comme ils avaient appelé les Romains.* » ED.

Græciæ civitates occupaverat. Igitur senatus, ne uno 6
tempore duplici bello Romanæ vires distinerentur,
scripsit Flaminino, « si ei videatur, sicuti Macedoniam
a Philippo, ita Græciam a Nabide liberet. » Ob quam
caussam imperium ei prorogatum est. Terribile quippe 7
Antiochi bellum Hannibalis nomen faciebat, quem
æmuli ejus, occultis mandatis, « cum Antiocho inisse
societatem, » apud Romanos criminabantur : negan- 8
tes, « eum æquo animo sub legibus vivere, adsuetum
imperio, et immoderata licentia militari; semperque,
tædio quietis urbanæ, novas belli caussas circumspi-
cere. » Quæ etsi falsa nuntiata fuissent, apud timentes 9
tamen pro veris habebantur.

II. Denique senatus metu perculsus, ad speculandos 1
actus Hannibalis, legatum in Africam Cnæum Servi-
lium mittit : eique tacitis mandatis præcipit, « si pos-
set, eum per æmulos ejus interficeret, metuque invisi
nominis tandem populum Romanum liberaret. » Sed 2
res Hannibalem non diu latuit, virum ad prospicienda
cavendaque pericula paratum; nec minus in secundis
adversa, quam in adversis secunda cogitantem. Igitur 3
quum tota die in oculis principum, legatique Romani,

6. *Prorogatum est.* In annum 557, Liv. XXXIII, 43, 6.

7. *Æmuli.* Inprimis Hanno, omnisque Hannorum gens. Conf. v. c. Liv. XXI, 3 et 9; XXIII, 13. — Anno Urbis 557.

9. *Apud timentes tamen pro veris.* Senec. de Ira II, 22 : *Quæ inviti audimus, libenter credimus.* ED.

II. 1. *Denique senatus* etc. Claudio et Furio coss., ut ait Corn. XXIII, 7, 6, id est, A. U. 556; coll. Liv. XXXIII, 45, 47 et 48. — Pro *Cnæum* autem Periz. ex Liv. *Caium.* — Anno Urbis 556.

2. *Paratum.* Edd. 6 antiq. *peritum,* cui non convenit præp. *ad.* — *Nec... cogitantem.* Instar sapientis, *qui cogitat difficillima, fert, quæcumque erunt*, ut ait Cic. ad div. IX, 17, 8; et Romanorum, *qui in adversis vultum secundæ fortunæ gerunt, moderantur animos in secundis*, ut ait Liv. XLII, 62, 11; coll. infra cap. 8, 8; et Liv. XLV, 8, 6.

3. *Principum.* Id est, procerum, senatorum. ED. — *Supremum.* Gronovius ex Censorino reponi vult *in supremam* (diei horam); coll. Varr. de Ling. Lat. IV, 1 : *Suprema summum diei : hoc tempus duodecim Tabulæ dicunt occasum solis.* — *Urbanum.*

in foro Carthaginiensium obversatus in supremum fuisset, adpropinquante vespere, equum conscendit, et rus urbanum, quod propter litus maris habebat, ignaris servis, jussisque ad portam revertentem oppe-
4 riri, contendit. Habebat ibi naves cum remigibus occulto sinu litoris absconditas; erat et grandis pecunia in eo agro præparata, ut, quum res exegisset, nec
5 facultas fugam, nec inopia moraretur. Lecta igitur servorum juventute, quorum copiam Italicorum captivorum numerus augebat, navem conscendit, cur-
6 sumque ad Antiochum dirigit. Postera die civitas principem suum, ac tum temporis consulem, in foro ex-
7 spectabat. Quem ut profectum nuntiatum est, non aliter quam si urbs capta esset, omnes trepidavere,
8 exitiosamque sibi fugam ejus ominati sunt. Legatus vero Romanus, quasi bellum jam illatum Italiæ ab Hannibale esset, tacitus Romam regreditur, trepidumque nuntium refert.

MSS. quidam *suburbanum*, quod conjecerat Freinshemius, bene.

4. *Facultas.* Aut potius *difficultas*, monente Grævio, scil. navigandi, si nulla navis esset parata et in promtu.

5. *Servorum... augebat.* Cui quidem rei contradicit Liv. XXX, 37, 3, ubi inter pacis leges et hanc recenset, *ut Pœni redderent perfugas, fugitivos et captivos omnes Romanis.* — Anno Urbis 556.

6. *Consulem.* Vid. not. ad Corn. XXIII, 7, 4. — *Suffetes.* Hi quidem ut jam supra diximus, Carthaginiensibus erant, qui Romæ *consules.* Erat et apud illos *dictatoris* imperium (Liv. XXIII, 13, 2), et *quæstorum* dignitas. Habebantur hi proximi *judicibus*, idem Livius XXXIII, 32, 4. *Judices* erant centum, supra XIX, 2, 5; et *senatus* erat triginta seniorum consessus, Liv. XXX, 16, 3. Erant apud eos et *prætores*, Liv. XXXIII, 32, 3. ED.

8. *Regreditur.* Edd. antiq. quinque *revertitur.* — *Trepidumque nuntium.* Scil. quo fit trepidatio et terror. Quantum autem terrorem injecerit Romanis Hannibal, non melius colligi potest, quam ex Romanis ipsis scriptoribus: sive Justinus, ut supra, senatum tacitis mandatis Servilio præcipientem referat, *si posset, eum per æmulos ejus interficeret, metuque invisi nominis tandem populum Romanum liberaret:* sive Livius Perollam inducat his verbis dehortantem filium ab occidendo Hannibale inter hospitales mensas: *Vultum ipsius Annibalis, quem armati exercitus sustinere nequeunt, quem hor-*

III. Interim in Græcia Flamininus, juncta cum qui- 1
busdam civitatibus societate, Nabidem tyrannum
duobus continuis præliis subegit; et graviter fractum,
velut exsanguem, in regno reliquit. Sed libertate Græ- 2
ciæ restituta, deductisque ab urbibus præsidiis, quum
Romanus exercitus in Italiam reportatus esset, velut
vacua rursus possessione solicitatus, multas civitates
repentino bello invasit. Quibus rebus exterriti Achæi, 3
ne vicinum malum etiam ad se serperet, bellum ad-
versus Nabidem decernunt, ducemque prætorem suum
Philopœmenem, insignis industriæ virum, consti-
tuunt: cujus in eo bello tanta virtus enituit, ut opi- 4
nione omnium Flaminino, Romano imperatori, com-
pararetur. Eodem tempore Hannibal, quum ad Antio- 5
chum pervenisset, velut Deorum munus excipitur:
tantusque ejus adventu ardor animis regis accessit, ut 6
non tam de bello, quam de præmiis victoriæ cogitaret.
Sed Hannibal, cui nota Romana virtus erat, negabat 7
« opprimi Romanos, nisi in Italia, posse. » Ad hoc sibi 8

ret populus Romanus, tu sustinebis! aut ut cecinit Silius Italicus Bello Punico Secundo XI, vers. 338, sed minus poeta quam Livius:

Tu ne illum quem non acies, non mœnia et urbes
Ferre valent, quum frons propior, lumenque corusco
Igne micat: tu ne illa viri quæ vertice fundit
Fulmina pertuleris, si vim intonuerit ense
Diram qua vertit per campos agmina vocem. ED.

III. 1-2. *Interim* etc. Conf. Liv. XXXIV, 22-32, ad annum Urbis conditæ 557; coll. h. l. supra cap. 1, 6. — *Civitatibus*. Ætolis, Achæis, Atheniensibus. — *Graviter*. Codd. aliquot *gravibus*, quod probat Is. Vossius: alii codd. addunt glossam *vulneribus*. Hinc Gron. nepos dure corrigit, *gravibus pacis legibus*. — *Libertate Græciæ restituta*. Hac de re confer *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains, chap. V*: « *On voit bien que ces petites républiques ne pouvaient être que dépendantes. Les Grecs se livrèrent à une joie stupide, et crurent être libres en effet, parce que les Romains les déclaraient tels.* » ED.

3. *Philopœmenem*. De cujus vita adcuratius exposuit Plutarchus; coll. not. ad XXIX, 4, 11. Bellum autem hoc adversus Nabidem decernunt Achæi anno 560 (Liv. XXXV, 25), coll. infra not. ad XXXII, 1, 4, et XXXII, 4, 9, ubi summis imperatoribus Hannibali etiam et Scipioni Africano accensetur, quibuscum iisdem hunc comparat Livius XXXIX, 50, 10.

6. *Animis*. De uno, ut VII, 3, 8; XXI, 6, 1.

7. *Opprimi... posse*. Conf. cap. 5,

centum naves, et decem millia peditum, et mille equites poscebat: promittens, « hac manu non minus
9 bellum, quam gesserit, Italiæ restauraturum; et in Asiam regi sedenti aut victoriam de Romanis, aut
10 æquas pacis conditiones relaturum: quippe et Hispanis bello flagrantibus, ducem tantum deesse; et Ita-
11 liam notiorem sibi nunc, quam pridem fuisset. Sed nec Carthaginem quieturam, sociamque se ei sine mora præbituram. »

1 IV. Quum regi consilia placuissent, mittitur Carthaginem unus ex comitibus Hannibalis, qui in bellum cupidos hortetur, « Hannibalemque cum copiis adfuturum » nuntiet: « nihil, dicat, partibus, nisi animos Carthaginiensium, deesse: Asiam et vires belli, et
2 sumtum præbituram. » Hæc quum relata Carthaginem essent, nuntius ipse ab inimicis Hannibalis comprehenditur, et perductus in senatum, quum interrogaretur, « ad quem missus esset, » Punico ingenio respondit, « se ad universum senatum missum: nec enim
3 hoc opus singulorum, sed universorum esse. » Dum multis diebus deliberant, an eum Romam ad purgandam publicam conscientiam mittant, tacitus, conscensa nave, ad Hannibalem revertitur: quo cognito, Cartha-

3-10, et Liv. XXXIV, 60, 3; Corn. XXIII, 8, 3; coll. Vell. II, 27. — Confer etiam *Racine*, *Mithridate*, *act. III*, *sc.* 1:

Annibal l'a prédit, croyons-en ce grand homme,
Jamais on ne vaincra les Romains que dans Rome. ED.

9. *Asiam.* Bene stat accusativus dependens ab *relaturum*, non ab *sedenti*, id est, otioso.

10. *Pridem fuisset.* Per annos 16, quos illic victor fuerit moratus XXXVIII, 4, 6. — *Hispanis.* Quos tum debellabat Fulvius Nobilior procs. A. U. 560, Liv. XXXV, 22, 5; et antea prætor A. U. 559, Liv. XXXIV, 55, 6; XXXV, 7, 7.

IV. 1. *Unus ex comitibus.* Aristo, mercator Tyrius Liv. XXXIV, 61.

2. *Relata. Perlata* sane Cicero ejusque æquales dicant, quibus familiarissimum *ad nos perfertur* pro *nobis nuntiatur.* Atque hoc est in 2 codd. — *Punico ingenio.* Non quod Pœnus esset, sed quia inter Pœnos versabatur. ED.

3. *Ad purgandam conscientiam pu-*

ginienses ultro rem Romam per legatum deferunt.
Romani quoque ad Antiochum legatos misere, qui 4
sub specie legationis, et regis adparatum specularen-
tur, et Hannibalem aut Romanis mitigarent, aut adsi-
duo colloquio suspectum invisumque regi redderent.
Itaque legati quum Ephesi convenissent ad Antio- 5
chum, mandata ei senatus tradunt. Dum responsum 6
exspectant, omnibus diebus adsidui circa Hanniba-
lem fuere: dicentes, « timide eum a patria recessisse,
quum pacem Romani, non tam cum republica ejus,
quam cum eo factam, summa fide custodiant: nec 7
bella eum Romanorum magis odio, quam patriæ
amore gessisse, cui ab optimo quoque etiam spiritus
ipse debeatur. Has enim publicas inter populos, non
privatas inter duces, bellandi caussas esse. » Inde res 8
gestas ejus laudare. Quorum sermone lætus, sæpius
cupidiusque cum legatis colloquebatur, ignarus, quod
familiaritate Romana odium sibi apud regem crearet.
Quippe Antiochus tam adsiduo colloquio reconcilia- 9
tam ejus cum Romanis gratiam existimans, nihil ad
eum, sicuti solebat, referre; expertemque totius con-
silii, veluti hostem proditoremque suum, odisse cœpit.
Quæ res tantum adparatum belli, cessante imperatoria
arte, corrupit. Senatus mandata fuerant, « ut conten- 10
tus terminis Asiæ esset, ne ipsis ingrediendi Asiam
necessitatem imponeret. » Quibus spretis, non acci-
piendum bellum statuit, sed inferendum.

blicam. Ut probent Romanis rempublicam non esse consciam criminis Hannibalis. ED.

4. *Romani quoque... legatos misere*. Conf. Liv. XXXV, 13, 6, et cap. 14, nec non cap. 19, Cornel. XXIII, 2. — Anno Urbis 559.

5. *Ad*. Hanc voculam omittit Aldina editio, bene; quamquam utrumque dicitur: convenire *quem*, et *ad quem*.

6. *Circa Hannibalem*. Edd. quinque antiq. latinius *cum Hannibale*.

8. *Ignarus, quod*. Ut XXV, 1, 7, quamquam et hoc loco *quod* explicare potes *quale*, quod innuunt Med. et Ald., quæ dant *quid*.

10. *Asiæ*. Superioris.

1 V. Dicitur, quum frequenter de bello consilium habuisset, remoto Hannibale, tandem eum vocari jussisse, non ut ex sententia ejus aliquid ageret, sed ne per omnia eum sprevisse videretur; omnibusque per-
2 rogatis, postremum interrogasse. Quo ille animadverso, « intelligere se professus est, non quia egeat consilio, sed ad supplendum numerum sententiarum, se vocatum; tamen et odio Romanorum, et amore regis, apud quem solum tutum sibi exsilium relictum sit, se viam
3 gerendi belli edisserturum. » Veniam deinde libertati præfatus, « nihil se aut consiliorum, aut cœptorum præsentium, probare ait; neque sedem belli Græciam
4 sibi placere, quum Italia uberior materia sit: quippe Romanos vinci non nisi armis suis posse; nec Italiam aliter, quam Italicis viribus subigi: siquidem diversum cæteris mortalibus esse illud et hominum et belli
5 genus. Aliis bellis plurimum momenti habere priorem aliquam cepisse occasionem loci temporisque, agros diripuisse, urbes aliquas expugnasse: cum Romano, seu occupaveris prior aliqua, seu viceris, tum
6 etiam cum victo et jacente luctandum esse. Quamobrem si quis eos in Italia lacessat, suis eos opibus, suis viribus, suis armis posse vincere, sicut ipse fecerit.

V. 3. *Veniam deinde... præfatus.* Deinde antequam orationem ipsam ingrederetur, quum petiisset veniam a rege, si quid forte liberius dicturus esset. De re confer supra cap. 3, 7, ibique loca laudata Livii et Cornelii.

5. *Priorem cepisse.* Si quis prior ceperit. — *Aliqua.* Supple *loca*, non, quod addunt edd. quatuor antiq., *ratione.* — *Cum victo... esse.* Quo eodem modo poeta Venusinus Carm. IV, 4, 53-68, Hannibalem nuntio de cæde Hasdrubalis fratris anno 545 afflictum inducit loquentem. Idem prædicat de Mithridate infra XXXVII, 1, 8; et Herennius Pontius, Samnitium dux senex apud Liv. IX, 3, 12: *Ea est Romana gens, quæ victa quiescere nesciat.* — Quo eodem etiam modo apud Livium XXVII, 14, Hannibal inquit: *Cum eo nimirum hoste res est, qui nec bonam, nec malam ferre fortunam potest. Seu vicit, ferociter instat victis; seu victus est, instaurat cum victoribus certamen.* ED. — *Tum.* Quatuor codices habent *tamen.*

Sin vero quis illis Italia velut fonte virium cesserit, 7
perinde falli, ac si quis amnes non ab ipsis fontium
primordiis derivare, sed concretis jam aquarum moli-
bus avertere, vel exsiccare velit. Hæc et secreto se 8
censuisse, ultroque ministerium consilii sui obtulisse;
et nunc præsentibus amicis ideo repetisse, ut scirent
omnes rationem cum Romanis gerendi belli; eosque
foris invictos, domi fragiles esse. Nam prius illos urbe, 9
quam imperio; prius Italia, quam provinciis, exui
posse: quippe et a Gallis captos, et a se prope deletos
esse; neque se unquam victum prius, quam terris
eorum cesserit. Reverso Carthaginem, statim cum loco 10
fortunam belli mutatam.»

VI. Huic sententiæ obtrectatores amici regis erant, 1
non utilitatem rei cogitantes, sed verentes, ne, pro-
bato consilio ejus, primum apud regem locum gratiæ
occuparet. Et Antiocho non tam consilium, quam 2
auctor displicebat, ne gloria victoriæ Hannibalis, non
sua esset. Omnia igitur variis adsentantium adulatio- 3

7. *Sin vero quis illis Italia velut fonte virium cesserit.* Si quis vero permiserit eos possidere Italiam unde contrahunt omnes vires... ED.

8. *Hæc et secreto* etc. Hæc et secreto censui, ultroque consilii mei ministerium tibi obtuli, sive pollicitus tibi sum operam hujus consilii exsequendi.

9. *A se prope deletos.* Tot tantisque cladibus, quibus per annos 16 ab hoc fuerant adflicti, de quibus breviter exposuit Cornelius in vita. Quo eodem fere modo apud Livium XXXV, 12, 14, Hannibal anno Urbis conditæ 559 a Nicandro apud Philippum regem laudatur, natus adversus Romanos hostis, qui plures et duces et milites eorum occiderit, quam quot supersint.

10. *Cum loco... mutatam.* Apud Zamam enim a Scipione victus, iniit pacem iniquissimam. Vide not. ad Cornel. XXIII, 6, 1.

VI. 1. *Huic sententiæ obtrectatores* etc. Hanc sententiam obtrectabant, inimici non rei, sed homini, ut Tacit. Hist. I, 26, 4.

3. *Adsentantium.* Ita unus cod., pro corrupt. in edd. quinque antiq. in *adsentationum*, quod Ald. et Junt. correxerunt in *adsentatorum*. — *Nil consilio, vel ratione agebatur.* Idcirco *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains, chap. V*: « *Il* (Antiochus) *ne se conduisit pas même avec la sagesse que l'on emploie dans les affaires ordinaires. Annibal voulait qu'on renouvelât la guerre en Italie, et qu'on gagnât Philippe, ou qu'on le rendît*

nibus corrumpebantur; nihil consilio vel ratione
agebatur. Rex ipse per hyemem in luxuriam lapsus,
4 novis quotidie nuptiis deditus erat. Contra Acilius,
Romanus consul, qui ad hoc bellum missus erat, co-
pias, arma, cæteraque bello necessaria summa indus-
tria parabat: civitates socias confirmabat; dubias illi-
ciebat: nec alius exitus belli, quam adparatus utrius-
que partis fuit. Itaque prima belli congressione, quum
5 cedentes suos rex cerneret, non laborantibus auxi-
lium tulit, sed fugientibus se ducem præbuit, castra-
6 que ditia victoribus reliquit. Deinde quum in Asiam,
præda Romanis occupatis, fugiendo pervenisset, pœ-
nitere neglecti consilii cœpit; revocatoque in amici-
7 tiam Hannibale, omnia ex sententia ejus agere. Inte-
rim nuntiatur, Æmilium, Romanum ducem, cum
octoginta rostratis navibus in bellum navale a senatu
missum, adventare: quæ res illi spem restituendæ
8 fortunæ dedit. Itaque prius, quam sociæ civitates
ad hostes deficerent, decernere navali prælio statuit,
sperans, cladem in Græcia acceptam, nova posse
9 victoria aboleri. Tradita igitur Hannibali classe, præ-

neutre. Antiochus ne fit rien de cela: il se montra dans la Grèce avec une petite partie de ses forces; et comme s'il avait voulu y voir la guerre, et non pas la faire, il ne fut occupé que de ses plaisirs. Il fut battu, et s'enfuit en Asie, plus effrayé que vaincu.» ED. — *Novis... erat.* Hyperbolice dictum. Dedit autem in matrimonium Cleopatram filiam Ptolemæo Epiphani (vid. not. ad cap. 1, 1): quod tamen ponit Livius XXXV, 13, 4, in hyeme anni 559 et 560. Alteram filiam collocabat Ariarathi, Cappadociæ regi; tertiam denique daturus erat Eumeni, Pergami regi, qui eam recusabat. Hac de re confer Diodorum XXIX, 3, A. U. 562.

4. — Anno Urbis 561.

5. *Itaque prima belli congressione.* Conf. ad Thermopylas Liv. XXXVI, 15, 10, et cap. 1, 9.

7. *Æmilium.* L. Æmilium Regillum, prætorem anno 562 (Livius XXXVII, 30, coll. XXXVI, 45, 10; XXXVII, 26, 9), inter Myonnesum et Corycum promontorium cap. 29, 7: ob quam victoriam triumphat an. 563, cap. 58, 3: cui tamen rex non Hannibalem (hoc loco §. 9), sed Polyxenidam opposuerat, cap. 26, 5; Flor. II, 8, 12.

8. *Victoria.* Quatuor codd. *victoriæ gloria.*

lium committitur : sed nec Asiani milites Romanis,
neque naves eorum pares rostratis navibus fuere;
minor tamen clades ducis solertia fuit. Romam non- 10
dum opinio victoriæ venerat, et idcirco in consulibus
creandis suspensa civitas erat.

VII. Sed adversus Hannibalem ducem quis melior 1
quam Africani frater crearetur, quum vincere Pœnos
opus Scipionum esset? Creatur igitur consul Lucius 2
Scipio : eique datur legatus frater Africanus, ut intel-
ligeret Antiochus, non majorem fiduciam se in Han-
nibale victo, quam Romanos in victore Scipione
habere. Trajicientibus in Asiam Scipionibus exerci- 3
tum, jam utrobique profligatum bellum nuntiatum
est; victumque Antiochum terrestri, Hannibalem na-
vali bello invenerunt. Primo igitur adventu eorum 4
legatos pacem petentes ad eos Antiochus mittit, pecu-
liare donum Africano ferentes ipsius filium, quem
rex parvo navigio trajicientem ceperat. Sed Africanus, 5
« privata beneficia a rebus publicis secreta esse, dixit :

9. *Clades*. Romani quum, auctore Livio (XXXVII, 30), 80 naves, ex quibus 22 Rhodiæ erant, hostium navibus 93 opposuissent; Romanorum duæ sunt fractæ, aliquot vulneratæ, una capta : hostium contra 42 sunt amissæ, quarum 13 captæ in hostium potestatem venerunt, ceteræ incensæ, aut demersæ.

10. — Anno Urbis 562.

VII. 1. *Ducem quis melior*. A. Gronovius conjicit *dux quis melior*, nec male. ED. — De re autem coll. 6, 10, falso et hæc Noster tradit. Nam uno eodemque anno Æmilius ille prætor, et Scipio hic consul fuit, an. 562, Liv. XXXVI, 45, 9 et 10. — *Vincere Pœnos Scipionum est*. P. enim Scipio *Africanus* major perfecti belli Punici secundi laudem tulit, *Africanus* ob egregiam victoriam de Hannibale Pœnisque appellatus, ut ait Liv. XXI, 46, 8, et XXXVIII, 53, 10. Idem Livius XXXVII, 1, 7, 10 : *Atque in senatu quum, utroque consule, et Lælio, et hoc L. Scipione Græciam cupiente, Africanus dixisset, si L. Scipioni fratri suo provinciam Græciam decrevissent, se legatum iturum; experiri libebat, utrum plus regi Antiocho in Hannibale victo, an in victore Africano consule legionibusque Romanis auxilii foret.*

2. — Anno Urbis 562.

4. *Primo igitur adventu eorum legatos pacem petentes... mittit*. Confer Liv. XXXVII, 37, 6; coll. cap. 34, 4-8 de filio Scipionis, et cap. 35-36 de Heraclide Byzantio, regis ad Africanum legato.

aliaque esse patris officia, alia patriæ jura, quæ non
liberis tantum, verum etiam vitæ ipsi præponantur.
6 Proinde gratum se munus accipere, privatoque im-
pendio munificentiæ regis responsurum. Quod ad bel-
lum pacemque pertineat, nihil neque gratiæ dari,
7 neque de jure patriæ decidi posse,» respondit. Nam
neque de redimendo filio unquam tractavit, nec sena-
tum de eo agere permisit; sed, ut dignum majestate
8 ejus erat, « armis se recepturum filium » dixerat. Post
hæc leges pacis dicuntur: « Ut Asia Romanis cederet:
contentus Syriæ regno esset: naves universas, capti-
vos et tranfugas traderet; sumtumque omnem belli
9 Romanis restitueret.» Quæ quum nuntiata Antiocho
essent, « nondum ita victum se esse respondit, ut
spoliari se regno pateretur; bellique ea irritamenta,
non pacis blandimenta esse.»

1 VIII. Igitur quum ab utrisque bellum pararetur,
ingressique Asiam Romani Ilion venissent, mutua
gratulatio Iliensium ac Romanorum fuit: Iliensibus
« Æneam, cæterosque cum eo duces a se profectos,»
2 Romanis, « se ab his procreatos,» referentibus. Tan-
taque lætitia omnium fuit, quanta esse post longum
3 tempus inter parentes et liberos solet. Juvabat Ilienses

6. *Nihil neque gratiæ dari... decidi posse.* Nullam Antiocho se posse concedere gratiam, quia Roma nihil amittit de jure suo ob munus privatum. ED.

8. *Ut .. restitueret.* De his conditionibus Liv. XXXVII, 35, 10: *Impensam in bellum factam omnem præstaret rex, cujus culpa bellum excitatum esset; Ionia atque Æolide præsidia deduceret; omnes Græcas in Asia urbes liberaret, indeque cis Taurum montem possessione Asiæ cederet.*

9. *Nondum ita victum se esse respondit.* Liv. XXXVII, 36, 9: *Tutam enim fore belli aleam ratus est, quando, perinde ac victa, jam sibi leges dicerentur. Omissa igitur jam mentione pacis, totam curam in belli adparatum intendit.*

VIII. 1. *Ilion.* Conf. Liv. XXXVII, 37, 2-3: *Consul Ilium processit, et in urbem arcemque quum ascendisset, sacrificavit Minervæ præsidi arcis, et Iliensibus in omni rerum verborumque honore ab se oriundos Romanos præferentibus, et Romanis lætis origine sua.* De *Ænea* conf. ind.

nepotes suos, Occidente et Africa domita, Asiam ut avitum regnum, vindicare, « optabilem Trojæ ruinam fuisse dicentes, ut tam feliciter renasceretur. » Contra 4
Romanos, avitos lares, et incunabula majorum, templaque ac Deorum simulacra, inexplebile desiderium videndi tenebat. Profectis ab Ilio Romanis Eumenes 5
rex cum auxiliis occurrit : nec multo post prælium cum Antiocho commissum. Quum in dexteriore cornu 6
pulsa legio Romana, majore dedecore, quam periculo, ad castra fugeret, M. Æmilius, tribunus militum, ad tutelam castrorum relictus, « armare se milites suos, et extra vallum progredi » jubet, strictisque gladiis fugientibus minari, « morituros dicens, nisi in prælium revertantur; infestioraque sua, quam hostium, castra inventuros. » Attonita tam ambiguo periculo 7
legio, comitantibus commilitonibus, qui fugere eos prohibuerant, in prælium revertitur; magnaque cæde edita, initium victoriæ fuit. Cæsa hostium quinqua- 8

4. *Contra... tenebat.* Contra autem desiderium videndi lares simulacra tenebat Romanos.

5. *Occurrit.* Ad caput Caici amnis sextis ab Ilio castris, ut ait Livius XXXVII, 37, 3-4. — *Prælium... commissum.* Circa *Magnesiam*, quæ ad Sipylum Phrygiæ est, Livius XXXVII, 37, 9. — A. U. 562.

6. *M. Æmilius... jubet.* Conf. Liv. XXXVII, 43, ubi est M. Æmilius Lepidus, filius M. Lepidi, qui an. 572 pontifex maximus factus est ibid. XL, 42, 12. — *Morituros.* Interfectum iri.

8. *Hostium.* Et quidem peditum; tria præterea millia equitum Liv. XXXVII, 44, 1, qui captos numerat 1,400, non, ut Noster, 11,000. — *Antiocho pacem petenti.* Sic Antiochus, ut ait *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains*, V, « *Consentit au traité le plus infâme qu'un grand prince ait jamais fait*, » ignarus prorsus, ut adjicit *Montesquieu*, « *que le courage peut raffermir une couronne, et que l'infamie ne le fait jamais.* » ED. — *Superiores conditiones.* De quibus cap. 7, 8; coll. Liv. XXXVII, 55, 5, et XXXVIII, 38, ad annum 563 et 564. — *Romanos, neque, si vincantur, animis minui;* etc. Quod quidem quam verum sit ex historia colligi potest : invictos enim animo et inconcussos semper se Romani gesserant, novissime contra Annibalem, paullo ante contra Pyrrhum, et a primis etiam reipublicæ initiis contra Volscos Coriolanumque. Atque, ut ait *Bossuet*, *Disc. sur l'histoire universelle, III part.*, 6 *sect.* de illo vetere adversus Coriolanum

ginta millia, capta undecim. Antiocho pacem petenti nihil ad superiores conditiones additum, Africano prædicante, « Romanos, neque, si vincantur, animis minui; neque, si vincant, secundis rebus insolescere. »
9 Captas civitates inter socios divisere Romani, aptiorem gloriam, quam possessiones voluptarias, judi-
10 cantes : quippe victoriæ gloriam Romano nomini vindicandam; opum luxuriam sociis relinquendam.

bello : « *Le sénat demeura ferme dans ses moximes; et le décret qu'il donna de ne rien accorder par force, passa pour une loi fondamentole de la politique romaine, dont il n'y a pas un seul exemple que les Romoins se soient départis dans tous les temps de la république. Parmi eux, dans les états les plus tristes jomais les faibles conseils n'ont été seulement écoutés; ils étaient toujours plus traitables victorieux, que voincus : tant le sénat savait maintenir les anciennes maximes de lo république, et tant il savait y confirmer le reste des citoyens!* » Confer quoque *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romoins, chap. IV.* ED.

9. *Captas... Romani.* Liv. XXXVII, 55, 5 : *Cis Taurum montem, quæ intra regni Antiochi fives fuerant, Eumeni attribuebantur præter Lyciam Cariamque usque od Meandrum amnem : ea civitatis Rhodiorum essent. Cæteræ civitates Asiæ, quæ Attali stipendiariæ fuerant, eædem Eumeni vectigal penderent; quæ vectigales Antiochi fuerant, eæ liberæ et immunes essent.* — Ante *Romani*, qunm edd. ant. quinque addant *muneris;* Vorstius ita legi vult : *muneris Romanis optiorem Asiam*, aut *muneri*, hoc sensu : divisere (Romani), jndicantes, gloriam muneris (ex munere hoc natam) esse aptiorem Romanis, quam possessiones sint volnptariæ (pariant voluptatem), sive, quam possessiones, quæ sint voluptariæ. Grævius autem deleto *muneris* corrigit *Romanis. Asiam* autem pro *gloriam* est in edd. Bong., Med., Col. marg. Dresig. antem non inepte hæc verba *muneris Romuni* explicat; ut eas muneris Romani agnoscerent, has civitates Romanis in acceptis referrent. Quo sensu Tacit. Ann. XV, 52 extr., *rempublicam sui muneris facit, alio imperatore dilecto;* et ipse Noster infra XLII, 5, 8 : *juris Romanorum futura est Parthia, si ejus regnum fuit eorum muneris.* — *Voluptarias.* Aptas ad fovendas voluptates. ED.

10. *Quippe victoriæ gloriam* etc. Nam quam victoria parit gloriam, hæc est Romanorum nomini vindicanda; quam opes contra suppeditant luxuriam, illa est sociis Romanorum relinquenda. Conf. Liv. XXXVIII, 17, 18, ubi Manlius Gallo-Græcos A. U. 563 adgressurus, milites ita adloquitur : *Vobis mehercule Martis viris covenda oc fugienda quamprimum amœnitas est Asiæ. Tantum hæ peregrinæ voluptates ad exstinguendum vigorem animorum possunt! tantum contagio disciplinæ morisque accolarum valet!* Conf. infra XXXVI, 4, 12.

LIBER XXXII.

I. Ætoli, qui Antiochum in bella Romana impule- 1
rant, victo eodem, soli adversus Romanos, et viribus
impares, et omni auxilio destituti, remanserunt. Nec 2
multo post victi, libertatem, quam illibatam adversus
dominationem Atheniensium et Spartanorum, inter
tot Græciæ civitates soli retinuerant, amiserunt. Quæ 3
conditio tanto amarior illis, quanto serior fuit, reputantibus tempora illa, quibus tantis Persarum opibus, domesticis viribus restiterant; quibus Gallorum violentiam, Asiæ Italiæque terribilem, Delphico bello fregerant. Quæ gloriosa recordatio magis desiderium libertatis augebat. Dum hæc aguntur, medio tempore 4
inter Messenios et Achæos de principatu primo dissensio, mox bellum ortum est. In eo nobilis Achæo- 5
rum imperator Philopœmen capitur; non quia pug-

I. 1. *Ætoli, qui Antiochum* etc. Resp. XXX, 4, 18. Ipsi autem Ætoli quum an. 560, bellum adversus Romanos decrevissent (Liv. XXXV, 33), Demetriade occupata, Nabide interfecto an. 560, ipsi cæsi et Heracleæ obsessi, iterumque Naupacti obsessi, nec pace duplicibus induciis impetrata, tandem pacis leges accipere coguntur a M. Fulvio consule an. 563, Antiocho, cujus fiducia bellum susceperant (XXX, 4, 18), terra marique superato, et ultra Tauri juga exacto, Liv. XXXVIII, 8-11; coll. h. l. XXXI, 8, 9 not. Quod h. l. est §. 2, *Ætoli... libertatem... amiserunt*, quid sibi velit, latius exposuit Liv. XXXVIII, 11.

3. *Persarum... Gallorum*. Respice XXXI, 3, 2. — *Delphico bello*. XXIV, 6, 4. — *Magis* Gron. avus corrigit *majorum*. — A. U. 563.

4. *Achæos*. De Achæis respice XXV, 4, 4; XXIX, 4, 5, et 11; XXXI, 3, ubi vidimus bellum ab illis contra Nabidem decretum fuisse an. 560. Deinde obsident Messenen, Liv. XXXVI, 31, an. 561.

5. *Philopœmen*. Respice XXXI, 3, 3; XXIX, 4, 11; quum Livius XXXIX, 49-50, captum narrat a Messeniis, in cellam sub terra de-

nando vitæ pepercerit, sed dum suos in prælium
revocat, in transitu fossæ equo præcipitatus, a mul-
6 titudine hostium oppressus est. Quem jacentem Mes-
senii, seu metu virtutis, seu verecundia dignitatis,
7 interficere ausi non fuerunt. Itaque velut in illo omne
bellum confecissent, captivum per universam civita-
tem, in modum triumphi circumduxerunt, effuso
obviam populo, ac si suus, non hostium, imperator
8 adventaret. Nec victorem Achæi avidius vidissent,
quam victum hostes viderunt. Igitur eundem in thea-
trum duci jusserunt, ut omnes contuerentur, quem
9 potuisse capi incredibile singulis videbatur. Inde in
carcerem ducto, verecundia magnitudinis ejus, vene-
num dederunt: quod ille lætus, ac si vicisset, accepit;
quæsito prius, « an Lycortas præfectus Achæorum, »
quem secundum a se esse scientia rei militaris scie-
bat, « incolumis effugisset? » Quem ut accepit eva-
sisse, « non in totum dicens consultum male Achæis, »
10 exspiravit. Nec multo post, reparato bello, Messenii
vincuntur, pœnasque interfecti Philopœmenis pepen-
derunt.

missum, veneno sublatum, ab universo Achaico concilio sepultum, divinos eidem honores decretos anno Urbis 569.

6. *Verecundia dignitatis.* Confer XIV, 6, 10.

7. *Velut.* Edd., Rom., Ald., Junt. et quatuor codd. præmittunt *læti.* — *In illo.* Confer XII, 9, 6; Cic. pro Muræn. 16, 5; Tacit. Ann. IV, 25, 5; Curt. V, 13, 4. — Quo eodem argumento Plutarch. in Flamin. 38, qualitercumque Romanos Hannibalem, quamvis decrepitum et exsulem, ad mortem usque persequentes excusat. His auctoribus adde Livium XLV, 7, 1; Florum IV, 2, 29; et Curtium V, 13, 14. ED.

9. *Ducto.* Adcuratius Med., Par. et Col. *deducto.* Quod idem Græv. conjecit. — *Non... Achæis.* Brevius Liv. XXXIX, 50, 8: *Bene habet*, inquit, *et poculo impavide exhausto, haud ita multo post exspiravit.* Confer Diod. XXIX, fragm. 17.

10. *Vincuntur.* Scilicet ab illo ipso Lycorta, Philopœmenis successore, Polybii Historici patre. Hinc et Livius loc. cit. §. 8-9: *Non diuturnum*, inquit, *mortis ejus gaudium auctoribus crudelitatis fuit. Victa namque Messene bello, exposcentibus Achæis noxios dedidit, ossaque reddita Philopœmenis sunt.*

II. Interea in Syria rex Antiochus, quum gravi tri- 1
buto pacis, a Romanis victus, oneratus esset, seu
inopia pecuniæ compulsus, seu avaritia solicitatus,
qua sperabat se, sub specie tributariæ necessitatis,
excusatius sacrilegia commissurum, adhibito exercitu,
nocte templum Elymæi Jovis adgreditur. Qua re pro- 2
dita, concursu insularium, cum omni milite interfici-
tur. Romæ, quum multæ Græciæ civitates, questum 3
de injuriis Philippi, regis Macedonum, venissent, et
disceptatio in senatu inter Demetrium, Philippi filium,
quem pater ad satisfaciendum senatui miserat, et le-
gatos civitatium esset; turba querelarum confusus
adolescens, repente obticuit. Tunc senatus, verecun- 4
dia ejus motus, quæ probata etiam antea, quum obses
Romæ esset, omnibus fuerat, caussam illi donavit:
atque ita [modestia sua] Demetrius veniam patri, non
jure defensionis, sed patrocinio pudoris, obtinuit:
quod ipsum decreto senatus significatum est, ut appa- 5
reret, non tam absolutum regem, quam donatum filio
patrem. Quæ res Demetrio non gratiam legationis, sed 6

II. 1. *Gravi tributo pacis.* Livius XXXVIII, 38, 13, inter leges pacis Antiocho a Romanis concessæ et hanc recenset: *Argenti probi duodecim millia Attica talenta dato intra 12 annos pensionibus æquis: Eumeni regi talenta* 350 *intra quinquennium dato, et pro frumento talenta* 127. Confer Diodor. XXIX, fragm. 13. — *Qua* Grævius mavult *Quia.* ED. — *Elymæi Jovis.* Aut potius Beli, qui Elymaide templum habebat auro et argento donariisque pretiosis refertum, ut ait Diod. XXIX, fragm. 15. De cæde regis aliter Aurel. Victor de Viris Ill. LIV, 5, aliter Machab. I, 6.

2. *Insularium.* Hæc conjectura Is. Vossii confirmatur uno cod. Bong., cujus glossa *incolarum* omnes edd. occupavit. *Insulæ* autem dicuntur templa, fana locaque secreta. — *Milite.* Recep. ex duobus codd. pro *militia.* Conf. ind. — A. U. 567.

3. *Philippi.* De quo supra XXX, 4, qui hunc Demetrium obsidem dederat Romanis an. 555, ab horum proconsule T. Quinctio in triumpho ductum (Liv. XXXIII, 13 et 30; XXXIV, 52, an. 558); remissum patri an. 561 (id. XXXVI, 35, 13); jam autem an. 568 a patre Romam missum ad purganda crimina XXXIX, 35 et 47.

5. *Donatum filio patrem.* Condonatum patri fuisse in filii gratiam.

6. *Quæ res Demetrio non gratiam... comparavit.* Quæ res Demetrio non

7 odium obtrectationis, comparavit. Nam et apud fratrem Perseum æmulatio illi invidiam contraxit; et apud patrem nota absolutionis caussa offensæ fuit, indignante Philippo, plus momenti apud senatum personam filii, quam auctoritatem patris, ac dignita-
8 tem regiæ majestatis, habuisse. Igitur Perseus, perspecta patris ægritudine, quotidie absentem Demetrium apud eum criminari; et primo invisum, post etiam suspectum reddere : nunc amicitiam Romano-
9 rum, nunc proditionem ei patris objectare. Ad postremum, insidias sibi ab eo paratas confingit : ad cujus rei probationem immittit indices, testes subornat; et
10 facinus, quod objicit, admittit. Quibus rebus compulso ad parricidium patre, funestam omnem regiam facit.

1 III. Occiso Demetrio, sublatoque æmulo, non negligentior tantum Perseus in patrem, verum etiam jam contumacior erat : nec heredem regni, sed regem
2 se gerebat. His rebus offensus Philippus impatientius in dies mortem Demetrii dolebat, tunc et insidiis se circumventum suspicari, testes indicesque torquere. Atque ita cognita fraude, non minus scelere Persei,
3 quam innoxii Demetrii morte, cruciabatur : peregis-

amorem patris conciliavit, ob gratiam ipsi obtentam in hac legatione, sed illius odium. ED.

7. *Perseum.* Sive *Persen*, natu majorem, at spurium. — *Nota absolutionis.* Absolutio notata, infamis. Sin cum Ven., Ald. et Junt. *nota* omittere malis, explica *absolutionis caussa* cum Grævio, filii modestia, et ex ea senatus Romani in illum studia et amor. Quo eodem modo explicare potes vulgatam cum Scheffero verba ita conjungens : caussa nota (quæ innotuit) absolutionis fuit, offensæ, scil. offendit patrem.

8. *Ægritudine.* Animi, indignatione §. 7; coll. cap. 3, 4. — *Proditionem ei patris.* Quasi hunc velit regno pellere, adjutus a Romanis.

9. *Facinus, quod* (Demetrio) *objicit, admittit.* Insidiis paratis fratricidium committit, insidiis confictis, patrem impellit ad necem filii. De re conf. Liv. XXXIX, 53; XL, 5-6; nec non cap. 8, 12 et 23-24.

10. — Anno Urbis 571.

III. 1-3. *Occiso Demetrio*, etc. Confer Liv. XL, 54-55, qui cap. 56,

setque ultionem, nisi morte præventus fuisset. Nam 4
brevi post tempore, morbo ex ægritudine animi con-
tracto, decessit, relicto magno belli adparatu adversus
Romanos, quo postea Perseus usus est. Nam et Gallos 5
Scordiscos ad belli societatem perpulerat; fecissetque
Romanis grave bellum, nisi decessisset. Namque Galli, 6
bello adversus Delphos infeliciter gesto, in quo ma-
jorem vim numinis, quam hostium senserant, amisso
Brenno duce, pars in Asiam, pars in Thraciam ex-
torres fugerant. Inde per eadem vestigia, qua vene- 7
rant, antiquam patriam repetivere. Ex his manus 8
quædam in confluente Danubii et Savi consedit, Scor-
discosque se appellari voluit. Tectosagi autem, quum 9
in antiquam patriam Tolosam venissent, comprehen-
sique pestifera lue essent, non prius sanitatem reci-
peravere, quam haruspicum responsis moniti, aurum
argentumque, bellis sacrilegiisque quæsitum, in Tolo-
sensem lacum mergerent. Quod omne magno post 10
tempore Cæpio Romanus consul abstulit. Fuere autem
argenti pondo centum decem millia: auri pondo quin-
quies decies centum millia. Quod sacrilegium caussa 11
excidii Cæpioni exercituique ejus postea fuit. Romanos

mortem Philippi ægritudine animi acceleratam ponit an. 573, quam equidem cum Gatterero adposui anno 675. Conf. et Pausan. II, 9, 5. — *Se gerebat.* Pronomen *se* omittunt plures edd., nec male. ED. — *Innoxii.* Sic Ald., Junt. et unus cod.; ceteræ edd. *innoxia.*

4. — Anno Urbis 576.

6. *Namque Galli, bello* etc. Respice not. ad XXIV, 8, 16; XXIV, 6, 4. — *Thraciam.* Juxta Byzantium, referente Polybio.

7. *Qua.* Via, pro quo unus cod. *quæ*, alius *quibus.*

8. *In confluente... Savi.* Ergo in Servia.

9. *Lacum.* Aut potius in templo conderent, referente Strabone. De re consule Freinsh. in suppl., Liv. LXVI, 40-42.

10. *Argenti... millia.* Summa hæc est: 110,000 pond. arg.; 1,500,000 pond. aur. — Anno Urbis 647.

11. *Caussa excidii Cæpioni.* Amisit enim Cæpio anno inseq. ut cap. 648, referente Epitome Liv. LXVII, confligens cum Cimbris, 80,000 milites, 40,000 calones ac lixas. Conf. Valer. Max. VI, 9, 13, coll. IV,

quoque Cimbrici belli tumultus, velut ultor sacræ
12 pecuniæ, insequutus est. Ex gente Tectosagorum non
mediocris populus, prædæ dulcedine, Illyricum repe-
13 tivit, spoliatisque Istris, in Pannonia consedit. Istro-
rum gentem fama est originem a Colchis ducere,
missis ab Æeta rege ad Argonautas, raptoresque filiæ
14 persequendos : qui ut a Ponto intraverunt Istrum,
alveo Savi fluminis penitus invecti, vestigia Argonauta-
rum insequentes, naves suas humeris per juga mon-
tium usque ad litus Hadriatici maris transtulerunt;
cognito, quod Argonautæ idem propter magnitudinem
navis priores fecissent : quos ut avectos Colchi non
reperiunt, sive metu regis, sive tædio longæ naviga-
15 tionis, juxta Aquileiam consedere; Istrique ex voca-
16 bulo amnis, quo a mari concesserant, appellati. Daci
quoque soboles Getarum sunt : qui quum, Orole rege,

7, 3; Gell. III, 9; Cic. Nat. Deor. 3, 30; Oros. V, 15. — *Insequutus est.* Falso; nam præcesserat potius; quippe quum Cimbri jam M. Junium Silanum, consulem anni 644 in Gallia fugassent. Vid. Freinsh. suppl. Liv. LXV, 16; post varias autem, quibus Romanos fregerant, clades, ipsi anno 651 et 652 a Mario funduntur, ac prope delentur. — *Ultor. Ultio*, quod conjecit Gronavus, confirmatur editione Romana et duobus codicibus.

12. *In Pannonia.* Danubium inter et Savum.

13. *Raptoresque.* Edd. quatuor antiquæ *raptoremque*, id est, Jasonem, de quo Argonautarum duce vid. Heynium ad Apollodor. I, 9, 16.

14. *Naves suas humeris... transtulerunt.* Conf. Apollon. Argon. IV, 18 seqq. — *Magnitudinem navis.* Vulgo *longitudinem navis.* Bongarsius autem interpretatur *navis* per *navigationis.* Nil mutandum videtur; et intelligendum, ut interpretatur Vossius, scilicet, quod flumen Savus triremem illam Argonautarum non caperet propter magnitudinem, illis necesse fuisse, illam fluvio elatam humeris suis in litus Adriaticum deportare. ED.

15. *Aquileiam.* In Foro Julio. — *Istrique.* Diodor. IV, 58; Plin. III, 18; Aristot. Hist. Anim. VIII, 13. — *Quo a.* In quem (amnem) : cod. Bong. *qua* (§. 7) *e.* — *Mari.* Is. Voss. conjicit *Narico*, sive *Naraco*, quod est ostium Istri, quod ingressum esse tradiderunt Æeten, quum Argonautas persequeretur. Confer Apollon. Rhod. Argon. IV.

16. *Orole.* Variant codd. et edd. in *Orole*, *Olore*, *Orode*. Is. Vossius autem conjicit *Bœrebisia* ex Strab. VII, cui est Βοιρεβίστας, et ex prologo hujus libri, ubi depravate legitur *Rubobostes.* — *Ad ultionem seg-*

adversus Bastarnas male pugnassent, ad ultionem
segnitiæ, capturi somnum capita loco pedum ponere
jussu regis cogebantur; ministeriaque uxoribus, quæ
ipsis antea fieri solebant, facere. Neque hæc ante 17
mutata sunt, quam ignominiam bello acceptam vir-
tute delerent.

IV. Igitur Perseus, quum imperio Philippi patris 1
successisset, omnes has gentes adversus Romanos in
societatem belli solicitabat. Interim inter Prusiam re- 2
gem, ad quem Hannibal post pacem Antiocho a Ro-
manis datam profugerat, et Eumenem bellum ortum
est, quod Prusias, Hannibalis fiducia rupto fœdere,
prior intulit. Namque Hannibal, quum ab Antiocho 3
Romani, inter cæteras conditiones pacis, deditionem
ejus deposcerent, admonitus a rege, in fugam versus
Cretam defertur. Ibi quum diu quietam vitam egisset, 4
invidiosumque se propter nimias opes videret, am-
phoras plumbo repletas in templo Dianæ, quasi for-
tunæ suæ præsidia, deponit: atque ideo nihil de illo 5
solicita civitate, quoniam velut pignus opes ejus te-
nebat, ad Prusiam contendit, auro suo in statuis,
quas secum portabat, infuso, ne conspectæ opes vitæ
nocerent. Dein quum Prusias terrestri bello ab Eu- 6
mene victus esset, et prælium in mare transtulisset,
Hannibal novo commento auctor victoriæ fuit. Quippe
omne serpentium genus in fictiles lagenas conjici

gnitiæ. Non dissimiles in disciplina militari animadversiones, plus ignominiæ quam cruciatus habentes, est observare apud Diod. Sic. XII, 16; Plutarch. in Agesilao, 51; Liv. XXVII, 15, 8; Tacitum XIII, 36, 5; Suet. in August. 24; Valer. Max. II, 7, 9 et 15: quæ loca debes Bernecceero. ED.

IV, 1. *Igitur*. Respicit cap. 3, 4-5. De inseqq, vid. lib. XXXIII. — Anno Urbis 576.

2. *Profugerat*. Confer Cornel. XXIII, 9-10. — *Prusias*. Bithyniæ regem. — *Eumenem*. Pergami regem (XXVII, 3, 1). Conf. ind. in *Eumenes* unde vides, hunc Eumenem Romanorum fuisse socium atque amicum. Conf. Liv. XXXVII, 39; XLI, 43. — Anno Urbis 562.

7 jussit, medioque prælio in naves hostium mitti. Id
primum Ponticis ridiculum visum, fictilibus dimicare,
qui ferro nequeant. Sed ubi serpentibus repleri naves
cœpere, ancipiti periculo circumventi, hosti victoriam
8 cessere. Quæ ubi Romam nuntiata sunt, missi a se-
natu legati sunt, qui utrumque regem in pacem co-
gerent, Hannibalemque deposcerent. Sed Hannibal,
re cognita, sumto veneno, legationem morte præve-
9 nit. Insignis hic annus trium toto orbe maximorum
imperatorum mortibus fuit, Hannibalis, et Philopœ-
10 menis, et Scipionis Africani. Ex quibus constat, Han-
nibalem, nec tum, quum Romano tonantem bello
Italia contremuit, nec quum reversus Carthaginem
summum imperium tenuit, aut cubantem cœnasse,
11 aut plus quam sextario vini indulsisse; pudicitiamque
eum tantam inter tot captivas habuisse, ut in Africa
12 natum quivis negaret. Moderationis certe ejus fuit, ut,
quum diversarum gentium exercitus rexerit, neque in-
sidiis suorum militum sit petitus unquam, neque fraude
proditus, quum utrumque hostes sæpe tentassent.

7. *Ponticis*. Immo Pergamenis. Vid. not. ad XXVII, 3, 1, el Cornel. XXIII, 10, 2: *Dissidebat a Prusia Pergamenus rex Eumenes, Romanis amicissimus*. Adde Livium XXXVII, 39, 41, 43.

8. *Quæ ubi Romam nuntiata sunt*. Plures edd. *Romæ*, nt infra XXXIV, 2, 1: *Hæc ubi Romæ nuntiata sunt*. ED. — De re antem conf. Cornel. XXIII, 12. — Anno Urbis 563.

9. *Hic annus*. Annus U. C. 569, quamqnam hac in re non omnes cousentiunt, quum, quod constat ex Corn. XXIII, 13, 1, in hoc ipso anno Hannibalis mortem ponat Atticus; anno autem 570 Polybius; Sulpicius denique anno 571. Conf. Liv. XXXIX, 51. De *Philopœmene* resp. c. 1, 5; coll. Liv. XXXIX, 50, 10; et de *Africano* Liv. XXXIX, 52.

10. *Ex quibus*. Construe verba ita: constat autem, *ex his*, quos dixi, tribus viris, Hannibalem...—*Nec tum... contremuit*. Italia contremuit (active contremiscens timuit) tonantem (Hannibalem) bello Romano. Aptius tamen eum Ald., Junt. et Ven. legeris *tonante*, ut bellum tonare dicatur, non imperator, ut XXIX, 3, 1, *tonans ac fulminans procella*; et Flor. II, 6, 10, *turbo detonuit*. Quamqnam non diffiteor, sic desiderari in hoc commate subjectum, quod esse debet *Hannibal*, non *Italia*.

12. *Moderationis certe ejus fuit*, etc. Conf Liv. XXVIII, 12; coll. Tacit. Hist. II, 37, 4.

LIBER XXXIII.

I. Minore quidem rerum motu Romani Macedoni- 1
cum, quam Punicum bellum gesserunt; sed tanto
clarius, quanto nobilitate Macedones Pœnos antecesserunt : quippe quum gloria Orientis domiti, tum et
auxiliis omnium regum juvabantur. Itaque Romani et 2
legiones plures numero conscripserunt; et auxilia a
Masinissa, rege Numidarum, cæterisque sociis omnibus acciverunt ; et Eumeni, regi Bithyniæ, denuntia-

I. 1. *Punicum.* Alterum, ab Hannibale gestum XXXII, 4, 10; XXXVIII, 4, 6. De Macedonico bello consulendi sunt Plutarchus in Æmilio Paullo; Livius XLI; Flor. II, 12; Vell. Pat. I, 9; Diodor. XXXI; Pausan. VII, 10, 2; I, 36, 4. — Confer etiam *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains, chap. V : « Après l'abaissement des Carthaginois, Rome n'eut presque plus que de petites guerres et de grandes victoires : au lieu qu'auparavant elle avait eu de petites victoires et de grandes guerres. »* ED. — *Tanto clarius.* Idem Livii judicium XXXI, 1, 6-7. — *Orientis domiti.* XXIX, 3, 8. — *Omnium regum.* Hyperbolice dictum, ut sæpius apud Nostrum, qui XXXII, 3, 5, solos Gallos in auxiliis Persei numerat : Liv XLII, 29, 12, Cotyn, Odrysarum regem, adjungit. Perseus ipse quum, ut supra vidimus XXXII, 3, 3, ex Livii ratione an. 573, patri successisset, an. demum 580, hostis est a senatu Romano judicatus (Liv. XLII, 18), qui idem cap. 51, copias ejus fuisse dicit 39,000 pedites, 4,000 equites; et Gallorum (supra XXXII, 3, 5) auxilia eum recusasse narrat, XLIV, 26, an. 584.

2. *Bithyniæ.* Non Bithyniæ, sed Pergami. Vid. not. ad XXXII, 4, 2 et 7; et XXVII, 3, 1. De Masinissa adi Liv. XLII, 29, 8 : ex quo eodem XLII, 31, Noster est explicandus, aut potius corrigendus. Nam id præcipue provinciæ Macedoniæ datum, quod, pro 5,200 in singulas legiones, in Macedoniam 6,300 scribi jussi sunt. Non igitur legionum numerus auctus est, quippe *binas* singulis consulibus scriptas fuisse ille dicit §. 3; sed numerus militum in singulis legionibus est auctus. Hinc hac oscitantia Nostrum liberaturus Grævius corrigit, *legionis plures numeros*, id est, cohortes, ut Tacit. I, 6.

3 tum, ut bellum summis viribus juvaret. Perseo, præ-
ter Macedonicum invictæ opinionis exercitum, de-
cennis belli sumtus, a patre paratus, in thesauris et
horreis erat. Quibus rebus inflatus, oblitus fortunæ
paternæ, veterem Alexandri gloriam considerare suos
4 jubebat. Prima equitum congressio fuit, qua victor
Perseus suspensam omnium exspectationem in favo-
5 rem sui traxit : misit tamen legatos ad consulem, qui
pacem peterent, quam patri suo Romani etiam victo
dedissent, impensas belli lege victi suscepturus. Sed
consul Sulpicius non minus graves, quam victo, leges
6 dixit. Dum hæc aguntur, metu tam periculosi belli
Romani Æmilium Paullum consulem creant, eique
extra ordinem Macedonicum bellum decernunt : qui
quum ad exercitum venisset, non magnam moram
7 pugnæ fecit. Pridie quam prælium consereretur, luna
nocte defecit : triste id ostentum Perseo omnibus
præsagientibus, finemque Macedonici regni portendi
vaticinantibus.

1 II. In ea pugna M. Cato, Catonis oratoris filius,
dum inter confertissimos hostes insigniter dimicat,

3. *Jubebat.* Conf. regis orationem ad milites apud Liv. XLII, 52, anno 581 habitam.

4. *Prima equitum.* Confer Livium XLII, 57-59, in Thessalia anno Urbis conditæ 581; quem eundem adi de pace, de qua egit cum consule Romano, P. Licinio Crasso, cap. 62; coll. cap. 32, 5.

5. *Suscepturus.* Dicens, se suscepturum esse. Conf. XXIX, 2, 6 et 8. — *Sulpicius.* Aut potius Licinius (P. Licinius Crassus). Vide Livium ad §. 4 laudatum.

6. *Dum hæc aguntur.* Plura et hic Noster transilit. Nam antea duos quoque consules Perseus habuit adversarios, A. Hostilium Mancinum, cos. 582, et Q. Martinm Philippum, cos. 583 (Liv. XLIII, 5; XLIV, 2), anno demum 584 L. Æmilium Paullum cos. — *Sortitur.* Macedoniam, Liv. XLIV, 17, 9. Duplex igitur est Nostri error : primus, quod statim post Licinium creatum narrat Paullum; alter, quod huic hanc provinciam dat extra ordinem, quam *sortitus* est ille.

7. *Luna nocte defecit.* Confer Livium XLIV, 37.

II. 1. *M. Cato*, etc. M. Porcius Cato, Censorii filins, Paulli, cujus filiam Tertiam uxorem duxit, gener, prætor designatus, an. 60 mortuus,

equo delapsus pedestre prælium adgreditur. Nam ca- 2
dentem manipulus hostium cum horrido clamore,
veluti jacentem obtruncaturus, circumsteterat: at ille
citius corpore collecto, magnas strages edidit. Quum 3
ad unum opprimendum undique hostes convolarent,
dum procerum quendam petit, gladius ei e manu elap-
sus in mediam cohortem hostium decidit: ad quem 4
reciperandum umbone se protegens, inspectante
utroque exercitu, inter mucrones se hostium immer-
sit; recollectoque gladio, multis vulneribus exceptis,
ad suos cum clamore hostium revertitur. Hujus auda-
ciam cæteri imitati, victoriam peperere. Perseus rex 5
fuga cum decem millibus talentum Samothraciam
defertur: quem Cnæus Octavius, ad persequendum
missus a consule, cum duobus filiis, Alexandro et
Philippo, cepit; captumque ad consulem duxit. Ma- 6
cedonia a Carano, qui primus in ea regnavit, usque
Persen triginta reges habuit. Quorum sub regno fuit
quidem annis noningentis et viginti tribus; sed rerum

Plut. in Caton. cap. 20 et 24; Cic. Tusc. III, 28; ad div. IV, 6, 6; Caton. XIX, 7; coll. Freinshemii suppl. Liv. XLVIII, 9.

2. *Corpore collecto.* Viribus collectis, ut §. 4, *gladium recolligere.*

4. *Hostium.* Edd. septem antiquæ *omnium*, quod probat Scheffer. quum clamor sit gratulantium, ergo Romanorum, non hostium.

5. *Perseus rex fuga* etc. Confer Liv. XLIV, 45-46; XLV, 4-8. — *Octavius.* Hujus anni prætor, classem sortitus, quacum Samothraciam appellitur, Liv. XLIV, 17; XLV, 5 et 6, ubi cap. 42, de Perse triumphum ducit navalem.

6. *Carano.* De Carano respice ad VII, 1, 7 et 12. — *Triginta reges.* Ex tabula regum, quam dedi *in meiner Altertumskunde* pag. 217, vides 20 reges a Carano inde ad Alexandrum Magnum; porro a Cassandro ad Perseum 16. — *Usque. Ad* addunt edd. quatuor antiq. — *Annis noningentis et viginti tribus.* Alii codd. 934, duo alii codd. 924. Jam a Carano si cum Velleio Paterculo (I, 6, 5) ad urbem conditam numeras annus 65, hi annis 584 additi conficiunt numerum an. 649, non autem 923. — *Rerum... potita.* Per Alexandrum, Darii victorem an. 424: quo anno Persarum imperium Noster finit, Macedonici initium statuit X, 3, 7; ut ab illo ad hunc annum numeres 160: quos si producere velis ad Nostri numerum 192, adsumendi sint tibi 32 ex antecedentibus, regresso ad A. U.

7 non nisi centum nonaginta duobus annis potita. Ita
quum in ditionem Romanorum cessisset, magistratibus
per singulas civitates constitutis, libera facta est;
8 legesque, quibus adhuc utitur, a Paullo accepit. Ætolorum universarum urbium senatus, cum conjugibus et liberis, qui dubia fide fuerant, Romam missus; ibique, ne in patria aliquid novaret, diu detentus; ægreque, per multos annos legationibus civitatium senatu fatigato, in patriam quisque suam remissus est.

392, quo Philippus obses Thebis morabatur. Hinc præferenda lectio codd. Bongars. 152, aut, si mavis numero rotundo, lectio trium codd. *centum quinquaginta :* quem eundem numerum habet Liv. XLV, 9, 7.

7. *Ita.* Aut temere est repetitum ex voce præcedente, aut explicandum εἶτα, deinde. — *Libera facta est.* Vid. Liv. XLV, 18, et 29-30, 32; coll. XLIV, 45. — Hac de re confer *Montesquieu*, *Grandeur et Décadence des Romains*, *chap. VI :* « *Remarquez, je vous prie, la conduite des Romains. Après la défaite d'Antiochus, ils étaient maîtres de l'Afrique, de l'Asie et de la Grèce, sans y avoir presque de ville en propre. Il semblait qu'ils ne conquissent que pour donner : mais ils restaient si bien les maîtres, que lorsqu'ils faisaient la guerre à quelque prince, ils l'accablaient pour ainsi dire du poids de tout l'univers.* ED.

8. *Ætolorum.* Respice XXXII, 1, 1-2. Post illam pacem an. 563 his concessam mutuis cædibus in semetipsos grassantur, Liv. XLI, 30; XLII, 5. Jam quum ad Paullum querelas suas detulissent (XLV, 28, an. 585), de omnibus Persei amicis hospitibusque, occultisque fautoribus judicium fit, ut Romam abeant ad caussam dicendam cap. 31. — Anno Urbis 585.

LIBER XXXIV.

I. Pœnis ac Macedonibus subactis, Ætolorumque 1
viribus principum captivitate debilitatis, soli adhuc
ex Græcia universa Achæi nimis potentes tunc temporis Romanis videbantur; non propter singularum
civitatium nimias opes, sed propter conspirationem
universarum. Namque Achæi, licet per civitates, veluti 2
per membra, divisi sint, unum tamen corpus et unum
imperium habent; singularumque urbium pericula
mutuis viribus propulsant. Quærentibus igitur Roma- 3
nis caussas belli, tempestive fortuna querelas Spartanorum obtulit, quorum agros Achæi propter mutuum
odium populabantur. Spartanis a senatu responsum 4
est, « legatos se ad inspiciendas res sociorum, et ad
injuriam demendam in Græciam missuros: » sed legatis 5
occulta mandata data sunt, ut corpus Achæorum dis-

I. 1. *Pœnis... subactis.* Finito bello Punico altero per Africanum majorem, cujus tamen belli non nisi initium, veluti in transcursu, attigit XXIX, 2, 7, quum infra demum lib. XLIII, de Romanis agat. De re ipsa confer Liv. XXX, 29 et 44, ad A. U. 550 et 551. De *Macedonibus* autem respice XXXIII, 2. — *Ætolorumque viribus... debilitatis.* Confer XXXIII, 2, 8. — *Achæi.* Respice not. ad XXIX, 4, 11, et XXXII, 1, 4. Quod autem de Ætolis Noster refert XXXIII, 2, 8, id de iisdem paullo aliter Livius refert XLV, 28 et 31, cujus confer Epit. LII; Flor. II, 16; Vell. Pat. I, 12; Pausan. VII, 7 seqq. — Anno Urbis 551-584.

2. *Civitates.* Quas quidem nominatas, vides *in mein. Histor. Handb.* vol. I, pag. 3. De re ipsa bene judicat Polybius II, 38.

3. *Caussas belli.* De caussis hujus belli consule Pausan. VII, 10 seqq.

5. *Corpus Achæorum dissolverent.* Hae de re confer *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains, chap. VI :* « *Leur* (des Romains) *maxime constante fut de diviser. La république d'Achaïe était formée par une association de villes libres : le sénat déclara*

solverent, singulasque urbes proprii juris facerent, quo facilius ad obsequia cogerentur: et, si quæ urbes
6 contumaces essent, frangerentur. Igitur legati, omnium civitatium principibus Corinthum evocatis, decretum senatus recitant; quid consilii habeant, ape-
7 riunt: «Expedire omnibus dicunt, ut singulæ civita-
8 tes sua jura et suas leges habeant.» Quod ubi omnibus innotuit, velut in furorem versi, universum peregri-
9 num populum trucidant; legatos quoque ipsos Romanorum violassent, nisi, audito tumultu, trepidi fugissent.

1 II. Hæc ubi Romæ nuntiata sunt, statim senatus Mummio consuli bellum Achaicum decernit: qui, extemplo exercitu deportato, et omnibus strenue pro-
2 visis, pugnandi copiam hostibus fecit. Sed Achæi velut nihil negotii Romano bello suscepissent, ita apud eos
3 neglecta omnia et soluta fuere. Itaque prædam, non prælium cogitantes, et vehicula, ad spolia hostium reportanda, duxerunt, et conjuges liberosque suos, ad spectaculum certaminis, in montibus posuerunt.
4 Sed prælio commisso, ante oculos suorum cæsi, lugubre his spectaculum, et gravem luctus memoriam
5 reliquerunt. Conjuges quoque liberique eorum, de
6 spectatoribus captivi facti, præda hostium fuere. Urbs

que chaque ville se gouvernerait dorénavant par ses propres lois, sans dependre d'une autorité commune.» ED.

6. — Anno Urbis 606.

8. *Peregrinum populum*. Spartanos, qui aderant.

9. *Legatos... fugissent.* Pausan. VII, 14; Flor. II, 16, 2; Cic. Manil. 5, 2; Off I, 11, 5.

II. 1. *Mummio*. L. Mummio, consule. A. U. 607, cum Cn. Cornelio Lentulo, Freinsh. suppl. Liv. LI, 39; coll. Vell. I, 12.

2. *Achæi.* Duce *Critolao*, nomine seditioso.

4. *Ante oculos suorum cæsi.... memoriam reliquerunt.* Antea jam cæsi fuerant in Phocide a Q. Cæcilio Metello, Macedoniæ proprætore, quo in prælio 1,000 captos fuisse, Critolaum occisum referunt Pausan. VII, 15; Liv. Epit. LII; Flor. II, 16. Hoc autem, de quo hoc loco sermo est, prælium contra Mummium commisit Diæus.

5. — Anno Urbis conditæ 607.

ipsa Corinthus diruitur; populus omnis sub corona
venditur : ut hoc exemplo cæteris civitatibus metus
novarum rerum incuteretur. Dum hæc aguntur, rex 7
Syriæ Antiochus Ptolemæo, majoris sororis suæ filio,
regi Ægypti, bellum infert, segni admodum, et quoti-
diana luxuria ita marcenti, ut non solum regiæ ma-
jestatis officia intermitteret, verum etiam sensu ho-
minis nimia sagina careret. Pulsus igitur regno, ad 8
fratrem minorem Ptolemæum Alexandriam confugit :
participatoque cum eo regno, legatos Romam ad se-
natum mittunt; auxilia petunt; fidem societatis implo-
rant. Movere senatum preces fratrum.

III. Mittitur itaque legatus Popilius ad Antiochum, 1
qui « abstinere illum Ægypto, aut, si jam incessisset,
excedere » juberet. Quum in Ægypto eum invenisset, 2
osculumque ei rex obtulisset (nam coluerat inter cæ-
teros Popilium Antiochus, quum Romæ obses esset);
tunc Popilius « facessere interim privatam amicitiam »

6. *Corinthus diruitur.* Hae de re confer *Bossuet, Discours sur l'histoire universelle, I partie, 9 époque : « Le consul Mummius ruina de fond en comble cette ville, la plus voluptueuse de la Grèce et la plus ornée. Il en transporta à Rome les incomparables statues, sans en connaître le prix : les Romains ignoraient les arts de la Grèce, et se contentaient de savoir la guerre, la politique et l'agriculture.* » Cui rei adludit Virgil. Æn. VI, v. 846 :

Excudent alii spirantia mollius æra
Credo equidem...
Tu regere imperio populos, Romane, memento.
Hæ tibi erunt artes... ID.

7. *Antiochus.* Epiphanes an. 578-590, qui Seleneo IV Philopatori, Antiochi M. filio, per annos 567-578 regi, ipse hujus frater successerat. — *Ptolemæo.* Philometori, per annos 573-608 regi (confer Diod. XXX, 15), successori et filio Ptolemæi Epiphanis, qui Antiochi Magni filiam, hujus Antiochi Epiphanis sororem in matrimonio habuerat. Vid. not. ad XXXI, 1, 1.

8. *Ptolemæum.* Physconem, cui Cyrene et Libya cessit an. 596, Diod. XXXI, 26; quique fratri an. 608 mortuo successit, ipse regnans per annos 608-635.

III. 1. *Mittitur... legatus.* Confer Cic. Philipp. VIII, 8, ubi legatus regem invenit Alexandriam obsidentem. Conf. et Vell. I, 10; Valer. Maxim. VI, 4, 3; Liv. XLV, 12. Plutarch. Apophth. pag. 157 ed. Hutten. — A. U. 584.

2. *Obses.* A patre Antiocho Magno et deinde a fratre Seleuco IV traditus. Vid. not. ad cap. 2, 7.

3 jubet, « quum mandata patriæ intercedant : » prolatoque senatus decreto, et tradito, quum cunctari eum videret, consultationemque ad amicos referre; ibi Popilius virga, quam in manu gerebat, amplo circulo inclusum, ut et amicos caperet, « consulere jubet; nec prius inde exire, quam responsum senatui daret, aut pacem,
4 aut bellum cum Romanis habiturum. » Adeoque hæc asperitas animum regis fregit, « ut pariturum se sena-
5 tui » responderet. Reversus in regnum Antiochus,
6 decedit, relicto parvulo admodum filio : cui quum tutores dati a populo essent, patruus ejus Demetrius, qui obses Romæ erat, cognita morte Antiochi fratris, senatum adiit, « obsidemque se vivo fratre venisse,
7 quo mortuo, cujus obses sit, se ignorare. Dimitti igitur se ad regnum petendum æquum esse, quod sicuti jure gentium majori fratri cesserit, ita nunc sibi, qui
8 pupillum ætate antecedat, deberi. » Quum se non dimitti animadverteret a senatu, tacito judicio, tutius apud pupillum, quam apud eum, regnum futurum arbitrante, specie venandi ab urbe profectus, Hostiæ
9 tacitus cum fugæ comitibus navem conscendit. Delatus in Syriam, secundo favore omnium excipitur : regnumque ei, occiso pupillo, a tutoribus traditur.

3. *Inclusum, ut* etc. *Inclusum amicos capere et consulere jubet,* Ald., Junt., Bong. et Col., quas mavult sequi Grævius, non item ego. Ex vulgata enim lectione *circulus* capit amicos regis; ex illa *rex* capit amicos.

4. *Asperitas.* Bong. *austeritas.*

5. *Parvulo.* Novem annorum, Antiocho V, *Eupatore*, rege 590-592, quo anno periit scelere Demetrii, fratris patruelis. Antiochi enim Marci filii quum Seleucus IV, et Antiochus IV, Epiphanes patri successissent (vid. not. ad cap. 2, 7); huic Antiocho Epiphani successit filius Antiochus Eupator, occisus a Demetrio, Seleuci IV filio, qui Nostro falso dicitur *patruus* regis pueri, cujus est frater patruelis.

6. *Fratre.* Aut potius patris fratre. Ipse jam regnum sibi vindicare poterat fratrum illorum (not. ad §. 5) majoris filius, contra minoris filium.

8. *Hostiæ. Ostia* et *Ostiam* dixisse veteres observavit Gronovius avus ad IX, 19. ED.

9. *Regnumque.* Quod scelere arreptum tenuit per annos 592-604.

IV. Eodem fere tempore Prusias, rex Bithyniæ, 1
consilium cepit interficiendi Nicomedis filii, dum con-
sulere studet minoribus filiis, quos ex noverca ejus
susceperat, et Romæ habebat. Sed res adolescenti ab 2
his, qui facinus susceperant, proditur; hortatique
sunt, « ut crudelitate patris provocatus, occupet insi-
dias, et in auctorem retorqueat scelus. » Nec difficilis 3
persuasio fuit. Igitur, quum accitus in patris regnum
venisset, statim rex appellatur. Prusias regno spoliatus 4
a filio, privatusque redditus, etiam a servis deseritur.
Quum in latebris ageret, non minori scelere, quam 5
filium occidi jusserat, a filio interficitur.

Conf. Machab. I, 7; Joseph. antiq. XIII, 16, et Liv. Epit. XLVI: *Hunc Antiochum puerum cum Lysia tutore ejus Demetrius, Seleuci filius, qui Romam obses missus fuerat, clam, quia minime dimittebatur a Romanis, interemit, et ipse in regnum receptus.* Ad hunc locum Grævius Nostri verba ita corrigi vult, *et tutoribus.*

IV. 1. *Prusias.* Respice XXXII, 4, 2; de cujus turpi adversus Romanos adulatione adi Diod. XXXI, 5: cujus editores fragm. 17 libri XXXII, quo hoc idem narratur, referunt ad A. U. 606. Equidem cum Freinsh. in Suppl. Liv. L, 11, retuli ad an. 605. — *Habebat.* Bene et historiæ convenienter (quum rex non filios minores, sed Nicomedem Romæ haberet, teste Appiano de Bello Mithridatico) unus codex a Gronovio nepote inspectus: *filii, quem a se ablegatum, studens minoribus filiis.... susceperat, Romæ habebat.* — Confer nostrum Sophoclem *P. Corneille, Nicomède.* xn.

LIBER XXXV.

1 I. Demetrius, occupato Syriæ regno, novitati suæ
otium periculosum ratus, ampliare fines regni, et opes
2 augere finitimorum bellis statuit. Itaque Ariarathi,
regi Cappadociæ, propter fastiditas sororis nuptias
infestus, fratrem ejus Orophernem, per injuriam
regno pulsum, supplicem recepit; datumque sibi ho-
nestum belli titulum gratulatus, restituere eum in
3 regnum statuit. Sed Orophernes ingrato animo, inita
cum Antiochensibus pactione, offensis tunc Deme-
trio, pellere ipsum regno, a quo restituebatur, con-
4 silium cepit. Quo cognito, Demetrius vitæ quidem
ejus, ne Ariarathes metu fraterni belli liberaretur,
pepercit: ipsum autem comprehensum, vinctum Se-
5 leuciæ custodiri jubet. Nec Antiochenses indicio ter-
6 riti, a defectione destiterunt. Itaque adjuvantibus et
Ptolemæo rege Ægypti, et Attalo rege Asiæ, et Aria-

I. 1. *Demetrius*. Respice XXXIV, 3, 6-9. — *Finitimorum*. In bis Judæorum. — Anno Urbis 592-604.

2. *Itaque Ariarathi*. Ariarathen a fratre Oropherne pulsum regno refert Diod. XXXI, 25, quod hujus editores retulerunt ad A. U. 596. — *Fastiditas sororis nuptias*. Similia exempla adfert Berneccer. Herodot. III, 1; Diod. XIV, 107; Dion. Hal. IV, 52; Noster supra II, 5, 6; Apul. Metam. VIII init: quibus addere potes Mariam Annam Philippi V, Hispaniarum regis filiam, Ludovico XV, Francorum regi desponsam, remissam an. 1725.

6. *Ptolemæo*. Philometore, rege 573-608. Vid. not. ad XXXIV, 2, 7. — *Asiæ*. Pergami, ubi hic per annos 596-616 regnavit. — *Lacessiti*. Antiochenses. *Lacessitis*, quod est in Med., Paris., Boug., refer ad tres præc. reges. — *Balam*. Hoc nomen in codd. et edd. corruptum primus restituit Gron. avus ex Strab., Josepho XIII, 8, et Eusebio; coll. Liv. Epit. LII. — Hujus modi scenicorum et obreptitiorum princi-

rathe Cappadociæ, bello a Demetrio lacessiti, sub-
ornant Balam quendam, sortis extremæ juvenem, qui
Syriæ regnum, velut paternum, armis repeteret; et 7
ne quid contumeliæ decsset, nomen ei Alexandri
inditur, genitusque ab Antiocho rege dicitur. Tantum 8
odium Demetrii apud omnes erat, ut æmulo cjus non
vires regiæ tantum, verum etiam generis nobilitas
consensu omnium tribueretur. Igitur Alexander, ad- 9
mirabili rerum varietate pristinarum sordium oblitus,
totius ferme Orientis viribus succinctus, bellum De-
metrio infert, victumque vita pariter ac regno spoliat.
Quamquam nec Demetrio animus in propulsando 10
bello defuit. Nam et primo prælio hostem fugavit, et
regibus bellum restituentibus, multa millia in acie
cecidit. Ad postremum tamen, invicto animo inter 11
confertissimos fortissime dimicans cecidit.

II. Initio belli Demetrius, duos filios apud Gnidium, 1
hospitem suum, cum magno auri pondere commen-
daverat, ut belli periculis eximerentur, et, si ita fors
tulisset, paternæ ultioni servarentur. Ex his major 2

pum plura exempla contraxit Lipsius in Monitis et Exemplis Politicis II, 5. Quibus adde Pseudo-Drusum ex Tacito, Annal. V, 10; Pseudo-Neronem, Suet. Ner. fin.; Pseudo-Ariaratheu, Valer. Max. IX, 16; Pseudo-Johannem, Pachymer. III, 12 et 13, et plures. ED.

7. *Antiocho.* IV, Epiphane, de quo ad XXXIV, 2, 7. Ferebat igitur se Demetrii occisi fratrem patruelem, quum hic Antiochus, et Demetrii pater Seleucus, fratres fuissent XXXIV, 3, 5 not.

8. *Tantum odium* etc. Sæpe accidere ut homines quem libet sibi malint imperare etiam indignissimum, quam cum a quo læsi sunt, *documento Vitellius est, nullis stipendiis nulla militari fama, Galbæ odio promotus*, Tacit. Hist. II, 76. ED.

9. *Orientis viribus succinctus.* Ab Ægyptiorum rege anno inde 599 adjutus. — *Pristinarum sordium oblitus.* Nam ut ait Claudianus in Eutrop. I, 18, 14:

Asperius nihil est humili, quum surgit in altum.

10. — Anno Urbis 604.

II. 1. *Filios.* Demetrium Nicanorem seu Nicatorem et Antiochum XXXVI, 1, 8. — *Gnidium.* Scilicet *Cnidium*, quod mavult Gron. avus. Idem est. Nam Græce scribitur Γνίδος et Κνίδος. — *Commendaverat.* Scilicet custodiendos et servandos hospiti mandaverat.

Demetrius, annos pubertatis egressus, audita Alexandri luxuria, quem insperatæ opes, et alienæ felicitatis ornamenta, velut captum inter scortorum greges desidem in regia tenebant, auxiliantibus Cretensibus,
3 securum, ac nihil hostile metuentem adgreditur. Antiochenses quoque, veterem patris offensam novis meritis correcturi, se ei tradunt: sed et milites paterni, favore juvenis accensi, prioris sacramenti religionem novi regis superbiæ præferentes, signa ad Demetrium
4 transferunt: atque ita Alexander non minori impetu fortunæ destructus, quam elatus, primo prælio victus, interficitur, deditque pœnas et Demetrio, quem occiderat, et Antiocho, cujus mentitus originem fuerat.

3. *Antiochenses.* Cap. 1, 3. — *Prioris... præferentes.* Qui jam malebant ad fidem patri sacramento datam redire, quam novo regi superbo (Alexandro) parere. — *Demetrium.* Cap. 1, 9 et 11. — *Antiocho.* Cap. 1, 7. De Demetrio ipso Nicanore vid. ind. — Anno Urbis 608.

LIBER XXXVI.

I. Reciperato paterno regno Demetrius, et ipse re- 1
rum successu corruptus, vitiis adolescentiæ in segni-
tiam labitur; tantumque contemtum apud omnes
inertiæ, quantum odium ex superbia pater habuerat,
contraxit. Itaque quum ab imperio ejus passim civi- 2
tates deficerent, ad abolendam segnitiæ maculam
bellum Parthis inferre statuit : cujus adventum non 3
inviti Orientis populi videre, et propter Arsacidæ,
regis Parthorum, crudelitatem, et quod veteri Mace-
donum imperio adsueti, novi populi superbiam in-
digne ferebant. Itaque quum et Persarum, et Elymæo- 4
rum, Bactrianorumque auxiliis juvaretur, multis præ-

I. 1. *Demetrius*. Rex Syriæ per an. 608-628. Anno 610 pellitur in Mesopotamiam (unde ipse expeditionem in Parthos suscipit, a quibus an. 615 capitur) ab Antiocho VI, Deo, Balæ filio, qui per tres annos 610-612 regnum tuetur, occisus a Tryphone Apameensi; per an. 612-617, regnum usurpante, et occiso an. 617 ab Antiocho VII Sideta, Demetrii Soteris filio, Demetrii Nicanoris fratre (XXXV, 2, 1 not.), regnante an. 617-624 : quo anno et regno et vita a Parthis privatur. Jam ab his dimissus, iterum Demetrius hic Nicanor regno potitur 624-628, adversarium tamen nanciscitur Alexandrum Zebennam, Balæ filium subdititium, quem fugiens an. 628, perit XXXIX, 1, 8. — *Ex superbia pater habuerat.* XXXV, 1, 8. Grævius, quem offendit phrasis *habere odium*, verbo deleto, subandiri vult *contraxerat.*

3. *Arsacidæ*. Vid. infra XLI, 1-6; coll. *mein. Hist. Handb.* vol. II, pag. 120, nr. 6, unde videa, hunc Arsaciden VI, esse Mithridatem I, regem per an. 580-617. — *Arsacidæ* pro *Arsacis*. *Arsaces* dicebantur omnes Parthorum reges, infra XLI, 5, 6 : sed et supra II, 6, 9, *Amphictyon* est in MSS. *Amphictyonides*; *Prusiades* est *Prusias* apud Varronem; et *Callias*, sub quo Athenas Xerxes incendit, Diodoro dicitur *Calliades*; et quod magis est mirum, Noster supra II, 12, 11, pro *Thespias* posuit *Thespiadas*, quod vett. omnes MSS. habent. ED.

5 liis Parthos fudit. Ad postremum tamen, pacis simu-
latione deceptus, capitur; traductusque per ora civi-
tatium, populis, qui desciverant, in ludibrium favoris
6 ostenditur. Missus deinde in Hyrcaniam, benigne et
7 juxta cultum pristinæ fortunæ habetur. Dum hæc
aguntur, interim in Syria Trypho, qui se tutorem
Antiocho, Demetrii privigno, substitui a populo la-
8 boraverat, occiso pupillo, regnum Syriæ invadit. Quo
diu potitus, tandem exolescente favore recentis im-
perii, ab Antiocho puero admodum, Demetrii fratre,
qui in Asia educabatur, bello vincitur: rursusque
9 regnum Syriæ in sobolem Demetrii revertitur. Igitur
Antiochus, memor, quod et pater propter superbiam
invisus, et frater propter segnitiam contemtus fuisset,
ne in eadem vitia incideret, recepta in matrimonium
Cleopatra, uxore fratris, civitates, quæ vitio fraterni
imperii defecerant, summa industria persequitur,
10 domitasque rursus regni terminis adjicit. Judæos quo-
que, qui in Macedonico imperio sub Demetrio patre
11 armis se in libertatem vindicaverant, subigit. Quorum
vires tantæ fuere, ut post hunc nullum Macedonum
regem tulerint, domesticisque imperiis usi, Syriam
magnis bellis infestaverint.

5. *Capitur.* Mansitque captus ab hoc anno 615, ad annum usque 624. Vid. not. ad §. 1.

6. *Habetur.* Quippe cui data esset in matrimonium Rhodagune, regis filia, XXXVIII, 9, 3.

7. *Antiocho.* VI, Deo, non Demetrii privigno, sed Alexandri Balæ filio (not. ad §. 1), XXXV, 1, 6, ut habent h. l. duo MSS. — Anno Urbis 612.

8. *Diu potitus.* Per annos 612-617, Vid. not. ad §. 1. — *Antiocho.* VII, Sideta, sive Evergeta, not. ad §. 1. — *Demetrii fratre.* Demetrii II, §. 1. — *Sobolem Demetrii.* Soteris XXXV, 1, de cujus superbia §. 1; coll. XXXV, 1, 8. De fratris segnitia §. 1. — Anno Urbis 617.

9. *Vitio.* §. 2, ut hæc lectio præferenda sit alteri editionum quinque ant. *initio.*

10. *Sub Demetrio patre.* Non sub hoc demum (anno Urbis conditæ 592-604), sed jam sub Antiocho IV Epiphane (578-590), anno Urbis 587, Diodor. XXXIV, 2. Confer infra cap. 3, 9.

II. Namque Judæis origo Damascena, Syriæ nobi-
lissima civitas : unde et Assyriis regibus genus, ex
regina Semiramide fuit. Nomen urbi a Damasco rege 2
inditum : in cujus honorem Syrii sepulcrum Arathis,
uxoris ejus, pro templo coluere; Deamque exinde
sanctissimæ religionis habent. Post Damascum Azelus, 3
mox Adores, et Abraham, et Israhel reges fuere. Sed 4
Israhelem felix decem filiorum proventus majoribus
suis clariorem fecit. Itaque populum, in decem regna 5
divisum, filiis tradidit; omnesque ex nomine Judæ,
qui post divisionem decesserat, Judæos appellavit :
colique ejus memoriam ab omnibus jussit, cujus por-
tio omnibus accesserat. Minimus ætate inter fratres 6
Joseph fuit : cujus excellens ingenium veriti fratres,
clam interceptum, peregrinis mercatoribus vendide-

II. 1. *Judæis origo*. Quæ confuse Noster cum Tacito Hist. V, 2-14, et falso tradit, ea vera tradunt Veteris Testamenti libri historici et Josephus, ex quibus scriptores Romani sunt corrigendi. — *Damascena*. Non Damasco Syriæ ortus fuit *Abraham*, sed Ure Chaldææ, Gen. 11, 28. — *Unde... fuit*. Vid. ad I, 2, 13. — *Ex regina*. Melius duo MSS. et editio Juntina, *et reginæ Semiramidi*.

2. *Damasco*. Qui est etymologo Δαμᾶς. — *Arathis*. Melius *Arates*, ut est in cod. Boug., ut sit nominatus. Ἀράτα, non Ἀράθις. — *Pro templo coluere*. Non minus sacrum habuere hujus sepulcrum, quam templum templum alicujus Dei. Isaacus tamen Vossius mavult *ejus exemplo*, id est, sequuti exemplum regis sui, qui quam uxorem, dum viveret, impensissime amarat, mortuam Deæ instar colens, sepulcrum ejus templi instar sacrabat.

3. *Israhel*. Sive Jacob, Abrahami nepos, Isaaci filius : qui quidem tres Judæorum patriarchæ non reges fuerunt, sed Nomades.

4. *Decem*. Aut potius *duodecim* Exod. 1, 2-4; Gen. 35, 23-25.

5. *Judæ*. Cujus tribus longe fuit potentissima, numerosissima. — *Judæos appellavit*. Fallitur Justinus : non enim hoc tempore Hebræi Judæorum nomen habuere; sed post captivitatem Babylonicam, quum regnare incepit Zorobabel ex tribu Juda, quæ Babylonem cum stirpe regia abducta fuerat. ED.

6. *Minimus ætate*. Non *Joseph* fuit, sed hujus frater *Benjamin*, ex eadem matre *Rachel* genitus, Gen. 35, 16; 30, 24; 35, 24. — *Clam interceptum*. Historiam Josephi persequitur Justinus, sed miscet fabulis; scientiamque divinandi a Deo concessam appellat fabulas. ED. — Suo more Noster narrat, quæ legimus a Mose relata, Gen. 27 seqq.

7 runt. A quibus deportatus in Ægyptum, quum magi-
cas ibi artes solerti ingenio percepisset, brevi ipsi regi
8 percarus fuit. Nam et prodigiorum sagacissimus erat,
et somniorum primus intelligentiam condidit; nihil-
que divini juris humanique ei incognitum videbatur:
9 adeo ut etiam sterilitatem agrorum ante multos annos
providerit; perissetque omnis Ægyptus fame, nisi
monitu ejus rex edicto servari per multos annos fru-
10 ges jussisset: tantaque experimenta ejus fuerunt, ut
non ab homine, sed a Deo responsa dari viderentur.
11 Filius ejus Moses fuit, quem præter paternæ scientiæ
hereditatem, etiam formæ pulchritudo commendabat.
12 Sed Ægyptii, quum scabiem et vitiliginem paterentur,
responso moniti, eum cum ægris, ne pestis ad plures
13 serperet, terminis Ægypti pellunt. Dux igitur exsulum
factus, sacra Ægyptiorum furto abstulit: quæ repe-
tentes armis Ægyptii, domum redire tempestatibus
14 compulsi sunt. Itaque Moses, Damascena antiqua pa-
tria repetita, montem Sinæ occupat: quo, septem die-
rum jejunio, per deserta Arabiæ cum populo suo
fatigatus, quum tandem venisset, septimum diem,

11. *Filius*. Falso, quum *Mosis* pater fuerit *Amram*, avus *Kahat*, proavus *Levi*, qui Josephi frater fuit. — *Paternæ scientiæ*. Mosen inter Magos numerat et Apuleius in Apol. Sed Strabo lib. XVI, pag. 524, Mosen non tam fuisse Magum dicit, quam oraculis deditum, quales Minos, Lycurgus, aliique. Alexander vero Milesius, qui Syllæ temporibus floruit, docet apud Suidam, Hebræam mulierem, *Moso* cognomine, legem Hebræorum scripsisse, depravato nomine et sexu. ED. — *Formæ pulchritudo*. Exod. 2, 2; Act. 7, 20.

12. *Scabiem et vitiliginem*. Fama depravata, inde, ut videtur, orta, quod in sequente tempore Judæi scabie laborabant. Tu confer Mosen Exod. 3 seqq. — *Vitiliginem*. Edd. 4 ant. *pruriginem*; Ven., Ald. et Junt. *porriginem*.

13. *Tempestatibus*. Ægyptiorum cladem in Erythræo mari connotat, ubi universus Pharaonis exercitus cum ipso rege periit. ED.

14. *Repetita*. §. 1, non Damascum Syriæ petiit, sed per Arabiæ desertum petiit terram Cananitarum, sive Palæstinam. — *Jejunio sacravit*. Unum tantum diem anni Moses jejunio sacrat, Lev. 23, 26, cui postea alii dies accessere, Zach. 7, 19. Rectius Tacitus narrat Hist. V, 4, 4.

more gentis Sabbatum appellatum, in omne ævum jejunio sacravit; quoniam illa dies famem illis errorem-
que finierat. Et quoniam metu contagionis pulsos se 15
ab Ægypto meminerant, ne eadem caussa invisi apud incolas forent, caveruut, ne cum peregrinis communicarent : quod ex caussa factum paullatim in disci-
plinam religionemque convertit. Post Mosen etiam 16
filius ejus Aruas, sacerdos sacris Ægyptiis, mox rex creatur; semperque exinde hic mos apud Judæos fuit, ut eosdem reges et sacerdotes haberent : quorum justitia religione permixta, incredibile quantum coaluere.

III. Opes genti ex vectigalibus opobalsami crevere, 1
quod in his tantum regionibus gignitur. Est namque 2

15. *Ne... communicarent.* Quod non hanc ob caussam Moses sanxit, sed ne gentium superstitionibus imbuerentur. Hinc ipsi se popnlum Dei jactabant, cæteras gentes abominantes, tamquam profanas, Deoque suo Jehovæ abominabiles. Hinc ipsorum odium bostile adversus omnes alios, sive *odium humani generis*, ut ait Tacit. Hist. V, 5, 2, et Ann. XV, 44, 6; coll. Juvenal. XIV, 96-106; Diod. XXXIV, 2, pag. 98 et 99, ed. Bip. et lib. XL, pag. 217.

16. *Filius ejus.* Non filius, sed *frater Aron*, Exod. 4, 14. — *Sacerdos.* Pontifex maximns, non rex, certe non nomine, quamquam ut fit in ejusmodi sacerdotibus, sæpius majore, quam regia, potestate. Conf. supra XVIII, 4, 5, apud. Virgil. Æn. III, 80, in Delo insula rex Anius, rex idem *hominum Phœbique sacerdos.* — *Coaluere.* Aut potius *convaluere*, ut conjecit Freinsh. Conf. ind. in hac voce. Rem ipsam tamen admodum vage Noster narrat. Nam a Josua inde ad Saulum Judiees et Pontifiees maximi non iidem fuerunt : diversi quoque fuerunt reges a Pontificibus maximis : anno demum Urbis 587 a Syris deficientes, habuerunt eosdem duces belli et pontifices maximos; ut antea sub Persis a Nehemiæ inde morte, A. U. 343. Vere contra apud Joseph. Antiq. XIII, 19, Aristobulus A. U. 648 primus conjunxit principatum cum pontificatu maximo, diadema sibi imponens.

III. 1. *Opobalsami.* Gen. 37, 25; 43, 11, Canaan reperimus; hodie non nisi in Arabia Petræa. — Origen. VII : *Balsami arbor in Judæa intra terminos tantum viginti jugerum erat : postquam eandem regionem Romoni potiti sunt, etiam latissimis collibus propagata est, stirpe similis viti, foliis similis rutæ, sed albidioribus, semperque manentibus. Balsamum* autem proprie de arbore, *opobalsamum* vero (quasi ὀπὸς τοῦ βαλσάμου sicut ὀποπάναξ est ὀπὸς τοῦ πάνακος) de succo, *xylobalsamum* denique de ligno dicitur. Justinns tamen in-

vallis, quæ continuis montibus, velut muro quodam, ad instar castrorum clauditur. Spatium loci ducenta
3 jugera, nomine Hierichus dicitur. In ea valle sylva est, et ubertate et amœnitate insignis; siquidem pal-
4 meto et opobalsameto distinguitur. Arbores opobalsami formam similem piceis arboribus habent, nisi quod sunt humiles magis, et in vinearum morem excoluntur. Hæ certo anni tempore balsamum sudant.
5 Sed non minor loci ejus apricitatis, quam ubertatis, admiratio est; quippe quum toto orbe regionis ejus ardentissimus sol sit, ibi tepidi aeris naturalis quædam
6 ac perpetua apricitas inest. In ea regione lacus est Asphaltites, qui propter magnitudinem et aquæ im-
7 mobilitatem, Mortuum Mare dicitur. Nam neque ventis movetur, resistente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnatur; neque navigationis patiens est, quoniam omnia vita carentia in profundum merguntur; nec materiam ullam sustinet, nisi quæ alumine
8 illinatur. Primum Xerxes, rex Persarum, Judæos domuit: postea cum ipsis Persis in ditionem Alexandri Magni venere, diuque in potestate Macedonici imperii
9 subjecti Syriæ regno fuere. A Demetrio quum desci-

versa vice, contra usum auctorum, *opobalsamum* pro arbore posuit, *balsamum* pro lacryma seu succo arboris. ED

2. *Hierichus. Jericho*, ut habet editio Coloniensis.

4. *Piceis.* Editio Rom. *puniceis.*

5. *Apricitatis.* Quod Salmasius ad Solinum pag. 990 docet, non omnis locus soli expositus, sed is demum, ex latine loquentium usu dicitur *apricus*, qui soli orienti, tepido, non immodico pateat. ED.

6. *Lacus est Asphaltites.* Conf. Cellarii Geogr. Ant. vol. II, pag. 484, et Busching. Geogr. Palæstinæ. Dicitur etiam lacus *Genezareth*, sive *mare Tiberiados* in Novi Testamenti libris.

7. *Illinatur.* Editio Ven., Ald., Junt. et margo Colon. *illutatur*, quod et illæ dare voluerunt, quæ habent *illustratur*.

8. *Primum.* Quodquidem recte se habet sequente *postea*, ut non sit, cur ex Med., Ven. et Ald. præferas cum Grævio *primus*. Rem ipsam et hic falsissime narrat. Nam regnum Israeliticum ab Assyriis dissolutum est jam A. U. 33; Judaicum A. U. 173 a Babyloniis: quorum imperio ad Persas translato, Cyrus exsilium

vissent, amicitia Romanorum petita, primi omnium ex Orientalibus libertatem receperunt, facile tunc Romanis de alieno largientibus.

IV. Per eadem tempora quibus in Syria regni mu- 1
tatio inter novos reges alternabatur, in Asia rex Attalus
florentissimum ab Eumene patruo acceptum regnum,
cædibus amicorum, et cognatorum suppliciis fœda-
bat, nunc matrem anum, nunc Berenicen sponsam
maleficiis eorum necatas confingens. Post hanc sce- 2
lestam violentiæ rabiem, squalidam vestem sumit;
barbam capillumque in modum reorum submittit;
non in publicum prodire, non populo se ostendere,
non domi lætiora convivia inire, aut aliquod signum
sani hominis habere, prorsus ut pœnas pendere ma-
nibus interfectorum videretur. Omissa deinde regni 3
administratione, hortos fodiebat, gramina seminabat,
et noxia innoxiis permiscebat, eaque omnia veneni
succo infecta, velut peculiare munus, amicis mittebat.
Ab hoc studio, ærariæ artis fabricæ se tradit, cerisque 4
fingendis, et ære fundendo procudendoque oblecta-

Babylonicum finiit A. U. 223; habueruntque Judæi a Cyro usque ad Alexandrum anno Urbis 223-422 præfectos 12 (vid. *meine Hist. Tabellen* pag. 212) e sua gente lectos, Persarum tamen imperio subditos. — *Syriæ regno.* Ita tamen, ut sæpius, inprimis per annos 534-580 Ægyptii de hujus terræ, ut Cœle-Syriæ et Phœnices, imperio cum Syris certarent.

9. *Amicitia... petita.* Respice not. ad cap. 1, 10. Nam jam an. 587 Judas Machabæus, societate cum Romanis inita, nummos cudendos curat. Hac de re autem conf. Joseph. XII, 17; XIII, 17; XIV, 16.

IV. 1. *Quibus in Syria... alternabatur.* Dum fiunt in Syria regnorum mutationes, novis regibus alios pellentibus. ED. — De re autem respice cap. 1, 8. — *Ab Eumene... acceptum regnum.* Per annos 596-616 administratum. Hic autem est Attalus II, qui Eumeni successit non patruo, sed *fratri.* Huic demum successit, quem hic Noster innuit, Attalus III, Philometor, Eumenis illius filius, ergo Attalo II patruo succedens, et regnans 616-621. De hujus fœda crudelitate adi Diod. XXXIV, 10.

2. *In modum reorum.* Confer Cic. Verr. II, 8; Liv. VI, 16, 4, cap. 20, 1; XLIV, 19, 5; Valer. Max. VI, 4, 4; Sueton. Ner 47, 6; Plin. Epist. VII, 27; Gell. III, 4.

5 batur. Matri deinde sepulcrum facere instituit : cui operi intentus, morbum ex solis fervore contraxit, et septima die decessit. Hujus testamento heres populus
6 Romanus tunc instituitur. Sed erat ex Eumene Aristonicus, non justo matrimonio, sed ex pellice Ephesia, citharistæ cujusdam filia, genitus, qui post mortem
7 Attali, velut paternum regnum, Asiam invasit. Quum multa secunda prælia adversus civitates, quæ metu Romanorum tradere se ei nolebant, fecisset, justusque rex jam videretur, Asia Licinio Crasso consuli decer-
8 nitur : qui intentior Attalicæ prædæ, quam bello, quum extremo anni tempore inordinata acie prælium conseruisset, victus pœnas inconsultæ avaritiæ san-
9 guine dedit. In hujus locum missus Perpenna consul, prima congressione Aristonicum superatum in potestatem suam redegit; Attalicasque gazas, hereditarias populi Romani, navibus impositas, Romam
10 deportavit. Quod ægre ferens successor ejus M.

5. *Heres populus Romanus.* Vide Liv. Ep. et Suppl. LVIII; Vell. II, 1, 4; August. Civ. XIII, 2; Orosium V, 8, aliosque. Idem factum a Nicomede, Bithyniæ rege tradit Epitome Livii XCIII : et ab Appione rege Cyrenæ Appianus Mithridat. in fine; ipseque Justinus noster XXXIX, 5, 2; Livius Epitome LXX, 2 : itemque ab Archelao Cappadociæ, et Pylæmene Paphlagoniæ regibus Jornandes Success. Regnor. cap. 55. Cæterum in adeunda hac Attali hereditate, Romanos doli mali accusat Mithridates apud Sallust. Histor. IV, et Horatius carm. II, od. 18 :

... neque Attali
Ignotus heres regiam occupavi. ED.

— Anno Urbis conditæ 621.

6. *Aristonicus.* De bello Aristonici præter Livianam Epitomen LIX; Florum II, 20; Velleium II, 4, lege Strabonem lib. XIV, pag. 444 fin. Licinius Crassus, qui a Nostro *consul* dicitur, Floro est *prætor*, Patercolo *proconsul;* qui eum juris scientissimum vocat. A nostro auctore sunt Livius, Orosius, M. Cicer. Philipp. XI, 8. ED.

7. *Licinio Crasso.* Muciano cos. an. 622 cum L. Valerio Flacco (vid. Freinsh. Suppl. Liv. LIX, 29 et 48-50). Confer Flor. II, 20; Vell. II, 4.

9. *Perpenna.* Sive Perperna, cos. 623; cum M. Claudio Pulchro, Freinsh. LIX, 48. Confer Valer. Max. III, 4, 5; Plin. XIII, 3. — Anno Urbis 623.

10. *Consul.* Anno 624 cum C. Sempronio Tuditano.

Aquilius consul, ad eripiendum Aristonicum Perpennæ, veluti sui potius triumphi munus esse deberet, festinata velocitate contendit. Sed conten- 11
tionem consulum mors Perpennæ diremit. Sic Asia 12
Romanorum facta cum opibus suis vitia quoque Romam transmisit.

12. *Asia.* Asiæ minoris pars minima, Pergamus. De re conf. Flor. III, 12, 7 : *Syria prima nos victu corrupit : mox Asiatica Pergameni regis hereditas. Illæ opes atque divitiæ adflixere sæculi mores; mersamque vitiis suis, quasi sentina, rempublicam pessum dedere.* Liv. XXXIX, 6, 5-9; Sallust. Cat. 6; Nostrum supra II, 14, 6; XXXI, 8, 9; coll. Valer. Maxim. II, 6, 1 : *Spartana civitas severissimis Lycurgi legibus obtemperans, aliquandiu civium suorum oculos a contemplanda Asia retraxit; ne illecebris ejus capti, ad delicatius vitæ genus prolaberentur. Quod eos non frustra timuisse dux ipsorum Pausanias patefecit : qui maximis operibus editis, ut primum se Asiæ moribus permisit, fortitudinem suam effeminato ejus cultu mollire non erubuit.* ED. — Conf. etiam jam sæpius laudatum *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains, chap. X : « La grandeur de l'état fit la grandeur des fortunes particulières. Mais comme l'opulence est dans les mœurs, et non pas dans les richesses, celles des Romains, qui ne laissaien pas d'avoir des bornes, produisirent un luxe et des profusions qui n'en avaient pas. Ceux qui avaient été d'abord corrompus par leurs richesses, le furent ensuite par leur pauvreté. Avec des biens au-dessus d'une condition privée, il fut difficile d'être bon citoyen : avec les désirs et les regrets d'une grande fortune ruinée, on fut prêt à tous les attentats; et comme dit Salluste, on vit une génération de gens qui ne pouvaient avoir de patrimoine, ni souffrir que d'autres en eussent. »* ED.

LIBER XXXVII.

1 I. Capto Aristonico, Massilienses pro Phocæensibus
conditoribus suis, quorum urbem senatus et omne
nomen, quod et tunc, et antea Antiochi bello, infesta
contra populum Romanum arma tulerant, deleri jus-
serat, legatos Romam deprecatum misere, veniamque
2 his a senatu obtinuere. Post hæc regibus, qui adversus
Aristonicum auxilia tulerant, præmia persoluta : Mi-
thridati Pontico Phrygia major; filiis Ariarathis, regis
Cappadociæ, qui eodem bello occiderat, Lycaonia et
3 Cilicia datæ; fideliorque populus Romanus in socii
filios, quam mater in liberos fuit : quippe hinc par-
4 vulis auctum regnum, inde vita adenita. Namque Lao-
dice ex numero sex filiorum, quos virilis sexus ex
Ariarathe rege susceperat, timens, ne non diutina
regni administratione, adultis quibusdam, potiretur,
5 quinque parricidiali veneno necavit : unum parvulum
sceleri matris cognatorum custodia eripuit; qui post
necem Laodices (nam propter crudelitatem eam po-
6 pulus exstinxerat) solus regno potitus est. Mithridates

I. 1. *Massilienses... suis.* Vide infra XLIII, 3, 4. Scripsi autem hic ut illic cum Gron. avo *Phocæensibus* pro *Phocensibus*, qui sunt incolæ Phocidis, quæ est Bœotiæ vicina in Græcia, quum Phocæenses dicti sint a Phocæa, Asiæ minoris urbe in Ionia. — *Antiochi bello.* De quo supra XXXI, 3-8. — *Tulerant.* Unus cod. *sumserant*, ut II, 4, 4. — Anno Urbis conditæ 624.

2. *Phrygia major.* Non hoc demum an 624 huic donata, sed jam an. 597. Conf XXXVIII, 5, 3. — *Ariarathis* XXXV, 1. — A. U. 623.

3. *Hinc.* A Romanis; *inde*, a matre.

4. *Diutina regni administratione.* Ablat. pro accus. recepi ex Med., Ven., Col., Ald., Par., Bong. et aliquot codicibus.

6. *Mithridates quoque.* Dictus *Evergetes*, Strab. X. ED.

quoque repentina morte interceptus, filium, qui et
ipse Mithridates dictus est, reliquit. Cujus ea postea 7
magnitudo fuit, ut non sui tantum temporis, verum
etiam superioris ætatis omnes reges majestate superaverit, bellaque cum Romanis per XLVI annos varia
victoria gesserit: quum eum summi imperatores, Sulla, 8
Lucullus, cæterique, in summa Cnæus Pompeius, ita
vicerint, ut major clariorque in restaurando bello
resurgeret, damnisque suis terribilior redderetur.
Denique ad postremum, non vi hostili, sed voluntaria 9
morte, in avito regno, senex, herede filio, decessit.

II. Hujus futuram magnitudinem etiam cælestia 1
ostenta prædixerant. Nam et eo quo genitus est 2
anno, et e quo regnare primum cœpit, stella cometes
per utrumque tempus septuaginta diebus ita luxit, ut
cælum omne flagrare videretur. Nam et magnitudine 3
sui quartam partem cæli occupaverat, et fulgore sui

7. *Annos sex et quadraginta.* Exstinctus quum sit morte voluntaria an. 690, initium Noster ponit anno 645. — Anno Urbis 629.

8. *Sulla.* Per annos 666-670. — *Lucullus.* Per an. 680-686, cui successit Cn. Pompeius, de quo adi argumentum Ciceronis orationi pro lege Manilia a me præmissum. — *Ut... redderetur.* Respice XXXI, 5, 5. — Confer etiam, *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains, chap. VII:* ubi Mithridates dicitur « *un roi magnanime qui, dans les adversités, tel qu'un lion qui regarde ses blessures, n'en est que plus indigné.* » Conferetiam Horat. carm. IV, od. 4, ubi prisca illa Roma,

Duris ut ilex tonsa bipennibus,
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna per cædes, ab ipso
Ducit opes, animumque ferro.

Et ut etiam ait Claudianus de laudibus Stiliconis III, vers. 144:

Nunquam succubuit damnis, et territa nullo
Vulnere, post Cannas majorTrebiamque fremebat.

Sic passim apud poetas. ED.

9. *Vi hostili. Victus* addunt Med., Ven., Col. et Bong. non bene. — *Senex.* Natus A. U. 618, decessit an. 690, annum agens 73. Vid. infra ad XXXVIII, 8, 1. — A.U. 691.

II. 2. *Septuaginta.* Ald. *septem.* Confer Plin. II, 25. — *Flagrare.* Edd. 6, antiq. *conflagrare.*

3. *Quartam partem cæli.* Scilicet 45 gradus. Similis cometa anno ante natum Christum 372, quem Aristoteles Meteor. I, 6, *magnum cometam* appellat, et splendorem caudæ ad tertiam usque cæli partem, id est, ad gradus 60 extendisse perhibet: Diodorus quoque XV, 50, lumen æmulum lunæ prætulisse. ED. — *Occumberetque.* Unus codex habet *occideret.*

solis nitorem vicerat; et quum oriretur occumberet-
4 que, quatuor spatium horarum consumebat. Puer
tutorum insidias passus est, qui eum fero equo impo-
5 situm equitare jaculari que cogebant : qui conatus
quum eos fefellissent, supra ætatem regente equum
6 Mithridate, veneno eum adpetivere. Quod metuens,
antidota sæpius bibit, et ita se adversus insidias ex-
quisitioribus remediis stagnavit, ut ne volens quidem
7 senex veneno mori potuerit. Timens deinde, ne ini-
mici, quod veneno non potuerant, ferro peragerent,
venandi studium finxit : quo per septem annos neque
8 urbis, neque ruris tecto usus est : sed per sylvas va-
gatus, diversis montium regionibus pernoctabat, ig-
naris omnibus, quibus esset locis; adsuetus feras cursu
aut fugere, aut persequi, cum quibusdam etiam viri-
9 bus congredi. Quibus rebus, et insidias vitavit, et
corpus ad omnem patientiam duravit.
1 III. Ad regni deinde administrationem quum acces-

4. *Fero equo. Ferus* aliquando adjective, nonnunquam substantive ponitur, ut apud Virg. II, v. 51, et multos alios scriptores : ita ut Berneccerus sequentem *equo* glossema existimet. ED.

6. *Quod metuens... se adversus insidias* etc. Martial. Epigr. V:

Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæva nocere sibi.

Plin. Hist. Nat. XXV, 3 : *Uni ei excogitatum quotidie venenum bibere, præsumptis remediis, ut consuetudine ipsa innoxium fieret. Primo inventa genera antidoti, ex quibus unum etiam nomen ejus retinet.* Quod et testantur Celsus lib. V, cap. 23; Gellius XVII, 16, et alii. Conferendus est etiam *Racine, Mithridate, act. IV, sc.* 5 :

Quoi! des plus chères mains craignant les trahisons,
J'ai pris soin de m'armer contre tous les poisons :
J'ai su, par une longue et pénible industrie,
Des plus mortels venins prévenir la furie. ED.

— *Stagnavit.* Stagnari dici potest aqua, sanguis et liquor, quum quasi stagnum fit. Sed stagnari homo contra venenum pro *muniri* absurde dicitur. Hinc adsentior Gronovio avo, legenti *stannavit*, h. e. obmuniit, pectus quasi obduxit contra veneni vim. — *Ne volens quidem... veneno mori potuerit.* Confer *Racine, Mithridate, act. V, sc.* 4 :

Vain secours, a-t-il dit, *que j'ai trop combattu!*
Contre tous les poisons soigneux de me défendre,
J'ai perdu tout le fuit que j'en pouvais attendre. ED.

8. *Fugere. Fugare* Col. et Bong. male,

sisset, statim non de regendo, sed de augendo regno
cogitavit. Itaque Scythas, invictos antea, qui Zopy- 2
riona, Alexandri Magni ducem, cum triginta millibus
armatorum deleverant, qui Cyrum, Persarum regem,
cum ducentis millibus trucidaverant, qui Philippum,
Macedonum regem, fugaverant, ingenti felicitate per-
domuit. Auctus igitur viribus Pontum quoque, ac 3
deinceps Cappadociam occupavit. Quum de Asia trac- 4
taret, tacitus quum quibusdam amicis regno profec-
tus, universam, nemine sciente, pervagatus est; om-
niumque urbium situm ac regiones cognovit. Inde 5
Bithyniam transcendit, et quasi dominus Asiæ, op-
portuna quæque victoriæ suæ metatus est. Post hæc 6
in regnum, quum jam perisse crederetur, reversus
est, invento parvulo filio, quem per absentiam ejus
Laodice soror uxorque enixa fuerat. Sed inter gratu- 7
lationem adventus sui, et filii geniti, veneno pericli-
tatus est: siquidem Laodice soror, quum perisse eum
crederet, in concubitus amicorum projecta, quasi
admissum facinus majore scelere tegere posset, vene-
num advenienti paravit. Quod quum ex ancilla Mi- 8
thridates cognovisset, facinus in auctores vindicavit.

IV. Hyeme deinde adpetente, non in convivio, sed 1
in campo; non in vacationibus, sed in exercitationi-

quum non diversum sit a *persequi*.

III. 2. *Scythas*. Respice II, 3, 1-5; XII, 2, 15. — *Fugaverant*. Non Scythæ, sed Triballi. Conf. IX, 3, 1; ubi cap. 2, 14, Scythas Philippi dolo victos refert. — *Perdomuit*. Scilicet Scythicas Sarmaticasque gentes supra Pontum Euxinum late incolentes.

3. *Pontum*. Quomodo Pontum, quem habebat? cap. 1, 2. — *Cappadociam*. A. U. 662, pulso Ariobarzane rege.

4. *Regno*. Edd. sex ant. addunt *a regno*, unde corrigit *e* Græv.

5. *Bithyniam*. De cujus possessione, Nicomede Prusiæ filio (XXXIV, 4, 4) mortuo, certabant filii Nicomedes et Socrates, quorum hunc fratrem minorem tuitus est Mithridates anno 662.

7. *Tegere*. Editio Flor. *delere*, XXXII, 3, 6.

IV. 1. *Adpetente*. Edd. quinque antiq. *imminente*, gravius quam pro re: et quod unus cod. habet; *ad-*

bus; nec inter sodales, sed inter æquales, aut equo,
2 aut cursu, aut viribus contendebat. Exercitum quoque suum ad parem laboris patientiam quotidiana exercitatione durabat : atque ita invictus ipse inexpugna-
3 bilem exercitum fecerat. Inita deinde cum Nicomede societate, Paphlagoniam invadit, victamque cum socio
4 dividit. Quam quum teneri a regibus senatui nuntiatum esset, legatos ad utrumque misit, « qui gentem
5 restitui in pristinum statum » juberent. Mithridates, quum se jam parem magnitudini Romanorum crederet, superbo responso, « hereditarium patri suo regnum obvenisse, » respondit : « mirarique se, quod, quæ
6 ei relata controversia non fuerit, sibi referatur. » Nec
7 territus minis, Galatiam quoque occupat. Nicomedes,

veniente, est illins glossa. — *Vacationibus*. Nempe vacationibns munerum militarium : nec est cur cum quibusdam conjicias *vocationibus*, *advocationibus*, *avocationibus*. ED. — *Non in convivio... contendebat*. *Illa*, inquit Marius apud Sallustium Hist. 85, *optima reipublicæ doctus sum; hostis ferire, præsidia agitare, nihil metuere, nisi turpem famam, hyemem et æstatem juxta pati, humi requiescere, eodem tempore inopiam et laborem tolerare*. Couf. etiam Sallust. de Pompeio : *equitare, jaculari, cursu cum æqualibus certare*. Videndus insuper *Montesquieu, Grand. et Décad. des Rom., chap. II* : « *Ceux qui critiquent Homère de ce qu'il relève ordinairement dans ses héros la force, l'adresse ou l'agilité du corps, devraient trouver Salluste bien ridicule, qui loue Pompée de ce qu'il courait, sautait, et portait un fardeau aussi bien qu'homme de son temps*. ED. — *Sodales*. Quibuscum celebrantur convivia. — *Æquales*. Bong mavult *coæquales* ut supra de Hierone : *eidem, in ludo inter coæquales discenti lupus... tabulam eripuit*. *Æquales* sunt hic exercitationum participes. ED.

2. *Durabat*. Unus codex habet *indurabat*, ut legimns XXXVIII, 10, 1. — Quod quidem ipsi factitabant Romani duces quibuscum congressurus erat Mithridates : « ... *Marius, pour battre les Cimbres et les Teutons, commence à détourner des fleuves : et Sylla fait si bien travailler les soldats de son armée effrayée de la guerre contre Mithridate, qu'ils lui demandèrent le combat comme la fin de leurs peines.* » *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains, chap. II*. ED.

3. *Nicomede*. Bithyniæ rege cap. 3, 5. Contrarium tamen refert Appianus, qui Nicomedem ab hoc fugatum tradit, et, hoc victo, Pylæmenem Paphlagonia pulsum an. 665.

5. *Quæ ei*. Ita bene Bong., Glar., Med., Paris., Ven., Col.; cæteræ explicant *quum ei*.

6. *Galatiam... occupat*. Occisis, qui ad sexaginta Pergami convenerant, Galatiæ regulis una cum uxoribus ac liberis, ut tres tantum fuga ser-

quoniam se tueri jure non potuerat, « justo regi redditurum » respondit. Atque ita filium suum, mutato 8
nomine, Pylæmenem Paphlagonum regum nomine appellat, et quasi stirpi regiæ reddidisset regnum, falso nomine tenet. Sic ludibrio habiti legati Romam revertuntur.

varentur anno Urbis conditæ 667. Plutarch. de Virtute mulierum, cap. 44, et Appiau. Confer supra XXV, 2, 11.

8. *Pylæmenem*. Hoc nomen in *Philæmenem, Philamenem, Philomenem* corruptum ex aliis scriptoribus (in his Hom. Il. II, 851) sic recte restituerunt Glareanus et Reinesius. De re conf. infra XLI, 5, 6 et 8, ubi *Parthorum* Arsaces, *Romanorum* Augusti et Cæsares; Plin. VI, 35, coll. Act. 8, 27, ubi *Æthiopum* Caudace regina; Liv. I, 3, 7, ubi Sylvius *Albanorum;* Curt. VIII, 12, 14, ubi Taxiles *Indorum*.

LIBER XXXVIII.

1 I. MITHRIDATES, parricidia a nece uxoris auspicatus,
sororis alterius Laodices filios, cujus virum Ariarathem, regem Cappadociæ, per Gordium insidiis occiderat, tollendos statuit, nihil actum morte patris existimans, si adolescentes paternum regnum, cujus
2 ille cupiditate flagrabat, occupassent. Igitur dum in his cogitationibus versatur, interim Nicomedes, rex Bithyniæ, vacuam morte regis Cappadociam invadit.
3 Quod quum nuntiatum Mithridati fuisset, per simulationem pietatis auxilia sorori ad expellendum Cap-
4 padocia Nicomedem mittit. Sed jam Laodice per pac-
5 tionem se Nicomedi in matrimonium tradiderat. Quod ægre ferens Mithridates, præsidia Nicomedis Cappadocia expellit, regnumque sororis filio restituit: egre-
6 gium prorsus factum, ni subsequuta fraus esset: siquidem, interjectis mensibus, simulat, se Gordium, quo ministro usus in Ariarathe interficiendo fuerat, restituere in patriam velle, sperans, si obsisteret adolescens, caussas belli futuras: aut, si permitteret, per eundem filium tolli posse, per quem interfecerat
7 patrem. Quod ubi Ariarathes junior moliri cognovit,

I. 1. *Parricidia.* At justa XXXVII, 3, 6-8. — *Laodices.* Quam distingue ab illa, quæ supra periit XXXVII, 1, 4, 5, quæ est in indice posita quarta, quum hæc sit quinta.

3. *Per simulationem pietatis.* Simulans fraternum in sororem amorem. — *Expellendum* Editiones quinque antiquæ habent *pellendum*, bene.

7. *Moliri.* Supple *eum* (Mithridatem). Si enim cum Gronovio avo corrigis *quem* pro *quod*, supplendum est *id*. Hinc conjecit Schefferus : *quem id ubi.* — *Graviter.* Editiones sex antiquæ *indigne*, quod quidem aptius videtur.

graviter ferens interfectorem patris per avunculum potissimum ab exsilio revocari, ingentem exercitum contrahit. Igitur quum in aciem eduxisset Mithridates 8
peditum octoginta millia, equitum decem millia, currus falcatos DC; nec Ariarathi, auxiliantibus finitimis regibus, minores copiæ essent, incertum belli timens, consilia ad insidias transfert; solicitatoque juvene ad 9
colloquium, quum ferrum occultatum inter fascias gereret, scrutatori ab Ariarathe regio more misso, curiosius imum ventrem pertractanti, ait, « caveret, ne aliud telum inveniret, quam quæreret. » Atque ita 10
risu protectis insidiis, sevocatum ab amicis, velut ad secretum sermonem, inspectante utroque exercitu, interficit, regnum Cappadociæ octo annorum filio, imposito Ariarathis nomine, additoque ei rectore Gordio, tradidit.

II. Sed Cappadoces, crudelitate ac libidine præfec- 1
torum vexati, a Mithridate deficiunt; fratremque regis, et ipsum Ariarathem nomine, ab Asia, ubi educabatur, revocant. Cum quo Mithridates prælium renovat; 2
victumque Cappadociæ regno expellit. Nec multo post adolescens, ex ægritudine collecta infirmitate, decedit. Post hujus mortem Nicomedes timens, ne Mi- 3
thridates accessione Cappadociæ etiam Bithyniam

8. *Incertum*. Ut Liv. XXX, 30, 12, *incerta casuum*; Tacit. Hist. I, 26, 2, *incertu noctis*, coll. de re Cic. ad Att. VII, 7 extr.; Liv. XXX, 30, 20; *Hæ sunt dubiæ Martis incerti vices* apud Senec. Theb. 626.

9. *Telum*. Quod quidem *telum* honeste nominari non potest. Nec aliter Græci ὅπλον, κέντρον στόρθυγξ. Hinc jocus apud Quintilianum VI, 3, 31. ED.

10. *Sevocatum*. Seorsim vocatum, ut Cic. Phil. II, 14: minus aptum est *evocatum*, quod habent Med., Paris., Bong. et margo Col. — *Ab amicis*. A latere amicorum quum Mithridates eum sevocasset. Numerum infra additum habes ex Freinsh. suppl. Liv. LXX, 44. — A. U. 661.

II. 3. *Accessione Cappadociæ*. Gronovius avus mavult *velut accessionem*, hoc scilicet sensu: Bithyniam faceret tamquam additamentum Cappadociæ.

finitimam invaderet, subornat puerum eximiæ pul-
chritudinis, quasi Ariarathes tres, non duos filios
genuisset, qui a senatu Romano paternum regnum
4 peteret. Uxorem quoque Laodicen Romam mittit, ad
testimonium trium ex Ariarathe susceptorum filiorum.
5 Quod ubi Mithridates cognovit, et ipse pari impuden-
tia Gordium Romam mittit, qui senatui adsereret,
« puerum, cui Cappadociæ regnum tradiderat, ex eo
Ariarathe genitum, qui bello Aristonici auxilia Ro-
6 manis ferens cecidisset. » Sed senatus, studio regum
intellecto, aliena regna falsis nominibus furantium, et
Mithridati Cappadociam, et Nicomedi, ad solatium
7 ejus, Paphlagoniam ademit. Ac ne contumelia regum
foret ademtum illis, quod daretur aliis, uterque po-
8 pulus libertate donatus est. Sed Cappadoces munus
libertatis abnuentes, negant « vivere gentem sine rege
posse. » Atque ita rex illis a senatu Ariobarzanes con-
stituitur.

1 III. Erat eo tempore Tigranes, rex Armeniæ, obses
Parthis ante multum temporis datus, sed olim ab iis-
dem in regnum paternum remissus. Hunc Mithridates
inire ad societatem Romani belli, quod olim medita-

4. *Uxorem*. Vide supra cap. 1, 4.

5. *Adsereret*. Dedi ex Med., Par., Ven., Ald., Bong., Col., postulante latinitate Nostri, apud quem imperfect. conj. sequi solet præsens. Græviua contra ex MSS. Bongars. dedit *adsereret*, nt liberet scriptorem sunm a posterioria latinitatis vitio, cui *adserere* sit adfirmare. At quod in Tacito (vid. ind. in Tacit.) ferimus, idem in Justino non feremus? — *Ex eo... accidisset*. Respice XXXVII, 1, 2; ergo circa an. 623. At hic manifesto ipse se confnndit optimus auctor, deceptus nomine Laodices. Illam enim Laodicen quum XXXVII, 1, 5, a populo exstinctam esse retulerit circa illud tempus, ergo circa A. U. 626, hic illam eandem Laodicen post mariti mortem Nicomedi nnptam (cap. 1, 4) mittit Romam an. 661.

7. *Ne contumelia regum... daretur aliis*. Ne reges injuriam sibi illatam crederent, si darentur aliis regna quæ illis ademta erant. ED.

8. *Gentem*. Verte : *leur nation*, non *une nation*. — Anno Urbia 661.

III. 1. *Multum temporis*. Edd. 7 antiq. *non multum temvus*.

batur, pellicere cupiebat. Nihil igitur de offensa Roma- 2
norum sentientem, per Gordium impellit, ut Ario-
barzani, segni admodum, bellum inferat : et ne quis
dolus subesse videretur, filiam suam ei Cleopatram in
matrimonium tradit. Primo igitur adventu Tigranis 3
Ariobarzanes, sublatis rebus suis, Romam contendit :
atque ita per Tigranem rursus Cappadocia juris esse
Mithridatis cœpit. Eodem tempore mortuo Nicomede, 4
etiam filius ejus et ipse Nicomedes regno a Mithridate
pellitur ; qui quum supplex Romam venisset, decer-
nitur in senatu, ut uterque in regnum restituantur :
in quod tum missi Aquilius et Manlius Maltinus le-
gati. His cognitis, Mithridates societatem cum Tigrane, 5
bellum adversus Romanos gesturus, jungit : pactique
inter se sunt, ut urbes agrique Mithridati, homines
vero et quæcunque auferri possent, Tigrani cederent.
Post hæc Mithridates intelligens, quantum bellum 6
suscitaret, legatos ad Cimbros, alios ad Gallo-Græcos
et Sarmatas, Bastarnasque, auxilium petitum mittit.
Nam omnes has gentes, Romanum meditabundus 7
bellum, variis beneficiorum muneribus jam ante il-
lexerat. Ab Scythia quoque exercitum venire jubet,

2. *Nihil.... sentientem.* Tigranem igitur de Romanis offendendis plane non cogitantem, etc.

3. — Anno Urbis 662.

4. *Regno.* Bithyniæ cap. 1, 2. — *In quod.* Melius duo codd. *in quam rem.* — *Manlius Maltinus.* Reinesius ex Vincentii Bellovacensis Spec. Hist. VI, 101, legi vult *M. Acilius*; Freinsh. in Liv. suppl. LXXIV, 11 ex Appiano *Manilius Mancinus.*

6. *Intelligens. Intellecto* Ald., Junt. et unus cod. non inepte ex Nostri ratione loquendi. — *Cimbros.* Freins. corrigit *Cimmerios.* Hæc autem quum anno fere 665 agantur (bellum enim civile an. 665 exortum commemorat, cap. 4, 14), Cimbri Mithridati non ignoti erant, quippe a Mario jam an. 651 et 652 cæsi ac fugati. — *Gallo-Græcos.* Curvis venales XXV, 2, 9-10; XXVII, 3, 5.

7. *Scythia.* Respice XXVII, 3, 1. — *Omnemque Orientem, etc.* De infensissimo illo Mithridatis adversus Romanos bello hanc sententiam profert *Cl. Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains, chap. VII* : « *Rien n'avait plus perdu la plupart des rois que le désir manifeste qu'ils témoignaient de la paix : ils avaient détourné par là tous les autres peuples de par-*

8 omnemque Orientem adversus Romanos armat. Non magno igitur labore Aquilium et Maltinum Asiano exercitu instructos vincit; quibus simul cum Nico-
9 mede pulsis, ingenti favore civitatum excipitur: multum ibi auri argentique, studio veterum regum, magnumque belli adparatum invenit: quibus instructus, debita civitatibus publica privataque remittit, et va-
10 cationem quinquennii concedit. Tunc ad concionem milites vocat, eosque variis exhortationibus ad Ro-
11 mana bella [sive Asiana] incitat. Quam orationem dignam duxi, cujus exemplum brevitati hujus operis insererem, quam obliquam Pompeius Trogus exposuit; quoniam in Livio et in Sallustio reprehendit, quod conciones directas pro sua oratione operi suo inserendo, historiæ modum excesserint.

1 IV. « Optandum sibi fuisse ait, ut de eo liceret consulere, bellumne sit cum Romanis, an pax habenda:

tager un péril, dont ils voulaient tant sortir eux-mêmes. Mais Mithridate fit d'abord sentir à toute la terre qu'il était l'ennemi des Romains, et qu'il le serait toujours. » ED.

8. *Asiano.* Ergo molli XXXI, 6, 9. — Anno Urbis 665.

9. *Vacationem.* Tributorum jussit esse cives immunes. Confer de re similia exempla apud Tacit. Ann. II, 56; Liv. XLV, 18.

11. *Directas.* Quales ipse Noster non sprevit XIV, 4, et XVIII, 7, 10. — Confer exordium epistolæ Mithridatis ad Arsacem regem apud Sallustium, Fragm. IV: *Omnes qui secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent, liceatne tum pacem agere; dein quod quæritur, satisne pium, tutum, gloriosum, an indecorum sit. Tibi si perpetua pace frui liceret, nisi hostes opportuni et sceleratissimi, nisi egregia fama si Romanos oppresseris futura est: neque petere audeam societatem, et frustra mala mea cum tuis bonis misceri sperem.* Vid. in nost. edit. p. 405 sq. Sic Pericles apud Thuc. II, 11, 7. ED.

IV. 1. *Optandum* etc. In hac oratione, quam, ut auctor ait cap. 3, 11, dedit *obliquam*, restitui semper conjunctivum pro indicativo, postulantibus hoc rei ratione et grammatices præceptis, ut §. 3 *agatur*; §. 9, 10; cap. 5, 6, 7 et 8; IX, cap. 6, 3; cap. 7, 2 et 8. — Quas quidem etiam Livii orationes, propter quod non usque mores virorum, quos loquentes inducit historicus, apte in iis exprimuntur, noster etiam carpit *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains, chap. V*, his verbis: « *Je regrette de voir Tite-Live jeter ses fleurs sur ces énormes colosses de l'Antiquité: je voudrais qu'il eût fait comme Homère, qui né-*

quin vero sit resistendum impugnantibus, nec eos quidem dubitare; qui spe victoriæ careant. Quippe adversus latronem, si nequeant pro salute, pro ultione tamen sua, omnes ferrum stringere. Cæterum 3
quia non id agatur, an liceat quiescere, non tantum animo hostiliter, sed etiam prælio congressis, consulendum, qua ratione ac spe cœpta bella sustineant. Esse autem sibi victoriæ fiduciam; si sit illis animus; 4
Romanosque vinci posse; cognitum non sibi magis quam ipsis militibus, qui et in Bithynia Aquilium, et Maltinum in Cappadocia fuderint. At si quem aliena 5
magis exempla, quam sua experimenta moveant, audire se, a Pyrrho, rege Epiri, non amplius quam quinque millibus Macedonum instructo, fusos tribus præliis Romanos. Audire, Hannibalem sexdecim annis 6
Italiæ victorem immoratum: et quin ipsam caperet urbem, non Romanorum illi vires obstitisse, sed domesticæ æmulationis atque invidiæ studium. Audire, 7
populos Transalpinæ Galliæ, Italiam ingressos, maxi-

glige de les parer, et qui sait si bien les faire mouvoir. Ed.

2. *Nec.* Non est, cur corrigas cum Gron. avo *ne*. Resolve enim illud in *etiam ne*, *et ne*: etiam ne ii quidem dubitant.

3. *Prælio congressis.* Duo codices habent *prælii congressu*, quod præfert Boxhornius: sensus autem hic est: quum non tantum hostes sint animis, sed etiam jam prælia cum iis dederint.

4. *Aquilium, et Maltinum.* Cap. 3, 8.

5. *Pyrrho.* Consule ind. de *Pyrrho*, Romanorum victore, ubi ex XVIII, 1, 6 et 11, duo prælia Nostro commemorata vides, quibus Pyrrhus Romanos luderit. Tertium igitur prælium, quo ab anni U. 478, consulibus M. Curio et L. Cornelio apud Beneventum, Samnii oppidum, cæsus in Peloponnesum rediit, orator rei exaggerandæ caussa addit.

6. *Hannibalem.* Adi Hannibalis vitam a Cornelio conscriptam, unde perspicis, Carthaginiensem illum, A. U. 535 Italiam, Alpibus superatis, ingressum, an. demum 550 a suis in patriam fuisse revocatum, hanc contra Scipionem defensurum. Confer Liv. XXX, 20.

7. *Galliæ.* Galli Italiam ingressi an. 167 (Liv. V, 33) in locis Transpadanis consedere; postremi omnium Gallorum Senones Romam capiunt, direptamque incendunt A. U. 365, supra VI, 6, 5. De sensu autem, occuparunt solum finium aliquanto latius (Galliam Cisalpinam), quam in Asia (Galatia, sive

mis eam plurimisque urbibus possidere; et latius aliquanto solum finium, quam in Asia, quæ dicatur
8 imbellis, eosdem Gallos occupasse: nec victam solum dici Romam a Gallis, sed etiam captam; ita ut unius illis montis tantum cacumen relinqueretur; nec bello
9 hostem, sed pretio remotum. Gallorum autem nomen, quod semper Romanos terruerit, in parte virium suarum ipsum numerare. Nam hos, qui Asiam incolunt, Gallos ab illis, qui Italiam occupaverint, sedibus tantum distare; originem quidem ac virtu-
10 tem, genusque pugnæ idem habere; tantoque his sagaciora esse, quam illis ingenia, quanto longiori ac difficiliori spatio per Illyricum Thraciamque prodierint, pæne operosius transitis illorum finibus, quam
11 ubi consederint, possessis. Jam ipsam Italiam audire se nunquam, ut Roma condita sit, satis illi pacatam, sed adsidue per omnes annos pro libertate alios, quosdam etiam pro jure imperii, bellis continuis persevera-

Gallo-Græcia XXV, 2, 11) iidem Galli (XXIV, 4, 2) occuparunt, hoc loco §. 9.

8. *Montis... cacumen*. Capitolium Liv. V, 43, 47 et 46. — *Pretio*. Liv. V, 48 et 49.

9. *Gallorum autem nomen*, etc. De re respice XXIV, 4, 5; in verbis ex lege ad §. 1 posita correxi *terruerit* pro *terruit*, et cum Grον. avo *parte ipsum numerare* pro *partem ipsi numerent*, quum sit constructio obliqua; nec latine dicatur *numerare in partem*, sed *in parte*, et quidem hoc loco *virium suarum*, id est, inter adsertores potentiæ suæ.

10. *Sagaciora*. Prudentiora. At quum hoc loco orator iter hujus gentis *longissimum*, *difficillimum* commemoret, ut pæne *operosius* transierit illorum (Illyriorum, Thracum, qui populi latent in Illyricum et Thraciam) fines, quam possederit (Græcorum in Asia fines), ubi consederit: non contemnenda est lectio codd. quorundam *acriora*, id est, pugnandi cupidiora, alacriora, fortiora. Vid. ind. in meum Horat.

11. *Jure*. Gron. avus ex aliquot codd. mavult *vice*, ut sit altera imperii et senatus et consulum pars, pro qua v. c. Latini an. 415 certarunt, quum, ut Flor. I, 14, 1, ait, *jus civitatis, partem imperii et magistratuum poscebant*; quorum dux apud Liv. VIII, 4, 4: *Cur non alter*, inquit, *a Latinis consul datur? ubi pars virium, ibi et imperii pars est*. Conf. hoc loco §. 13, *bellis continuis perseverasse*. Hac de re confer. *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains, chap. I*: « *Les Latins, les*

rasse; et a multis civitatibus Italiæ deletos Romano- 12
rum exercitus ferro, a quibusdam novo contumeliæ
more sub jugum missos. Ac ne veteribus immoretur 13
exemplis, hoc ipso tempore universam Italiam bello
Marsico consurrexisse, non jam libertatem, sed con-
sortium imperii civitatisque poscentem. Nec gravius 14
vicinæ Italiæ bello, quam domesticis principum fac-
tionibus urbem premi; multoque periculosius acces-
sisse Italico civile bellum. Simul et a Germania Cim- 15
bros, immensa millia ferorum atque immitium popu-
lorum, more procellæ inundasse Italiam : quorum 16
tametsi singula bella sustinere Romani possent, uni-
versis tamen obruantur, ut ne vacaturos quidem bello
suo putet.

V. « Utendum igitur occasione, et rapienda incre- 1

Herniques, les Sabins, les Eques et les Volsques aimaient passionnément la guerre : ils étaient autour de Rome; ils lui firent une résistance inconcevable, et furent ses maîtres en fait d'opiniâtreté. » XD.

12. *Sub jugum missos.* A Samnitibus A. U. 433. Conf. Liv. IX, 5-6; Vell. I, 14, 2; Gell. XVII, 21.

13. *Bello Marsico.* Per annos 663-665 gesto, de quo Florus III, 18; Diodorus XXXVII, 1-6. — Hoc bellum *Sociale* vulgo dicitur : *Marsicum* autem etiam appellatur, quod scilicet ex Marsis primum fuerit concitatum. XD.

14. *Civile bellum.* Sullam inter et Marium exorto an. 665, de quo Flor. III, 21; Vell. II, 17 seqq.; Diod. XXXVII, 10-11, 13-15. His igitur principum factionibus, bello que domestico sive civili urbs gravius premitur, quam Italia bello. — Hæc de re legenda *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains,* *chap. VII* : « *Rome, travaillée par les dissensions civiles, occupée de maux plus pressants, négligea les affaires de l'Asie, et laissa Mithridate suivre ses victoires, ou respirer après ses défaites.* » Confer etiam *Bossuet, Discours sur l'histoire universelle, I partie, 9 époque* : « *L'empire romain s'agrandissait, et occupait peu à peu toutes les terres, et toutes les mers du monde connu. Mais autant que la face de la république paraissait belle au dehors par ses conquêtes, autant elle était défigurée par l'ambition désordonnée de ses citoyens, et par ses guerres intestines.* » EDD.

15. *Cimbros.* Qui juncti Teutonibus ex an. inde 649 Helvetia, Hispaniis et Galliis devastatis, quum varios Romanorum exercitus fudissent; tandem anno 651 et 652 in Gallia et Pedemontio a Mario sunt cæsi ac pæne deleti, Flor. III, 3.

V. 1. *Utendum* etc. Utamur igitur occasione nobis oblata; rapiamus incrementa virium cupide arripa-

menta virium, ne, si illis occupatis quieverint, mox
adversus vacuos et quietos, majus negotium habeant.
2 Non enim quæri, an capienda sint arma, sed utrum
3 sua potius occasione, an illorum. Nam bellum equidem jam tunc secum ab illis geri cœptum, quum sibi pupillo majorem Phrygiam ademerint, quam patri suo præmium dati adversus Aristonicum auxilii concesserant, gentem quam et proavo suo Mithridati
4 Seleucus Callinicus in dotem dedisset. Quid, quum Paphlagonia se decedere jusserint, non alterum illud genus belli fuisse? quæ non vi, non armis, sed adoptione testamenti, et regum domesticorum interitu,
5 hereditaria patri suo obvenisset: quum inter hanc decretorum amaritudinem parendo, non tamen eos mitigarit, quin acerbius se in dies gerant, non obti-
6 nuisse. Quod enim a se non præbitum illis obsequium? non Phrygiam Paphlagoniamque dimissas, non Cappadocia filium eductum, quam jure gentium victor
7 occupavisset? Raptam tamen sibi esse victoriam ejus
8 ab illis, quorum nihil sit nisi bello quæsitum. Non regem Bithyniæ Chreston, in quem senatus arma decrevisset, a se in gratiam illorum occisum? tamen nihilominus imputari sibi, si qua Gordius aut Tigranes

mus hanc virium nostrarum augendarum occasionem), ne, si Romanis jam bello intestino occupatis, quieverimus, mox majus negotium habeamus, difficilius debellemus eos vacuos bello, et fruentes quiete.

3. *Patri suo.* Mithridati VI. — *Dati.* Grævius mavult *lati*, recte. — *Adversus Aristonicum.* XXXVI, 4, 6. — *Auxilii concesserant.* Anno 597. — *Mithridati.* IV. — *Seleucus Callinicus.* Seleucus II, Syriæ rex anno Urbis 508-528.

4. *Quum Paphlagonia se decedere jusserint*, etc. Respice cap. 1, 7.

5. *Inter hanc... amaritudinem.* Hic Grævius corrigit apte sane: *interea hanc decretorum amaritudini* (his decretis amaris) *parendo.*

6. *Non Phrygiam, Paphlagoniamque*, etc. Respice §. 3 et 4, et de Cappadocia filio tradita cap. 1, 10, et cap. 1, 6.

7. *Raptam... victoriam.* *Raptum tamen sibi esse victoriæ jus* Ald., Junt. et MSS. Bodl. bene.

8. *Gordius.* Cap. 1, 10. — *Tigranes.* Cap. 3, 1.

faciat : libertatem etiam in contumeliam sui a senatu 9
ultro delatam Cappadociæ, quam reliquis gentibus
abstulerint : deinde populos Cappadocum, pro libertate oblata, Gordium regem orantes, ideo tantum,
quoniam amicus suus esset, non obtinuisse. Nicome- 10
dem præcepto illorum bellum sibi intulisse : quia ultum ierit se, ab ipsis venturum obviam, et nunc eam secum bellandi illis caussam fore, quod non impune se Nicomedi lacerandum, saltatricis filio, præbuerit.

VI. « Quippe non delicta regum illos, sed vires ac 1
majestatem insequi : neque in se uno, sed in aliis
quoque omnibus, hac semper arte grassatos. Sic et 2
avum suum Pharnacem, per cognationum arbitria,
succedaneum regi Pergameno Eumeni datum : sic 3
rursus Eumenem, cujus classibus primum in Asiam fuerint transvecti, cujus exercitu, magis quam suo,

9. *Libertatem... Cappadociæ.* Respice cap. 2, 7. — *Non obtinuisse.* Quum, permittente senatu, elegerint sibi an. 664 Ariobarzanem cap. 2, 8.

10. *Nicomedem... bellum sibi intulisse.* Respice cap. 3, 4. — *Ultum ierit se.* Tacit. Ann. XIII, 44, 7, *injurias ultum isse*; Sallust. Jugurth. VI, 8, 1, *ultum ire injurias festinat*. ED.

VI. 1. *Quippe... insequi.* Romani insequuntur (bello) non reges, qui aliquid deliquerunt, sed qui viribus pollent et majestate splendent. Oderunt nomen regium, §. 7. — Sallust. nost. edit. pag. 407, Fragm. IV, in jam laudata Mithridatis epistola : *Namque Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis, una et ea vetus caussa bellandi est, cupido profunda imperii et divitiarum : quo primum cum Macedonum rege Philippo bellum sumsere. Dum a Carthaginiensibus premebantur, amicitiam simulantes, et subvenientem Antiochum concessione Asiæ per dolum avertere : ac mox fracto Philippo, Antiochus omni cis Taurum agro, et decem millibus talentorum spoliatus est. Persen deinde Philippi filium post multa et varia certamina, apud Samothracas, Deos acceptum in fidem, callidi et repertores perfidiæ, quia pacto vitam dederant, insomniis occidere. Eumenem, cujus amicitiam gloriose ostentant, initio prodidere Antiocho, pacis mercedem*, etc. De hac in arte politica apud Romanos perfidia, conf. etiam *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains*, chap. VI. ED. — *In se uno, sed in aliis.* Non est, cur cum Scheffero corrigas *unum*. Sic ablat. apud Cic. ad div. III, 8, 8, *in te bene merito grati sunt*; Livium XXX, 36, *nihil moribus suis indignum in iis fecit*; Virg. Æn. II, 54, *Achilles talis in hoste non fuit*.

2. *Per cognationum* etc. Qui tamen per cognatos arbitros Eumeni Pergami regi succedere sit jussus.

et Magnum Antiochum, et Gallos in Asia, et mox in Macedonia regem Persen domuissent, et ipsum pro
4 hoste habitum, eique interdictum Italia: et quod cum ipso deforme sibi putavissent, cum filio ejus Aristo-
5 nico bellum gessisse. Nullius apud eos majora, quam Massinissæ, regis Numidarum, haberi merita. Huic imputari victum Hannibalem, huic captum Syphacem, huic Carthaginem deletam: hunc inter duos illos
6 Africanos tertium servatorem urbis referri: tamen cum hujus nepote bellum modo in Africa gestum adeo inexpiabile, ut ne victum quidem memoriæ avi donarent, quin carcerem ac triumphi spectaculum experi-
7 retur. Hanc illos regibus omnibus legem odiorum

3. *Magnum Antiochum*. Respice XXXI, 8, 5; A. 562. — *Gallos in Asia*. Galatas, Gallo-Græcos XXV, 2, 11, de quibus an. 565 Cn. Manlius Vulso triumphum egit splendidissimum Liv. XXXIX, 6. — *Persen*. Respice XXXIII, 1, 2. — *Pro hoste habitum*. Nam, ut ait Vell. I, 9, 2, *Eumenes in bello Persico medius animo fuit, neque fratris initiis, neque suæ respondit consuetudini*. Accusabatur adeo initæ cum Perseo societatis ex literis interceptis, prodente Diodoro XXXI, fragm. 4.

4. *Cum.... Aristonico bellum gessisse*. Respice cap. 5, 3 et 36, 4, 6.

5. *Massinissæ.... Numidarum*. De Massinissa conf. mein *Handwört d. alt. Gesch.* vol. II, pag. 54, ubi quæ Livii loca laudavi, ostendunt, quam vere dixerit hoc loco Mithridates. — *Imputari*. Bona quidem parte, ut apud Tacit. Hist. I, 38; Plin. Hist. Nat. XXIX, 1. 10. — *Hannibal*. Victus apud Zamam an. 550 a Scipione Africano majore, Liv. XXX, 29, quæ victoria bello Punico alteri finem imposuit. — *Syphacem*. A Lælio A. U. 550 captus, Liv. XXX, 5-17 et 44. — *Carthaginem*. Deletam a Scipione Africano minore A. U. 607, Vell. I, 12, 5.

6. *Hujus nepote*. Jugurtha, de cujus bello exstat singularis Sallustii libellus, quem Mastanabal, Jugurthæ filius ex concubina genuerat: cujus quidem frater Micipsa, Massinissæ patris successor, quum anno 635 moriens hunc filium adoptatum regni heredem reliquisset cum ipsius filiis Adherbale et Hiempsale communicandi: Jugurtha homo impius et nefarius, his occisis an. 638 et 641, regnum solus occupavit; belloque inde a Metello an. 644 petitus, tandem an. 648 a Sulla captus et a Mario in triumpho Romam perductus, in carcere periit, sex dies cum fame luctatus, Diodor. XXXIV, fragm. 27, 24, 29, 30; Vell. II, 11 et 12. Hinc ipse perspicis, quid sibi velit *modo*.

7. *Hanc illos* etc. De hoc paragrapho usque ad finem capitis, confer bis laudatam supra Mithridatis epistolam apud Sallust. Fragm. IV: *An*

dixisse, scilicet quia ipsi tales reges habuerint, quorum etiam nominibus erubescant, aut pastores Aboriginum, aut haruspices Sabinorum, aut exsules Corinthiorum, aut servos vernasque Thuscorum, aut, quod honoratissimum nomen fuit inter hæc, Superbos; atque, ut ipsi ferunt, conditores suos lupæ uberibus altos: sic omnem illum populum luporum ani- 8
mos, inexplebiles sanguinis atque imperii, divitiarumque avidos ac jejunos habere.

VII. « Se autem, seu nobilitate illis comparetur, 1
clariorem illa colluvie convenarum esse, qui paternos majores suos a Cyro Darioque, conditoribus Persici regni, maternos a Magno Alexandro, ac Nicatore Seleuco, conditoribus imperii Macedonici, referat: seu

ignoras Romanos, postquam ad Occidentem pergentibus finem Oceanus fecit, arma huc convertisse? neque quicquam e principio nisi vastum habuere, domum conjuges, agros, imperium? Convenas olim, sine patria, sine parentibus, peste conditos orbis terrarum: quibus non humana ulla, neque divina obstant, quin socios, amicos, procul, juxta sitos, inopes, potentesque trahant, excidant; omnia non serva, et maxime regna hostilia ducant. ED. — *Pastores.* Romulum et Remum inter pastores educatum, Liv. I, 4 et 5. — *Haruspices Sabinorum.* Qualis Numa, Romuli successor, qui, ut Liv. ait I, 18, 1, *Curibus Sabinis habitabat, consultissimus vir omnis divini atque humani juris.* — *Exsules Corinthiorum.* Qualis Tarquinius Priscus, quintus Romanorum rex A. U. 137-175, filius Demarati, qui e gente Bacchiadarum Corintho profugus Tarquiniis, Etruriæ oppido consederat, et inde Romam demigraverat, Liv. I, 34-40. — *Servos.* Qualis Servius Tullius, quem serva natum Tanaquil, Tarquinii uxor, prodigio admonita, in regni successionem educavit an. 175-219, Liv. I, 39. — *Superbos.* Qualis fuit septimus et ultimus rex, Tarquinius *Superbus* an. 229-244, Liv. I, 46; II, 21. — *Conditores.* Romulum et Remum. — *Lupæ uberibus altos.* Liv. I, 4, 6. — *Inter hæc.* Nomina, aut, si mavis cum Veu., Junt., Paris., Col., Bong., *hos*, reges.

8. *Luporum animos.* Confer Liv. III, 66, 5; Vell. II, 27, 3. — *Divitiarumque avidos ac jejunos.* Racine, *Mithridate, acte III, sc.* 1, in oratione Mithridatis ad filios:

Des biens des nations ravisseurs altérés,
Le bruit de nos trésors les a tous attirés.

Confer etiam Tacit. Agricola 30, in oratione Galgaci ad suos. ED.

VII. 1. *Cyro Darioque... Magno Alexandro... Nicatore Seleuco.* De quatuor his regibus adi indicem. Ultimus autem Seleucus Nicator, conditor regni Syriaci, proavus fuit Seleuci illius Callinici, cujus filia nupserat Mithridatis hujus avo cap.

populus illorum conferatur suo, earum se gentium esse, quæ non modo Romano imperio sint pares, sed
2 Macedonico quoque obstiterint. Nullam subjectarum sibi gentium expertam peregrina imperia: nullis unquam, nisi domesticis, regibus paruisse: Cappadociam velint, an Paphlagoniam, recensere; rursus Pontum, an Bithyniam, itemque Armeniam majorem minoremque: quarum gentium nullam neque Alexander ille, qui totam pacaverit Asiam, nec quispiam suc-
3 cessorum ejus, aut posterorum, attigisset. Scythiam duos unquam ante se reges, non pacare, sed tantum intrare ausos, Darium et Philippum, ægre inde fugam sibi expedisse, unde ipse magnam partem adversus
4 Romanos virium haberet. Multoque se timidius ac diffidentius bella Pontica ingressum, quum ipse rudis ac tiro esset. Scythas præter arma, virtutemque animi, locorum quoque solitudinibus, vel frigoribus instructos, per quæ denuntiaretur ingens militiæ labor ac

5, 3. — Confer jam supra laudatum *Racine*, *Mithridate*, *acte III*, *sc.* 1:

De quelle noble ardeur pensez-vous qu'ils se rangent,
Sous les drapeaux d'un roi long-temps victorieux,
Qui voit jusqu'à Cyrus remonter ses aïeux?
ED.

— *Obstiterint.* Vid. *mein Hist. Handb.* vol. I, pag. 172. — *Populus... suo.* Bene hæc constructio procedit cum verbis ab init cap.: *seu nobilitate illis comparetur.* Non spernenda tamen est lectio edd. Med., Par., Ven., Ald., Col., Bong. *populis eorum conferat suos.*

2. *Expertam peregrina imperia.* Non omnino vere hæc Mithridatem dixisse, sed in laudem suam extulisse, ostendit historia harum terrarum, quas tibi delineat *mein Hist. Hanbd.* suo quæmque loco. — Confer *Crébillon*, *Rhadamiste*, *acte II*, *sc.* 2, ubi Pharasmanes inexpiabili, sicut Mithridates, adversus Romanos odio instinctus, illius gentis legatos superbis vocibus sic adloquitur:

Ce peuple triomphant n'a point vu mes images
A la suite d'un char en butte à ses outrages.
La honte que sur lui répandent mes exploits,
D'un affront orgueilleux a bien vengé les rois.

Confer etiam Tacit. German. in oratione Galgaci ad Britannos: *Nos integri et indomiti, et libertatem non in præsentia laturi, primo statim congressu non ostendemus, quos sibi Caledonia viros seposuerit?* ED.

3. *Scythiam.* De bello a Dario et Philippo Scythis illato adi loca in ind. laudata.

4. *Instructos.* Scil. instructos esse

periculum. Inter quas difficultates ne spes quidem 5
præmii foret ex hoste vago, nec tantum pecuniæ, sed
etiam sedis inope. Nunc se diversam belli conditionem 6
ingredi: nam neque cælo Asiæ esse temperatius aliud,
nec solo fertilius, nec urbium multitudine amœnius:
magnamque temporis partem, non ut militiam, sed
ut festum diem acturos, bello dubium facili magis an
uberi: si modo aut proximas regni Attalici opes, aut 7
veteres Lydiæ Ioniæque audierint, quas non expugnatum
eant, sed possessum; tantumque se avida ex- 8
spectet Asia, ut etiam vocibus vocet: adeo illis odium
Romanorum incusserit rapacitas proconsulum, sectio
publicanorum, calumniæ litium! Sequantur se modo 9
fortiter; et colligant, quid se duce possit efficere tantus
exercitus, quem sine cujusquam militum auxilio,
suamet unius opera, viderint Cappadociam, cæso rege,
cepisse; qui solus mortalium Pontum omnem Scythiamque
pacaverit, quam nemo ante transire tuto

et fuisse tum, quum ipse illos ait adgressus XXXVII, 3, 2.

5. *Sedis inope.* Vago, II, 2, 3.

6. *Cælo Asiæ.* Asiæ cælum temperatissimum est, solum fertilissimum, urbes plurimæ eæque amœnissimæ.

7. *Regni Attalici opes.* At has an. jam 621 a Romanis ablatas XXXVI, 4. — *Veteres Lydiæ.* Tempore Crœsi I, 7, 3. — *Ioniæ.* De qua adi *mein Hist. Handb.* vol. I, pag. 280.

8. *Ut etiam vocibus vocet.* Racine, *Mithridate*, *acte III*, *sc.* 1:

Daces, Pannoniens, la fière Germanie,
Tous n'attendent qu'un chef contre la tyrannie. ED.

— *Adeo illis odium Romanorum incusserit rapacitas Proconsulum*, etc. Confer *La Fontaine XI*, 7, *le Paysan du Danube*:

Rien ne suffit aux gens qui nous viennent
De Rome.
La terre et le travail de l'homme
Font pour les assouvir des efforts superflus.
Retirez-les: on ne veut plus
Cultiver pour eux les campagnes.
Nous quittons les cités, nous fuyons aux montagnes. ED.

— Consules Romani rapacissimi Asiæ (Mysiæ, Phrygiæ, Cariæ) adeo (tantum) odium Romanorum (adversus Romanos) incusserunt illis. Recte autem hominis avaritia calumniandique cupido *incutere* dicitur odium sui, non autem *innuere*, quod illi substituere vult Gronovius, coll. Cic. Catil. I, 6; 2; II, 13. — *Sectio publicanorum*, *calumniæ litium.* Scilicet exactio publicanorum, et iniquitas judicium. ED.

9. *Cappadociam... cepisse.* Respice cap. 1, 10.

10 atque adire potuerit. Nam justitiæ atque liberalitatis suæ nec ipsos milites, qui experiantur, testes refugere; et illa judicia habere, quod solus regum omnium non paterna solum, verum etiam externa regna, hereditatibus propter munificentiam adquisita possideat, Colchos, Paphlagoniam, Bosporum. »

1 VIII. Sic excitatis militibus, post annos tres et vi-
2 ginti sumti regni, in Romana bella descendit. At in Ægypto, mortuo rege Ptolemæo, ei, qui Cyrenis regnabat, Ptolemæo, per legatos regnum et uxor
3 Cleopatra regina, soror ipsius, defertur. Lætus igitur hoc solo Ptolemæus, quod sine certamine fraternum regnum recepisset, in quod subornari et a matre Cleopatra, et favore principum, fratris filium cognoverat, cæterum infestus omnibus, statim ubi Alexandriam
4 ingressus est, fautores pueri trucidari jussit. Ipsum quoque die nuptiarum, quibus matrem ejus in matrimonium recipiebat, inter adparatus epularum, et solemnia religionum, in complexu matris interficit: atque ita torum sororis, cæde filii ejus cruentus, ad-
5 scendit. Post quod non mitior in populares, qui eum in regnum vocaverant, fuit: siquidem peregrinis militibus licentia cædis data, omnia sanguine quotidie

10. *Iudicia.* Mss. et Par. *judicia.*

VIII. 1. *Romana bella.* Bella cum Romanis gerenda, quæ Noster præterit, nonnisi tacta supra cap. 3, 8, et XXXVII, 1, 7-9. Bellis autem, quæ ibi commemorantur, cum Sulla et Lucullo gestis, tandem a Cn. Pompeio Magno fugatus A. U. 687, insidiis Pharnacis filii petitus, quum frustra venenum expertus esset (XXXVII, 2, 6), occidendum se tradit Bituito cuidam Gallo an. 690. Liv. Epit. CII; Flor. III, 5, 26.

2. *Ptolemæo* Philometore XXXIV, 2, 7 et 8. — *Ei... Ptolemæo,* Physconi, regi per annos 608-635, mortui *fratri* §. 3, Liv. Epit. LIX. — *Cyrenis.* Et in Libya ex anno inde 596 Diod. XXXI, 26; XXXIII, 10.

3. *Matre.* Filii, quem Philometor reliquerat pupillum, ergo hujus Physconis *sorore*, §. 4, coll. §. 2.

4. *Torum... adscendit.* Conf. Voltaire, OEdipe, act. IV, sc. 1, ubi Jocaste:

Enfin, seigneur, il me prédit
Que mon fils, que ce monstre, entrerait dans mon lit;
Que je le recevrais, moi, seigneur, moi sa mère,
Dégouttant dans mes bras du meurtre de son père.

manabant: ipsam quoque sororem, filia ejus virgine
per vim stuprata, et in matrimonium adscita, repu-
diat. Quibus rebus territus populus in diversa labitur, 6
patriamque metu mortis exsul relinquit. Solus igitur 7
in tanta urbe cum suis relictus Ptolemæus, quum
regem se non hominum, sed vacuarum ædium vi-
deret, edicto peregrinos solicitat. Quibus confluen- 8
tibus, obvius legatis Romanorum, Scipioni Africano
et Spurio Mummio, et L. Metello, qui ad inspicienda
sociorum regna veniebant, procedit. Sed quam cruen- 9
tus civibus, tam ridiculus Romanis fuit. Erat enim et
vultu deformis, et statura brevis, et sagina ventris non
homini, sed belluæ similis. Quam fœditatem nimia 10
subtilitas perlucidæ vestis augebat, prorsus quasi astu
inspicienda præberentur, quæ omni studio occultanda
pudibundo viro erant. Post discessum deinde legato- 11
rum (quorum Africanus, dum inspicit urbem, spec-
taculo Alexandrinis fuit) jam etiam populo peregrino
invisus, cum filio, quem ex sorore susceperat, et cum
uxore, matris pellice, metu insidiarum, tacitus in ex-
silium proficiscitur; contractoque mercenario exer-
citu, bellum sorori pariter ac patriæ infert. Arcessitum 12
maximum deinde a Cyrenis filium, ne eum Alexan-
drini contra se regem crearent, interficit. Tunc po-

5. *Repudiat.* Quæ deinde confugit ad Demetrium, generum, Syriæ regem XXXIX, 1, 4, et XXXVIII, 9, 1. — *Filia... adscita:* Cleopatra in ind. nr. 7.

8. *Scipioni Africano.* Juniori, qui paullo ante, an. 607 Carthaginem deleverat. — *Spurio Mummio.* Qui cos. an. 607, Corintho deleta, *Achaici* nomen meruerat. — *L. Cæcilio Metello.* An. inseq. 611 consuli. Ad annum autem 610 hanc legationem refert Freinsh. in Liv. suppl. LIII, 13, rectius, quam editores Diodori (XXXIV, fragm. 1) ad an. 618.

10. *Perlucidæ vestis.* Confer Plin. XI, 22; Senec. Benef. VII, 9; Epist. 90; Ælian. VII, 9.

11. *Proficiscitur.* Aut potius pellitur A. U. 621, ergo non statim post discessum legatorum. Conf. de hujus crudelitate Diod. XXXIII, 10 et 14; nec non XV, 23 et 24; quo loco postremo nominatur τὸ σῶμα συνεσταλκὼς περιτετριμμένος. Adde eundem XXXIV, fragm. 4, et 18.

13 pulus statuas et imagines ejus detrahit. Quod factum studio sororis existimans, filium, quem ex ea susceperat, interficit, corpusque in membra divisum, et in cista compositum, matri die natali ejus inter epulas 14 offerri curat. Quæ res non reginæ tantum, verum etiam universæ civitati acerba et luctuosa fuit; tantumque mœrorem festivissimo convivio intulit, ut 15 regia omnis repentino luctu incenderetur. Verso igitur studio principum ab epulis in exsequias, membra lacera populo ostendunt; et quid sperare de rege suo debeant, filii cæde demonstrant.

1 IX. Finito luctu orbitatis, Cleopatra, quum urgeri se fraterno bello videret, auxilium a Demetrio, rege Syriæ, per legatos petit: cujus ipsius varii et memo-
2 rabiles casus fuere. Namque Demetrius, ut supra dictum est, quum bellum Parthis intulisset, et multis congressionibus victor fuisset, repente insidiis circum-
3 ventus, amisso exercitu, capitur. Cui Arsacides Parthorum rex, magno et regio animo, misso in Hyrcaniam, non cultum tantum regium præstitit; sed et filiam in matrimonium dedit, regnumque Syriæ, quod

13. *Quod factum*... Confer Diod. XXXIV, fragm. 16, cujus editores hoc facinus referunt ad A. U. 624. — *Compositum*. Edd. 6, antiq. *impositum*, quod aptius est. De re conf. Valer. Max. IX, 2, extr. 5; Liv. Epit. LIX.

14. *Tantumque mœrorem festivissimo convivio intulit*. Apud Tacit. XIII, 16, conferendus est propter dissimilitudinem locus, ubi, Britannico inter epulas veneni vi, omnes subito artus pervadentis, intercepto, tunc aliqui omnes quibus altior intellectus, stant defixi Neronem intuentes... atque ita post breve silentium repetita convivii lætitia. ED.

15. *Lacera*. Quod edd. 5 antiq. explicant *lacerata*.

IX. 1. *Per legatos petit*. Confer infra XXXIX, 1, 4.

2. *Supra*. Respice XXXVI, 1, 5.

3. *Arsacides*. Auctor si sibi ipsi constare vult, *Arsaces* scribere debuit XLI, 5, 6; coll. cap. 4, 6. — — Confer notam editoris supra XXXVI, 1, ubi dicitur *Arsacides* pro *Arsaces* accipi... — *Quod... occupaverat*. Quo potius eum Trypho pepulerit, substituto in ejus locum Antiocho, Balæ filio an. 610; quo deinde ipso occiso, Trypho regnum occupat per annos 612-614. Vide not. ad XXXVI, 1, 1; et de Try-

per absentiam ejus Trypho occupaverat, restituturum
promittit. Post hujus mortem desperato reditu, non 4
ferens captivitatem Demetrius, privatam, etsi opu-
lentam, vitam pertæsus, tacitus in regnum fugam
meditatur. Hortator illi et comes Callimander amicus 5
erat : qui post captivitatem ejus a Syria per Arabiæ
deserta, ducibus pecunia comparatis, Parthico habitu
Babylonem pervenerat. Sed fugientem Phrahates, qui 6
Arsacidæ successerat, equitum celeritate, per com-
pendiosos tramites occupatum retrahit. Ut est deduc- 7
tus ad regem, Callimandro quidem non tantum venia,
verum etiam præmium fidei datum : Demetrium au-
tem et graviter castigatum ad conjugem in Hyrcaniam
remittit, arctioribusque custodiis observari jubet. In- 8
terjecto deinde tempore, quum fidem illi etiam sus-
cepti liberi facerent, eodem amico comite repetita
fuga est : sed pari infelicitate prope fines regni sui
reprehenditur; ac denuo perductus ad regem, ut in-
visus a conspectu submovetur. Tunc quoque uxori et 9
liberis donatus, in Hyrcaniam, pœnalem sibi civita-
tem, remittitur, talisque aureis ad exprobrationem
puerilis levitatis donatur. Sed hanc Parthorum tam 10
mitem in Demetrium clementiam non misericordia

phone confer Diodor. XXXIII, fragm. 19. — Anno Urbis 615.

4. — Anno Urbis 617.

5. *Callimander.* Sic edd. 6 antiq. recte, quum sit Josepho Καλλιμάνδρος, non *Galimander.* — *Ducibus.* Græce ὁδηγοῖς. Ea voce simpliciter utitur quoque Liv. XXII, 13, 6; Sueton. Cæsar, 31, 3. ED.

6. *Phrahates* Scil. Phrahates, qui Arsacidæ VI, scil. Mithridati I, successerat an. 617, et deinde anno Urbis 626 periit contra Scythas bellum gerens.

8. *Quum fidem illi... facerent.* Quum Phrahates Demetrio magis fideret; propter quod hic liberos ex conjuge susceperat, quia scilicet hoc vinculo detinendus in Hircania Demetrius existimabatur. ED. — *Reprehenditur.* Sic Med., Ald. et Par. nec non unus cod., hinc Græv. in ed. 1694 præeunte Acidalio, qui ita correxerat ad Velleium Paterc. II, 130, 8, quodque aptius est quam *deprehenditur*, quod ex Bongars. et Colon. dedit Grævius in editione 1701, et Gronovius nepos.

gentis faciebat; nec respectus cognationis, sed quod Syriæ regnum adfectabant; usuri Demetrio adversus Antiochum fratrem, prout res, vel tempus, vel fortuna belli exegisset.

1 X. His auditis, Antiochus occupandum bellum ratus, exercitum, quem multis finitimorum bellis in-
2 duraverat, adversus Parthos ducit. Sed luxuriæ non
minor adparatus, quam militiæ, fuit: quippe LXXX
millia armatorum sequuta sunt CCC millia lixarum; ex
quibus coquorum, pistorum, scenicorumque major
3 numerus fuit. Argenti certe aurique tantum, ut etiam
gregarii milites caligas auro figerent, proculcarentque
4 materiam, cujus amore populi ferro dimicant. Culinarum quoque argentea instrumenta fuere, prorsus
5 quasi ad epulas, non ad bella pergerent. Advenienti
Antiocho multi Orientales reges occurrere, tradentes
se, regnaque sua, cum exsecratione superbiæ Par-
6 thicæ. Nec mora congressioni fuit. Antiochus, tribus
prœliis victor, quum Babyloniam occupasset, magnus
haberi cœpit. Itaque omnibus ad eum populis deficien-

10. *Antiochum*. VII, Sidetem sive Evergeten. Vid. not. ad XXXVI, 1, 1, coll. ind. in *Antiochus* nr. 7. — Anno Urbis 617-624.

X. 1. *Induraverat*. Respice XXXVI, 1, 9-10.

2. *Trecenta millia*. Verisimilior est numerus triginta millia, quem habent Ven., Ald., Col.: cod. Med. et Oros. exhibent *ducenta*.

3. *Auro figerent*. Edd. 6 ant. *fingerent*; duo codices *facerent*. Non spernenda est lectio unius codicis Bong. *suerent*. Confer Valer. Max. IX, 1, ext. 4, ubi sunt *aurei clavi crepidis subjecti*, et Plin. XXXIII, 14, ubi Agnon, Alexandri M. præfectus *aureis clavis suffigit crepidas*. — *Proculcarentque materiam*, etc. *Ne terreat vanus adspectus, et auri fulgor atque argenti, quod neque tegit neque vulnerat*, Tacit. Agric. 32; Curt. VIII, 27, de Alexandri exercitu, Asia devicta: *Totum exercitum adspicite: qui paullo ante nihil præter arma habebat, nunc argenteis cubat lectis; mensas auro onerant; greges servorum ducunt; spolia de hostibus sustinere non possunt*. Virgil. Æneid. IX, 25:

... campis exercitus ibat apertis
Dives equum, dives pictaï vestis et auri.

Conferendus est etiam *Voltaire, Henriade, ch. III*:

Leurs armes éclataient du feu des diamans,
De leurs bras énervés frivoles ornemens. ED.

tibus, nihil Parthis reliqui præter patrios fines fuit.
Tunc Phrahates Demetrium in Syriam ad occupan- 7
dum regnum cum Parthico præsidio mittit, ut eo pacto
Antiochus ad sua tuenda a Parthia revocaretur. In-
terim, quoniam viribus non poterat, insidiis Antio-
chum ubique tentabat. Propter multitudinem homi- 8
num, exercitum suum Antiochus per civitates in
hyberna diviserat : quæ res exitii caussa fuit. Nam
quum gravari se copiarum præbitione, et injuriis
militum civitates viderent, ad Parthos deficiunt; et
die statuta, omnes apud se divisum exercitum per
insidias, ne invicem ferre auxilia possent, adgrediun-
tur. Quæ quum nuntiata Antiocho essent, auxilium 9
proximis laturus, cum ea manu, quæ secum hyema-
bat, progreditur. In itinere obvium regem Parthorum
habuit, adversus quem fortius, quam exercitus ejus,
dimicavit. Ad postremum tamen quum virtute hostes 10
vincerent, metu suorum desertus occiditur : cui Phra-
hates exsequias regio more fecit, filiamque Demetrii,
quam secum Antiochus adduxerat, captus amore vir-
ginis, uxorem duxit. Pœnitere deinde dimissi Demetrii 11
cœpit : ad quem retrahendum quum turmas equitum
festinato misisset, Demetrium hoc ipsum metuentem
jam in regno missi invenerunt; frustraque omnia
conati, ad regem suum reversi sunt.

7. — Anno Urbis conditæ 622.

8. *Præbitione*. Cod. *exhibitione*. *Copiæ* autem h. l. res ad victum necessariæ. — *Die statuta... adgrediuntur*. Ecce vesperas Siculas!

10. *Fecit*. Ejusque corpus in Syriam remisit XXXIX, 1, 6. Confer Liv. Epit. LIX; Oros. V, 10; Appian. in Syr., qui ipsum sibi manus intulisse scribit. — *Vincerent*. Freinsh., quem sequitur Scheffer., mavult *vinceret* (Antiochus). — Anno Urbis 624.

11. *Invenerunt*. Ubi ab anno Urbis conditæ 624-628 regnavit. Vide XXXIX, 1, 8.

LIBER XXXIX.

1 I. Antiocho in Parthia cum exercitu deleto, frater
ejus Demetrius, obsidione Parthorum liberatus, ac
restitutus in regnum, quum omnis Syria in luctu
2 propter amissum exercitum esset; quasi Parthica ip-
sius ac fratris bella, quibus alter captus, alter occisus
erat, prospere cessissent, ita Ægypto bellum inferre
statuit; regnum Ægypti Cleopatra socru, pretium
3 auxilii adversus fratrem suum, pollicente. Sed dum
aliena adfectat, ut adsolet fieri, propria per defectio-
nem Syriæ amisit: siquidem Antiochenses primi, duce
Tryphone, exsecrantes superbiam regis, quæ conver-

I. 1. *Antiocho... deleto.* Respice XXXVIII, 10, 10. — *Obsidione.* Captivitate XXXVIII, 10, 7; coll. cap. 9, 2-10, et h. l. §. 2, ubi alter (ipse Demetrius) captus erat, alter (frater Antiochus) occisus XXXVIII, 10, 10. Conf. XXXVI, 1, 5.

2. *Cessissent.* Ita recte Ald. et Junt, ut et Bong. et Is. Vossius conjecerant, quum cæteræ edd. male exhibeant *gessissent*, aut Ven, Col. et Bong. *gessisset*, non minus male, quum Demetrius fratris sui bella non gesserit, nec dici possit Demetrius bella *ipsius* gessisse, sed *sua*. Eadem verba etiam infra XL, 2, 4, sunt permutata, ubi pro *quo cesserit* MSS. Bong. vitiose exhibent *quod gesserit*. — *Ita.* Id supervacuum videtur Gronovio avo; tueri tamen idem possumus referentes ad præcedens *quasi*. — *Cleopatra... pollicente.* Quum Cleopatra, Ptolemæi Physconis uxor repudiata, XXXVIII, 8, 5, Demetrii socrus, cujus ipse filiam in matrimonio habebat (h. l. §. 4), regnum Ægypti huic Demetrio polliceretur, si ipsi auxilium ferret contra Physconem, fratrem et olim maritum XXXVIII, 8, 1-2.

3. *Ut adsolet fieri.* Nam, ut ait Menander:

Οἱ γὰρ θέλοντες προσλαβεῖν τὰ τῶν πέλας,
Ἀποτυγχάνουσι πολλάκις νικώμενοι,
Τὰ δ' ἴδια προστιθέασι τοῖς ἀλλοτρίοις.

— *Duce Tryphone.* At hic jam jam an. 617 ab Antiocho fuerat occisus, quum ab an. inde 612 regnum occupasset. Vid. not. ad XXXVI, 1, 1, et §. 7-8; nec non not. ad XXXVIII, 9, 3. — *Absentiam ejus a Demetrio.* Melius quod est in quibusdam codd. *absentiam Demetrii ab eo.*

satione Parthicæ crudelitatis intolerabilis facta erat,
mox Apamenii, cæteræque civitates exemplum se-
quutæ, per absentiam ejus a Demetrio defecere. Pto- 4
lemæus quoque, rex Ægypti, bello ab eodem petitus,
quum cognovisset, Cleopatram sororem suam, opibus
Ægypti navibus impositis, ad filiam et Demetrium
generum in Syriam profugisse, immittit juvenem
quendam Ægyptium, Protarchi negotiatoris filium,
qui regnum Syriæ armis peteret, composita fabula, 5
quasi per adoptionem Antiochi regis receptus in fa-
miliam regiam esset, nec Syriis quemlibet regem ad-
spernantibus, ne Demetrii paterentur superbiam:
nomen juveni Alexandri imponitur, auxiliaque ab
Ægypto ingentia mittuntur. Interea corpus Antiochi 6
interfecti a rege Parthorum, in loculo argenteo ad
sepulturam in Syriam remissum supervenit: quod
cum ingenti studio civitatium et regis Alexandri, ad
firmandam fabulæ fidem, excipitur. Quæ res illi mag-
num favorem popularium conciliavit, omnibus non
fictas in eo, sed veras lacrymas existimantibus. De- 7
metrius autem victus ab Alexandro, quum undique
circumstantibus malis premeretur, ad postremum

4. *Ptolemæus.* Physcon XXXVIII, 1, 2. — *Sororem.* Et uxorem repudiatam XXXVIII, 1, 2; XXXVIII, 8, 5. — *Filiam.* Demetrii uxorem. — *Immittit.* Quod est *subornat* XXXV, 1, 6. — Anno Urbis 625.

5. *Composita fabula.* Quum antea rumorem sparsisset, et fabulam finxisset et quasi composuisset, esse hunc Alexandrum, *Zebennam* dictum Josepho XIII, 17, *Zabinam* Diodoro XXXIV, fragm. 20 et 22, filium Antiochi (a Parthis occisi XXXVIII, 8, 10), aut potius Alexandri Balæ, a quo Demetrii nostri pater, Demetrius Soter regno et vita fuerat privatus, XXXV, 1, 6-10; quique quatuor post annis a Demetrio nostro victus et cæsus fuerat XXXV, 2, 4, A. U. 608; indeque fratrem Antiochi VI Dei, per annos 610-612 regnum usurpantis XXXVI, 1, 1 not.

6. *Antiochi interfecti* etc. Respice XXXVIII, 10, 10. — *Supervenit.* Scilicet inopinato venit et peropportune, ut recte explicat Grævius, qui hanc editionis Juntinæ et Aldinæ lectionem alteri *pervenit* jure prætulit.

8 etiam ab uxore filiisque deseritur. Relictus igitur cum paucis servulis, quum Tyrum religione templi se defensurus petisset, navi egrediens, præfecti jussu in-
9 terficitur. Alter ex filiis Seleucus, quoniam sine matris auctoritate diadema sumsisset, ab eadem interficitur; alter, cui propter nasi magnitudinem cognomen Grypo fuit, rex a matre hactenus constituitur, ut nomen regis penes filium, vis autem omnis imperii penes matrem esset.

1 II. Sed Alexander, occupato Syriæ regno, tumens successu rerum, spernere jam etiam ipsum Ptolemæum, a quo fuerat subornatus in regnum, superba
2 insolentia cœpit. Itaque Ptolemæus, reconciliata sororis gratia, destruere Alexandri regnum, quod odio Demetrii, viribus suis adquisierat, summis opibus insti-
3 tuit. Mittit igitur ingentia Grypo auxilia, et filiam Tryphænam Grypo nupturam, ut populos in auxilium nepotis, non societate tantum belli, verum et adfini-
4 tate sua solicitaret. Nec res frustra fuit; nam quum omnes Grypum instructum Ægypti viribus viderent,
5 paullatim ab Alexandro deficere cœpere. Fit deinde inter reges prælium, quo victus Alexander Antiochiam profugit: ibi inops pecuniæ, quum stipendia militi-

8. *Interficitur*. Joseph. Antiq. XIII, 17; contra autem Appianus in Syr. occisum eum fuisse refert a Cleopatra uxore.

9. *Seleucus*. Quintus. — *Vis*. Ita bene editio Juntina, Aldin. et unus cod. Bongarsianus, melius, quam *jus*. Illud enim, quod jam Berneccerus conjecerat, et Grævius recepit, aptius opponitur *nomini* Γρυπὸς, quod quidem cognomen, ut alterum *Epiphanis*, hic Antiochus VIII tulit, rex 629-658.

II. 2. *Sororis*. Hujus ipsius Grypi, cujus mater, Demetrii uxor, Physconis soror erat et olim uxor c. 1, 4.

5. *Inops pecuniæ*, etc. De Alexandri sacrilegio conf. Diod. XXXIV, fragm. 22. Bochartus autem (Phaleg. II, 16) putat hanc historiam pertinere ad Alexandrum *Balam*, de quo supra XXXV, 1, 6-10. — *In templo*. Recepi *in* ex edd. 6 antiq. et MSS. Bong. probante Grævio, qui laudat Flor. III, 4, *bibere in ossibus capitum*; Senec. Agamemn. 878, *merum in auro trahere*; Cicer. ad div. I, 6, 1, *dolorem capio in*

bus deessent, in templo Jovis solidum ex auro Victoriæ signum tolli jubet, facetis jocis sacrilegium circumscribens; nam « Victoriam commodatam sibi ab Jove esse » dicebat. Interjectis deinde diebus, quum
ipsius Jovis aureum simulacrum infiniti ponderis 6
tacite evelli jussisset, deprehensusque in sacrilegio, concursu multitudinis esset in fugam versus, magna vi tempestatis oppressus, ac desertus a suis, a latronibus capitur; perductusque ad Grypum, interficitur.
Grypus porro, reciperato patrio regno, externisque 7
periculis liberatus, insidiis matris adpetitur. Quæ quum cupiditate dominationis, prodito marito, Demetrio, et altero filio interfecto, hujus quoque victoria inferiorem dignitatem suam factam doleret, venienti
ab exercitatione poculum veneni obtulit. Sed Grypus, 8
prædictis jam ante insidiis, veluti pietate cum matre certaret, bibere ipsam jubet; abnuenti instat: postremum, prolato indice, eam arguit, « solam defensionem sceleris superesse » adfirmans, « si bibat, quod filio obtulit. » Sic victa regina, scelere in se verso, veneno
quod alii paraverat, exstinguitur. Parta igitur regni 9
securitate, Grypus octo annis quietem et ipse habuit,
et regno præstitit. Natus deinde illi est æmulus regni, 10

rebus tuis : quibus quidem in locis *in* ponitur pro *ex*.

7. *Prodito marito.* Cap. 1, 7. — *Filio interfecto.* Cap. 1, 9. — *Exercitatione.* Lucta, ut XXXVII, 4, 1, et Liv. X, 11, 1, ubi est *exerceri inter equites.* De re confer simile exemplum apud Liv. VIII, 18; coll. Valer. Max. II, 5, 3; Oros. III, 10. — *Obtulit.* Latinitas postulat *obtulerit.* Antea pro *prædictis* ob seqnens *ante*, ut tautologia vitetur, Schefferus corrigit *proditis*. — Anno Urbis conditæ 632.

8. *Veneno, quod alii paraverat, exstinguitur.* Confer similem fere locum apud nostrum *Corneille*, *Rodogune*, *act. V*: ubi quum Cleopatra paratum Antiocho venenum, duplici scelere convicta ipsa haurire coacta fuit, Rodogune exclamat :

... seigneur, voyez ses yeux,
Déjà tout égarés, troublés et furieux,
Cette affreuse sueur qui couvre son visage,
Cette gorge qui s'enfle. Ah! bons dieux! quelle rage!
Pour vous perdre après elle, elle a voulu périr. ED.

9. — Anno Urbis conditæ 635.

frater ipsius Cyzicenus, eadem matre genitus, sed ex
Antiocho patruo susceptus: quem quum veneno tol-
lere voluisset, ut maturius armis cum eo de regno
contenderet, excitavit.

1 III. Inter has regni Syriæ parricidiales discordias
moritur rex Ægypti Ptolemæus, regno Ægypti uxori
et alteri ex filiis, quem illa legisset, relicto; videlicet
quasi quietior Ægypti status, quam Syriæ regnum
esset, quum mater, altero ex filiis electo, alterum
2 hostem esset habitura. Igitur quum pronior in mino-
rem filium esset, a populo compellitur majorem eli-
gere: cui prius quam regnum daret, uxorem ademit;
compulsumque repudiare carissimam sibi sororem
Cleopatram, minorem sororem Selenen ducere jubet,
non materno inter filias judicio, quum alteri maritum
3 eriperet, alteri daret. Sed Cleopatra, non tam a viro
repudiata, quam a matre divortio viri dimissa, Cyzi-
ceno in Syria nubit; eique ne nudum uxoris nomen
adferret, exercitum Grypi solicitatum, velut dotalem,
4 ad maritum deducit. Par igitur viribus fratris Cyzice-
nus prælium committit, ac victus in fugam vertitur,
5 Antiochiamque venit. Tunc Antiochiam Grypus, in

10. *Frater ipsius*. Antiochus IX, Philopator, Cyzicenus, filius Antiochi patrui, VII, de quo supra XXXVIII, 9, 10, cap. 10, 1-10. *Cyziceni* autem cognomen habuit, quod Cyzici fuerat educatus, de cujus levibus moribus, vilibusque studiis adi Diodor XXXIV, 26. — *Maturius*. Celerius (ut III, 1, 3), veneno, quam *armis*. — A. U. 643.

III. 1. *Ptolemæus*. Physcon, de quo XXXVIII, 8, 2. — *Uxori*. Fratris Philometoris, et sororis Cleopatræ filiæ XXXVIII, 8, 5. Vid. ind. Cleopatra nr. 7. — *Regnum*. Gronov. avus mavult *futurus*. — Anno Urbis 635.

2. *Minorem*. Alexandrum I. — *majorem*. Lathurum regem per annos 635-672.

3. *Cyziceno*. Cap. 2, 10. — *Velut dotalem*. Virgil. IV, Æneid. 104:

... liceat Phrygio servire marito
Dotalesque tuæ Tyrios permittere dextræ.

Et IX, 737:

... non hæc dotalis regia Amatæ. ED.

— *Grypi*. Cap. 1, 9. Contra edd. 5 ant. *Cypri*, quæ lectio confirmatur §. 6, ubi sunt *exercitus peregrini*.

4. *Fratris*. Grypi cap. 2, 10.

qua erat Cyziceni uxor Cleopatra, obsidere cœpit;
qua capta, Tryphæna, uxor Grypi, nihil antiquius
quam sororem Cleopatram requiri jussit: non ut cap-
tivæ opem ferret, sed ne effugere captivitatis mala
posset, quæ sui æmulatione in hoc potissimum reg-
num invaserit, hostique sororis nubendo hostem se
ejus effecerit. Tum peregrinos exercitus in certamina 6
fratrum adductos, tum repudiatam a fratre, contra
matris voluntatem extra Ægyptum nuptam accusat.
Contra Grypus orare, « ne tam fœdum facinus facere 7
cogatur: a nullo unquam majorum suorum inter tot
domestica, tot externa bella, post victoriam in feminas
sævitum, quas sexus ipse et periculis bellorum, et
sævitiæ victorum eximat: in hac vero, præter com- 8
mune bellantium fas, accedere necessitudinem san-
guinis: quippe ipsius, quæ tam cruente sæviat, soro-
rem equidem germanam esse, suam vero consobri-
nam; liberorum deinde communium materteram. »
His tot necessitudinibus sanguinis adjicit superstitio- 9
nem templi, quo abdita profugerit, « tantoque reli-
giosius colendos sibi Deos, quo magis his propitiis ac
faventibus vicisset: tum neque occisa illa, se virium
quicquam Cyziceno demturum, nec servaturum red-
dita. » Sed quanto Grypus abnuit, tanto soror muliebri 10

5. *Tryphæna, uxor Grypi.* Cap. 2, 3. Physconis filia, ibid. — *Cleopatram.* §. 2-3, Physconis filiam ibid., Lathuri fratris uxorem repudiatam §. 2, jam *Cyziceni* uxorem. — *Hostique... effecerit.* Eoque, ut Cyziceno, hosti sororis Tryphænæ nupserit, se effecerit hostem ejus (sororis). — *Jussit.* Aptius est, quod ex Juntina Grævius 1694, et Burm. recepe-runt, *duxit*: nihil antiquius duxit, quam requiri sororem, scilicet quam ut requireretur soror.

6. *Accusat.* Tryphæna accusat Cleopatram, cujus opera exercitus peregrini adducti sint in certamina fratrum; quæ ipsa repudiata sit a fratre §. 2, contraque matris voluntatem nupta sit (nupserit) Cyziceno extra Ægyptum (in Syria).

8. *Sororem equidem germanam.* Hoc loco bene Modius corrigit: *sororem; et quidem germanam.*

9. *Necessitudinibus.* Antiquiores typis expressi *necessitatibus*, quod hoc sensu non insolens est. ED.

pertinacia accenditur, rata, non misericordiæ hæc
verba, sed amoris esse. Itaque, vocatis ipsa militibus,
11 mittit, qui sororem confoderent. Qui ut in templum
intraverunt, quum evellere eam non possent, manus
amplexantis Deæ simulacrum præciderunt. Tunc Cleo-
patra exsecratione parricidarum, mandata violatis
12 numinibus ultione sui, decedit. Nec multo post, re-
petita prælii congressione, victor Cyzicenus uxorem
Grypi Tryphænam, quæ paullo ante sororem interfe-
cerat, capit; ejusque supplicio uxoris manibus pa-
rentavit.

1 IV. At in Ægypto Cleopatra quum gravaretur socio
regni, filio Ptolemæo, populum in eum incitat; ab-
ductaque ei Selene uxore, eo indignius, quod ex Se-
lene jam duos filios habebat, exsulare cogit, arcessito
minore filio Alexandro, et rege in locum fratris con-
2 stituto: nec filium regno expulisse contenta, bello
Cypri exsulantem persequitur. Unde pulso, interficit
ducem exercitus sui, quod vivum eum e manibus
dimisisset: quamquam Ptolemæus verecundia materni
3 belli, non viribus minor, ab insula recessisset. Igitur
Alexander, territus hac matris crudelitate, et ipse eam
reliquit, periculoso regno securam ac tutam vitam

10. *Vocatis ipsa militibus, mittit, qui. . confoderent.* Quamquam latinior est Gronovii avi correctio: *vocatos milites mittit.*

11. *Evellere.* Aptius est, quod corrigit Gron. avus *avellere.* — *Exsecratione.* Recte Gron. avus legi vult: *cum exsecrationibus.*

IV. 1. *At in Ægypto* etc. Respice cap. 3, 1-2. — *Socio... filio Ptolemæo.* Aut potius *socium, filium Ptolemæum*, ut recte corrigi vult Grævius cum Gron. avo, ut XX, 2, 12. — *Alexandro.* Scilicet Ptolemæo Alexandro I, cui Lathurus anno Urbis conditæ 640 Cypro cedere cogitur, et 646 Ægypto ipsa, jam ipse Cypro contentus ad annum usque 664, quo fratrem cum ipsius uxore occidit, sua ipsius filia. Jam ipse iterum solus regnat ad annum usque 672. Cyprum autem, quam deinde an. 690 Lathuri filius naturalis accepit, hic an. 696 mortuus legat Romanis, qui M. Catone Uticensi huc misso, insulam in provinciæ formam redigunt.

2. — Anno Urbis conditæ 640.

anteponens. Cleopatra vero timens, ne major filius 4
Ptolemæus ab Cyziceno ad reciperandam Ægyptum
auxiliis juvaretur, ingentia Grypo auxilia, et Selenen
uxorem, nupturam hosti prioris mariti mittit; Alexan- 5
drumque filium per legatos in regnum revocat : cui
quum occultis insidiis exitium machinaretur, occupata
ab eodem interficitur, spiritumque non fato, sed par-
ricidio dedit : digna prorsus hac mortis infamia, quæ 6
etiam matrem toro expulit, et duas filias viduas alterno
fratrum matrimonio fecit; et filio alteri in exsilium
acto bellum intulit, alteri, erepto regno, exitium per
insidias machinata est.

V. Sed nec Alexandro cædes tam nefanda inulta 1
fuit. Nam ubi primum compertum est, scelere filii
matrem interfectam, concursu populi in exsilium
agitur, revocatoque Ptolemæo regnum redditur : qui
neque cum matre bellum gerere voluisset, nec a fratre
armis repetere, quod prior possedisset. Dum hæc 2
aguntur, frater ejus ex pellice susceptus, cui pater
Cyrenarum regnum testamento reliquerat, herede
populo Romano instituto, decedit. Jam enim fortuna 3
Romana porrigere se ad Orientalia regna, non con-
tenta Italiæ terminis, cœperat. Itaque et ea pars Libyæ
provincia facta est : postea Creta Ciliciaque piratico

4. *Ptolemæus*. Lathurus *ab Cyziceno*, Antiocho IX Cyziceno, Syriæ rege cap. 2, 10, et cap. 3. — *Grypo*. Cujus adversarius erat Cyzicenus ille Antiochus cap. 2, 10, ab anno inde 643 ad annum usque 658, quo ille periit, et Cœle-Syria et Phœnice regno Syriæ ab hoc abreptæ, et hucusque possessæ iterum ab hoc cum Syris conjunguntur.

5. — Anno Urbis conditæ 646.

6. *Matrem toro expulit*. Respice XXXVIII, 8, 5. — *Duas... fecit*. Cap. 3, 2; cap. 4, 1. — *Filio alteri*. Lathuro §. 1. — *Bellum intulit*. §. 2. — *Alteri*. Alexandro §. 5.

V. 1. *Cædes tam nefanda*. Matris nefariæ cap. 4, 6. De cæteris vide not. ad §. 1.

2. *Frater ejus ex pellice susceptus*. Apion, Ptolemæi Philometoris an. 608 mortui, aut, ut Noster vult, Physconis an. 635 mortui, filius.

3. *Creta*. Jam an. 552 Romanis

bello perdomitæ, in formam provinciæ rediguntur.
4 Quo facto, et Syriæ et Ægypti regna, Romana vicinitate artata, quæ incrementa de finitimis bellis quærere solebant, ademto vagandi arbitrio, vires suas in per-
5 niciem mutuam converterunt: adeo ut, adsiduis præliis consumti, in contemtum finitimorum venerint;
6 prædæque Arabum genti, imbelli antea, fuerint. Quorum rex Erotimus, fiducia septingentorum filiorum, quos ex pellicibus susceperat, divisis exercitibus, nunc Ægyptum, nunc Syriam, infestabat; magnumque nomen Arabum, viribus finitimorum exsanguibus, fecerat.

tributaria, in provinciæ formam redigitur an. 686. — *Piratico bello.* A Cn. Pompeio finito an. 686.

4. *De finitimis bellis. Bello* mavult Gron. avus. — *Consumti.* Pro *consumta*, quum referendum sit ad *regna.*

6. *Erotimus.* Is. Vossius scribi vult ex Josepho *Aretas*, qui, teste Stephano, filius fuit Obadæ. De Arabibus ipsis adi Diodor. II, 48-54. — De Ægypti autem, in cujus rebus exponendis Noster substitit §. 1, fatis inde ab an. 672 (vid. not. ad cap. 4, 1) consule *mein. Histor. Handb.* vol. I, pag. 210, et not. ad prol. XL, 4-5.

LIBER XL.

I. Mutuis fratrum odiis, et mox filiis inimicitiis pa- 1
rentum succedentibus, quum inexpiabili bello et re-
ges, et regnum Syriæ consumtum esset, ad externa
populus auxilia concurrit, peregrinosque sibi reges
circumspicere cœpit. Itaque quum pars Mithridatem 2
Ponticum, pars Ptolemæum ab Ægypto arcessendum
censeret; occurreretque, quod Mithridates implicitus
bello Romano esset, Ptolemæus quoque semper hostis
fuisset Syriæ; omnes in Tigranem, regem Armeniæ, 3
consensere, instructum, præter domesticas vires, et
Parthica societate, et Mithridatis adfinitate. Igitur ac- 4
citus in regnum Syriæ, per XVIII annos tranquillissimo
regno potitus est, neque bello alium lacessere, neque
lacessitus inferre alii bellum necesse habuit.

II. Sed sicut ab hostibus tuta Syria fuit, ita terræ 1
motu vatasta est, quo centum septuaginta millia ho-
minum, et multæ urbes perierunt. Quod prodigium

I. 1. *Et mox filiis inimicitiis parentum succedentibus*. Scilicet qui inimicitiis parentum succedebant, ut lectio vulg. debet explicare. Aptiorem tamen antithesin formaveris, si ex Ald. et Junt auctoritate vocabulo *parentum* deleto, cum iisdem aliisque 5 edd. antiquis pro *filiis* legeris *filiorum*. Sic fratrum odia et filiorum inimicitiæ apte sibi opponuntur. De re ipsa, mutuis regum bellis ab an. inde 658, quo Cyzicenus Grypum occidit (XXXIX, 4, 4 not.), ad annum usque 671 continuatis, adi *mein. Histor. Handb.* vol. I, p. 273.

2. *Mithridatem*. De quo supra lib. XXXVII et XXXVIII. — *Ptolemæum*. Lathurum, in quo auctor supra XXXIX, 5, 1, substitit, qui anno demum sequente 672 est mortuus. — *Bello Romano*. Ab anno Urbis inde 666-670 per Sullam, inde ad an. 672 per hujus legatum Murænam gesto.

3. *Tigranem*. Respice XXXVIII, 3, 1 et 5. — Anno Urbis 671.

mutationem rerum portendere haruspices responde-
2 runt. Igitur Tigrane a Lucullo victo, rex Syriæ Antiochus, Cyziceni filius, ab eodem Lucullo appellatur.
3 Sed quod Lucullus dederat, postea ademit Pompeius: qui poscenti regnum respondit, « ne volenti quidem Syriæ, nedum recusanti daturum se regem, qui XVIII annos, quibus Tigranes Syriam tenuit, in angulo Ciliciæ latuerit; victo autem eodem Tigrane a Romanis,
4 alieni operis præmia postulet. Igitur, ut habenti regnum non ademerit, ita quo cesserit Tigrani, non daturum, quod tueri nesciat: ne rursus Syriam Judæo-
5 rum et Arabum latrociniis infestam reddat.» Atque ita Syriam in provinciæ formam redegit; paullatimque Oriens Romanorum, discordia consanguineorum regum, factus est.

II. 2. *Tigrane.* Mithridatis socio (cap. 1, 3), quocum Lucullus bellum gessit A. U. 680-686, ut jam supra adfuit XXXVII, 1, 8. — *Cyziceni filius.* Aut potius nepos. Hic enim Antiochus XIII, Asiaticus, Callinicus filius fuit Antiochi X, regis per annos 660-663, qui, Seleuco VI an. 659 pulso, patri Cyziceno successerat. Vide *mein. Histor. Handb.* vol. II, pag. 273-274.

3. *Regem.* Eum (Antiochum), qui. — *Octo decem annos.* Ab anno Urbis inde 671 ad an. usque 686; ergo 16, non 18 annos: ut adcuratius sit, quod exhibent edd. Med. et Bongars. 17. — *Tenuit.* Latinitas postulat *tenuerit.*

4. *Ita quo cesserit.* Vide not. ad XXXIX, 1, 2. — *Judæorum.* Qui Syriæ eripuerant Cœle-Syriam et Phœnicen, Joseph. XIV, 8. — *Arabum.* Respice XXXIX, 5, 5-6.

5. — Anno Urbis 691.

LIBER XLI.

I. PARTHI, penes quos, velut divisione orbis cum Roma- 1
nis facta, nunc Orientis imperium est, Scytharum ex-
sules fuere. Hoc etiam ipsorum vocabulo manifestatur; 2
nam Scythico sermone Parthi exsules dicuntur. Hi et 3
Assyriorum et Medorum temporibus, inter Orientis
populos obscurissimi fuere. Postea quoque quum impe- 4
rium Orientis a Medis ad Persas translatum est, veluti
vulgus sine nomine, præda victorum fuere. Postremo 5
Macedonibus, triumphato Oriente, servierunt: ut 6
cuivis mirum videatur, ad tantam eos felicitatem pro-
vectos, ut imperent gentibus, sub quarum imperio,
veluti servile vulgus, fuere. A Romanis quoque, trinis 7
bellis, per maximos duces, florentissimis temporibus
lacessiti, soli ex omnibus gentibus non pares solum,
verum etiam victores fuere: quamquam plus gloriæ 8
sit, inter Assyria et Medica Persicaque, memorata
olim regna, et opulentissimum illud mille urbium
Bactrianum imperium, emergere potuisse, quam

I. 1. *Parthi penes quos*, etc. Resp. II, 1, 3; II, 3, 6, et confer Ammian. Marcell. XXIII, 6.

2. *Exsules.* Aut potius *equites*. Faras, sive *farasch* in Hebræorum lingua est *eques*. Conf. cap. 2, 5.

3. *Assyriorum.* Quorum imperium 1300 annos durasse, supra dixerat I, 2, 13. — *Medorum.* Ad quos Assyriorum imperium traduxit Arbaces I, 3, 2.

4. *Ad Persas.* A Cyro I, 6, 17.

5. *Macedonibus... servierunt.* Respice XIII, 4, 23.

6. *Felicitatem. Per virtutem* addunt Med., Par., Bong. et Col.

7. *A Romanis quoque.* Conf. infra XLII, 4-5. — *Florentissimis temporibus.* Republica Romanorum maxime florente.

8. *Memorata.* Celebrata, celeberrima. Confer §. 3-4. — *Bactrianum.* Confer infra cap. 6, et cap. 4, 5. — *Mille urbium.* Videndus Apollo-

9 longinqua bella vicisse; præterea quum gravibus Scy-
thicis, et vicinalibus bellis adsidue vexati, variis peri-
10 culorum certaminibus urgerentur. Hi domesticis sedi-
tionibus Scythia pulsi, solitudines inter Hyrcaniam,
et Dahas, et Areos, et Spartanos, et Margianos furtim
11 occupavere. Fines deinde, non intercedentibus primo
finitimis, postea etiam prohibentibus, in tantum pro-
tulere, ut non immensa tantum jam ac profunda cam-
porum, verum etiam prærupta collium, montiumque
12 ardua occupaverint. Ex quo fit, ut Parthiæ pleraque
finium, aut æstus, aut frigoris magnitudo possideat :
quippe quum montes nix, et campos æstus infestet.
1 II. Administratio gentis post defectionem Macedo-
nici imperii sub regibus fuit. Proximus majestati re-
2 gum populorum ordo est : ex hoc duces in bello, ex
3 hoc rectores in pace habent. Sermo his inter Scy-
thicum Medicumque medius, et ex utrisque mixtus.
4 Vestis olim sui moris : posteaquam accessere opes, ut
Medis perlucida ac fluida. Armorum patrius ac Scy-
5 thicus mos. Exercitum non ut aliæ gentes liberorum,
sed majorem partem servorum habent : quorum vul-

dorus qui apud Strab. XV, pag. 686 : Εὐκρατίδας (cap. 6, 1) πόλεις χιλίους ὑφ' ἑαυτῷ εἶχε.

9. *Quum gravibus Scythicis, et vicinalibus bellis... vexati.* MSS. *quum gravibus Scythis*, etc. Scilicet quum vexarentur a Scythis, qui iis graves erant, et vicinalibus bellis. ED.

10. *Spartanos.* Legendum cum MS. Flor. *Sparnos;* coll. Strab. XI, pag. 508 : *Nomades ad sinistram maris Caspii, nunc Dahæ dicti, Sparni cognominati.*

11. *Immensa... camporum.* Cicer. Nat. Deor. II, 39, 2, *immensitates camporum;* coll. cap. 64, 6, ubi, ut h. l. sunt *immensa camporum.* — *Profunda.* Hanc vocem Pricæus corr. in *porrecta.*

12. *Parthiæ pleraque finium.* Longe major Parthiæ pars urgetur aut æstu, aut frigore, quum montes nive, campi æstu infestentur.

II. 1. *Post defectionem.* Quum defecissent a Macedonico imperio. — Anno Urbis 698.

2. *Populorum.* Gronov. avus corrigit *optimatum;* coll. XLII, 5, 2, et I, 9, 18.

4. *Perlucida.* Serica, teste Procopio. — *Fluida.* Quæ est Tacito Germ. 17, *fluitans*, et Lucano VIII, 267, *laxæ vestes et fluxa velamenta.*

5. *Servorum.* Ald., Junt. et unus MS. probante Is. Vossio et Grævio,

gus, nulli manumittendi potestate permissa, ac per
hoc omnibus servis nascentibus, in dies crescit. Hos
pari ac liberos suos cura habent: et equitare, et sagit-
tare magna industria docent. Locupletissimus ut quis- 6
que est, ita plures in bello equites regi suo præbet.
Denique Antonio, bellum Parthis inferenti, quum
quinquaginta millia equitum occurrerent, soli cccc
liberi fuere. Cominus in acie præliari, aut obsessas 7
expugnare urbes nesciunt. Pugnant aut procurrenti-
bus equis, aut terga dantibus: sæpe etiam fugam simu-
lant, ut incautiores adversum vulnera insequentes
habeant. Signum his in prælio non tuba, sed tympano 8
datur. Nec pugnare diu possunt: cæterum intolerandi
forent, si, quantus his impetus est, vis tanta et per-
severantia esset. Plerumque in ipso ardore certaminis 9
prælia deserunt, ac paullo post pugnam ex fuga repe-
tunt, ut, quum maxime vicisse te putes, tunc tibi dis-
crimen subeundum sit. Munimentum ipsis equisque 10

servitiorum, ut XIII, 6, 3, *et matrimonia* pro *uxoribus*. Vid. ind. — *Equitare*. Quomodo Persæ apud Herodot. I, 136, pueros tria docent, *equitare, arcum tendere, vera loqui*.

6. *Locupletissimus... regi suo præbet*. Plane ut Hungarorum nobiles regi suo. — *Antonio*. Infra XLII, 5, 3. — *Quadringenti*. Variant libri in numero 400, 300, 800, 450.

7. *Expugnare urbes, nesciunt*. Lucan. VIII, vers. 377:

Non aries illis, non ulla est machina belli:
Haud fossas implere valent: Parthoque sequente
Murus erit, quodcumque potest obstare sagittæ.

Tacit. XII, 45, 4: *Nihil tam ignarum barbaris, quam machinamenta et astus oppugnationum*. ED. — *Fugam simulant*. Hinc miles Romanus timet sagittas et celerem fugam Parthi apud Horat. carm. II, 13, 17. — Cæterum hoc astutæ fugæ genus tribuit etiam Ætolis Thucydides III, 15, 18; Persis Xenophon Exp. Cyr. III; Thessalis Curtius III, 11, 26; Germanis et præcipue Cattis Tacit. I, 56, 8, et Germ. 6, 8. Homerus quoque Iliad. VIII, 108, hoc nomine Æneam commendat, *μήστωρα φόβοιο*, *fugienti rite peritum* appellans. ED.

8. *Nec... esset*. Quales et hodie Turcæ. — *Si, quantus... esset*. Codex Leidensis, *si quanta his impetu vis, tanta et pertinacia esset*. Curt. IV, 55: *Temeritas est, quam adhuc pro virtute timuistis: quæ ubi primum impetum effudit, quasi quædam animalia, amisso aculeo torpet*. ED.

10. *Equisque loricæ plumatæ*. Ut Virg. Æn. XI, 770. — Hoc est ex laminis ferreis in modum plumæ

loricæ plumatæ sunt, quæ utrumque toto corpore tegunt. Auri argentique nullus nisi in armis usus.
1 III. Uxores dulcedine variæ libidinis singuli plures
habent : nec ullà delicta àdulterio gravius vindicant.
2 Quamobrem feminis non convivia tantum virorum,
3 verum etiam conspectum interdicunt. Carne non nisi
4 venatibus quæsita vescuntur. Equis omni tempore
vectantur : illis bella, illis convivia, illis publica ac
privata officia obeunt : super illos ire, consistere,
mercari, colloqui. Hoc denique discrimen inter servos
liberosque est, quod servi pedibus, liberi non nisi
5 equis incedunt. Sepultura vulgo, aut avium, aut ca-
num laniatus est. Nuda demum ossa terra obruunt.
6 In superstitionibus atque cura Deorum præcipua am-
7 nibus veneratio est. Ingenia genti tumida, seditiosa,
fraudulenta, procacia : quippe violentiam viris, man-
8 suetudinem mulieribus adsignant. Semper aut in ex-
ternos, aut in domesticos motus inquieti : natura

factis consertæ. Virg. Æn. XI, 770 :

Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis,
In plumam squammis auro conserta tegebat.

— *Utrumque toto corpore tegunt.* Equi etiam ferro usque ad ungulas tegebantur : ideo Claudianus :

... Credas simulacra moveri
Ferrea, cognatoque viros spirare metallo,
Par vestitus equis... ED.

III. 1. *Uxores* etc. Singuli viri habent plures uxores, quum dulcis sit ipsis libido Veneris modo in hac, modo in illa exercenda et explenda. — *Nec ulla delicta adulterio gravius vindicant.* Tacit. Germ. 19 : *Paucissima in tam numerosa gente adulteria : quorum pœna præsens et maritis permissa. Accisis crinibus, nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit : publicatæ enim pudicitiæ nulla venia; non forma, non ætate non opibus maritum invenerit : nemo illic vitia ridet; nec corrumpere aut corrumpi sæculum vocatur.* ED.

2. *Convivia... interdicunt.* Confer VII, 3, 3. — Videndus etiam Tacit. Germ. 19 : *Ergo septæ* (mulieres) *pudicitia agunt, nullis conviviorum irritationibus corruptæ.* ED.

4. *Illis.* Scil. illis vectati, vecti.

5. *Avium... laniatus.* Non Parthorum hic mos fuit, sed Hyrcanorum, et, teste Herodoto, Persarum I, 140; coll. Cic. Tusc. I, 44 et 45. — *Obruunt.* Edd. 4, ant. *obruuntur*, non male, præcedente verbo *est.*

6. *Amnibus.* Ita pro *omnibus* correxi cum Gron. avo (Observat. 4, 10) hoc sensu : præcipue amnes venerantur.

taciti : ad faciendum, quam ad dicendum promtiores : proinde secunda adversaque silentio tegunt.
Principibus metu, non pudore parent : in libidinem 9
projecti, in cibum parci. Fides dictis promissisque 10
nulla, nisi quatenus expedit.

IV. Post mortem Alexandri Magni, quum inter suc- 1
cessores ejus Orientis regna dividerentur, nullo Macedonum dignante Parthorum imperium, Stasanori,
externo socio, traditur. Hi postea, diductis Macedo- 2
nibus in bellum civile, cum cæteris superioris Asiæ populis Eumenem sequuti sunt : quo victo, ad Antigonum transiere. Post hunc a Nicatore Seleuco, ac 3
mox ab Antiocho et successoribus ejus possessi : a cujus pronepote Seleuco primum defecere, primo Punico bello, L. Manlio Vulsone, M. Attilio Regulo consulibus. Hujus defectionis impunitatem illis duo- 4
rum fratrum regum, Seleuci et Antiochi, discordia dedit : qui, dum sibi invicem eripere regnum volunt,
persequi defectores omiserunt. Eodem tempore etiam 5

IV. 1. *Stasanori.* Confer supra XIII, 4, 22, ubi tamen huic traditos fuisse refert Drancas et Areos, Nicanori autem Parthos §. 23. Ab Alexandro ipso Andragoram, Persarum nobilem, Parthis præfectum tradiderat XII, 4, 12. — A. U. 430.

2. *In bellum civile.* Conf. XII, 15, 6; XIII, 1, 15; inprimis XIII, 6, ubi §. 8, vides partium principes, Antigonum et Perdiccam, et huic quidem §. 14, Eumenem addictum, de quo victo et occiso XIV, 3, 12, et cap. 4, 21. — Anno Urbis 438.

3. *Nicatore Seleuco.* De quo XV, 4. — *Antiocho.* Seleuci filio et successore, Syriæ rege per annos 473-493, de quo ind. nr. 2. Seleucus II autem Gallinicus, cum fratre Antiocho *Hierace* bellum gerens (XXVII, 2, 6), filius Antiochi II, nepos Antiochi I, pronepos fuit Seleuci Nicatoris : adeo ut pronomen *cujus* ad hunc sit referendum, non ad proxime præcedentem Antiochum. Jam quum regnaril per annos 508-528, consules illi Romani A. U. 503 (vid. Freinsh. suppl. Livii XVIII, 50) nec incidunt in hujus regnum, neque sub hoc demum Parthi a Syris defecerunt, sed jam ab hujus patre, Antiocho II defecerant an. 498, duce Arsace §. 6. Conf. Ammian. Marcell. XXIII, 6; Tacil. Hist. V, 8, 4. — *Bellum Punicum primum.* Gestum per annos 489-512.

5. *Eodem tempore.* A. U. 499,

Theodotus, mille urbium Bactrianarum præfectus,
defecit, regemque se appellari jussit: quod exemplum
sequuti totius Orientis populi a Macedonibus defecere.
6 Erat eo tempore Arsaces, vir, sicut incertæ originis,
7 ita virtutis expertæ. Hic solitus latrociniis et rapto
vivere, accepta opinione, Seleucum a Gallis in Asia
victum, solutus regis metu, cum prædonum manu
Parthos ingressus, præfectum eorum Andragoram
8 oppressit; sublatoque eo, imperium gentis invasit. Non
magno deinde post tempore, Hyrcanorum quoque
regnum occupavit: atque ita duarum civitatium im-
perio præditus, grandem exercitum parat, metu Se-
9 leuci et Theodoti, Bactrianorum regis. Sed cito, morte
Theodoti, metu liberatus, cum filio ejus et ipso Theo-
doto fœdus ac pacem fecit: nec multo post cum Se-
leuco rege, ad defectores persequendos veniente, con-
gressus, victor fuit: quem diem Parthi exinde solen-
nem, velut initium libertatis, observant.
1 V. Revocato deinde Seleuco novis motibus in Asiam,
dato laxamento, regnum Parthicum format, militem
2 legit, castella munit, civitates firmat. Urbem quoque,
nomine Daram, in monte Zapaortenon condit: cujus
loci ea conditio est, ut neque munitius quicquam esse,
3 neque amœnius possit. Ita enim et præruptis rupibus
undique cingitur, ut tutela loci nullis defensoribus
egeat: et soli circumjacentis tanta ubertas est, ut pro-

Theodotus, gente Græcus, Bactrianum regnum condit e provinciis Parthico imperio abreptis, Bactriana, Sogdiana et Chorasmia.

6. *Incertæ originis.* Ex semine *Chaichosrou*, id est, Cyri, ut ait Chronicon Persicum.

7. *Opinione.* Fama, vid. ind. — *Gallis.* Fratris Hieracis mercenariis XXVII, 2, 10. — Anno Urbis 511.

8. *Hyrcanorum regnum.* Hyrcaniam hujus demum successor, Arsaces II, sive Tiridates occupavit A. U. 517, quum auctor imperii jam an. 500 obiisset.

9. *Et ipso Theodoto.* Qui quidem (filius) et ipse Theodotus erat, sive nominabatur. — Anno Urbis conditæ 511.

V. 2. *Zapaortenon.* In Hyrcania.

priis opibus expleatur. Jam fontium ac sylvarum ea 4
copia est, ut et aquarum abundantia irrigetur, et ve-
nationum voluptatibus exornetur. Sic Arsaces, quæ- 5
sito simul constitutoque regno, non minus memora-
bilis Parthis, quam Persis Cyrus, Macedonibus Alexan-
der, Romanis Romulus, matura senectute, decedit.
Cujus memoriæ hunc honorem Parthi tribuerunt, ut 6
omnes exinde reges suos Arsacis nomine nuncupent.
Hujus filius et successor regni, Arsaces et ipse no- 7
mine, adversus Antiochum, Seleuci filium, centum
millibus peditum, et xx millibus equitum instructum,
mira virtute pugnavit; ad postremum in societatem
ejus adsumtus est. Tertius Parthis rex Priăpatius fuit, 8
sed et ipse Arsaces dictus. Nam, sicut supra dictum est,
omnes reges suos hoc nomine, secuti Romani Cæsares
Augustosque cognominavere. Hic actis in regno quin- 9
decim annis decessit, relictis duobus filiis, Mithridate
et Phrahate, quorum major Phrahates, more gentis,
heres regni, Mardos, validam gentem, bello domuit;
nec multo post decessit, multis filiis relictis: quibus 10
præteritis, fratri potissimum Mithridati, insignis vir-

4. *Jam*. Hæc vocula servit transitioni; est igitur *porro;* ut pejor sit lectio Ald. et Junt. *nam*. — Noster supra IV, 1, 16, in descriptione Siciliæ: *Jam ipsa Italiæ Siciliæque vicinitas, jam promontoriorum altitudo ipsa ita similis est*, etc. ED.

5. *Sic Arsaces*, etc. Ut supra cap. 4, 3, sic et hoc loco a cæteris historicis discedit Justinus. Illi enim Arsacen anno Urbis conditæ 498 regni conditorem decessisse tradunt jam an. 500.

7. *Successor regni*, *Arsaces*. Arsaces II, Tiridates an. 500-537. Quo tempore quum in Syria regnarit Antiochus Deus 493-508, Seleucus II Callinicus 508-528, Seleucus III 528-531, Antiochus M. 531-567; intelligendus est hoc loco Antiochus M. Seleuci III frater, Seleuci II filius. Hic autem an. demum 540 eripere conatus est Mediam orientalem non huic Arsaci, sed hujus successori Artabano I (537-545). Ergo Priapatius non tertius, sed quartus fuit rex per an. 545-560.

8. *Supra*. §. 6. — *Octavianus*. Cognominari cœpit *Augustus* A. U. 726. Vid. Horatii Vitam in editione mea pag. 45, §. 59. Videndus etiam Eutrop. IX, 14.

9. — Anno Urbis 545-560.

tutis viro, reliquit imperium, plus regio, quam patrio
deberi nomini ratus; potiusque patriæ, quam liberis
consulendum.

1 VI. Eodem ferme tempore, sicuti in Parthis Mithri-
dates, ita in Bactris Eucratides, magni uterque viri,
2 regna ineunt. Sed Parthorum fortuna felicior ad sum-
3 mum, hoc duce, imperii fastigium eos perduxit. Bac-
triani autem per varia bella jactati, non regnum tan-
tum, verum etiam libertatem amiserunt: siquidem
Sogdianorum et Drangianorum Indorumque bellis
fatigati, ad postremum ab invalidioribus Parthis, velut
4 exsangues, oppressi sunt. Multa tamen Eucratides
bellà magna virtute gessit: quibus attritus, quum ob-
sidionem Demetrii, regis Indorum, pateretur, cum
CCC militibus, LX millia hostium adsiduis eruptioni-
bus vicit. Quinto itaque mense liberatus, Indiam in
5 potestatem redegit. Unde quum se reciperet, a filio,
quem socium regni fecerat, in itinere interficitur: qui,
non dissimulato parricidio, velut hostem, non patrem
interfecisset, et per sanguinem ejus currum egit, et
6 corpus abjici insepultum jussit. Dum hæc apud Bac-
tròs geruntur, interim inter Parthos et Medos bellum
oritur. Quum varius utriusque populi casus fuisset,
7 ad postremum victoria penes Parthos fuit. His viribus
auctus Mithridates, Mediæ Bacasin præponit; ipse in
8 Hyrcaniam proficiscitur. Unde reversus bellum cum
Elymæorum rege gessit: quo victo, hanc quoque gen-

10. *Plus regio, quam patrio deberi nomini ratus.* Tacit. I, 42, 1: *Non mihi uxor aut filius patre et republica cariores sunt.* — A. U. 580-617.

VI. 1. *Bactris.* Respice cap. 4, 5. — Anno Urbis 573.

3. *Sogdianorum.* Vide ind. — *Drangianorum.* Quos Diod. XVII, 78, ab Alexandro refert subactos, qui eodem hos nomine vocat, quo hoc loco eos exhibent edd. Junt. et Ald., quum in cæteris sint *Drangaritani, Dranganitani.* — *Ab invalidioribus Parthis.* Possis tamen etiam explicare a Parthis, qui invaluerant, convaluerant, validi facti fuerant.

5. *Per sanguinem... egit.* Confer. Liv. I, 48; Flor. I, 7, 3.

tem regno adjecit, imperiumque Parthorum a monte Caucaso, multis populis in ditionem redactis, usque ad flumen Euphratem protulit. Atque ita adversa vale- 9 tudine correptus, non minor Arsace proavo, gloriosa senectute decedit.

8. *Protulit.* A Sina inde septemtrionali et occidentali, et Indo fluvio, ad Euphratem usque et sinum Persicum.

9. *Correptus.* Sic Ald., Junt. et unus cod. ut supra XXVIII, 3, 2, *infirmitate correptus decedit.* Vulg. *arreptus.* — *Proavo.* Aut potius *abavo.* Vid. ad cap. 5, 8, ex hoc stemmate: 1, Arsaces. — 2, Tiridates. — 3, Artabanus I. — 4, Priapatius. — 5, Phrahates, et Mithridates hoc loco. — *Decedit. Decessit* editio Med., Ven., Col. bene, quum præcedat *adjecit, protulit.* — Anno Urbis conditæ 617.

LIBER XLII.

1 I. Post necem Mithridatis, Parthorum regis, Phra-
hates filius ejus, rex constituitur : qui quum inferre
bellum, in ultionem tentati ab Antiocho Parthici regni,
Syriæ statuisset, Scytharum motibus ad sua defen-
2 denda revocatur. Namque Scythæ in auxilium Partho-
rum adversus Antiochum, Syriæ regem, mercede so-
licitati, quum, confecto jam bello, supervenissent, et,
calumnia tardius lati auxilii, mercede fraudarentur :
dolentes tantum iis itineris frustra emensum, quum
vel stipendium pro vexatione, vel alium hostem dari
sibi poscerent, superbo responso offensi, fines Par-
3 thorum vastare cœperunt. Igitur Phrahates, quum
adversus eos proficisceretur, ad tutelam regni reliquit
Himerum quendam, pueritiæ sibi flore conciliatum :
qui tyrannica crudelitate, oblitus et vitæ præteritæ, et
vicarii officii, Babylonios, multasque alias civitates
4 importune vexavit. Ipse autem Phrahates exercitum
Græcorum, quem bello Antiochi captum superbe

I. 1. *Post necem*. Quomodo *necem?* quum morbo et senectute decesserit XLI, 6, 9. Confudisse igitur videtur Eucratidem, Bactrorum regem, a filio interfectum cum Mithridate XLI, 6, 5. Quamquam etiam Sueton. Cæs. 5, 2 : *Post necem Lepidi consulis, quem morbo exstinctum tradit Florus* III, 23, 7; et Senec. ad Marciam 21 : *fata nobis sensum necis nostræ auferunt*. — *Phrahates*. II, Arsaces VII. — *Antiocho*. VII, Evergete, sive Sidete (resp. XXXVIII, 10), rege Syriæ 617-624.

2. *Calumnia tardius lati auxilii, mercede fraudarentur*. Scilicet, privarentur promissa mercede, quia Parthi querebantur, quod tardius ipsis tulissent auxilium. — *Iis*. Dicendum erat *sibi*. — *Quum... poscerent*. Quum peterent stipendium pro labore tolerato in itinere, vel alium sibi dari hostem, Antiocho jam victo. ED.

4. *Bello Antiochi*. Aut potius De-

crudeliterque tractaverat, in bellum secum ducit;
immemor prorsus, quod hostiles eorum animos nec
captivitas minuerat, et insuper injuriarum indignitas
exacerbaverat. Itaque quum inclinatam Parthorum 5
aciem vidissent, arma ad hostes transtulere, et diu
cupitam captivitatis ultionem, exercitus Parthici, et
ipsius Phrahatis regis cruenta cæde exsequuti sunt.

II. In hujus locum Artabanus, patruus ejus, rex sub- 1
stituitur. Scythæ autem contenti victoria, depopulata
Parthia, in patriam revertuntur. Sed Artabanus, bello 2
Thogariis illato, in brachio vulneratus, statim decedit.
Huic Mithridates filius succedit: cui res gestæ Magni 3
cognomen dedere: quippe claritatem parentum, æmu-
latione virtutis accensus, animi magnitudine super-
greditur. Multa igitur bella cum finitimis magna vir- 4
tute gessit, multosque populos Parthico regno addidit.
Sed et cum Scythis prospere aliquoties dimicavit, ul- 5
torque injuriæ parentum fuit. Ad postremum Ortoa- 6
disti, Armeniorum regi, bellum intulit. Sed quoniam 7
in Armeniam transitum facimus, origo ejus paullo
altius repetenda est. Neque enim silentio præteriri 8
tantum regnum fas est, quum fines ejus, post Par-

metrii XXXVIII, 9. — *Eorum animos... injuriarum indignitas exacerbaverat.* Injuriæ indignæ, scil. quas passi erant indigni. Exquisitior tamen est lectio cod. Med., *injuriam.*

II. 1. *Artabanus.* Sive Ardavanus. — *Patruus.* Phraatis, frater Mithridatis cap. 1, 1; coll. XLII, 6, 7, sive Arsaces VIII. — A. U. 626-630.

2. *Thogariis. Colchatariis* edd. 6 antiq. Sunt autem Thogarii, aut potius *Tocharii* gens Scytharum. Illud autem nomen derivatum videtur a Thogara, oppido Serico apud Ptolemæum; coll. Plin. VI, 17.

3. *Mithridates.* II, Arsaces IX. — *Quippe claritatem parentum... supergreditur.* Sallust. Jugurth. 85, 13: *Majorum gloria posteris quasi lumen est: neque bona neque mala in occulto patitur.* Confer etiam *J. J. Rousseau, Nouvelle Héloïse*: « *Quoique vous pensiez de moi, je serais bien fâché de n'avoir d'autres preuves de mon mérite, qu'un homme mort depuis cinq cents ans.* » — Anno Urbis 630-667.

5. *Injuriæ parentum.* Injuriæ parentibus a Scythis illatæ.

6. *Ortoadisti.* Aut potius *Artoadisti*, ut scribitur in edd. 6 antiq., qui est *Artanasdes* apud Strab. et Plutarch.

8. *Quum fines ejus.* Gronov. avus

thiam, omnium regnorum magnitudinem superent:
9 siquidem Armenia a Cappadocia usque mare Caspium
undecies centum millia patet, sed in latitudinem mil-
10 lia passuum septingenta porrigitur. Condita est autem
ab Armenio, Jasonis Thessali comite; quem quum
perditum propter insignem periculosamque regno
suo virtutem Pelias rex cuperet, denuntiata militia, in
Colchos eum abire jubet; pellemque arietis memora-
bilem gentibus reportare: sperans interitum viri, aut
ex periculis tam longæ navigationis, aut ex bello tam
11 profundæ barbariæ. Igitur Jason, divulgata opinione
tam gloriosæ expeditionis, quum ad eum certatim
principes juventutis totius ferme orbis concurrerent,
exercitum fortissimorum virorum, qui Argonautæ
12 cognominati sunt, comparavit: quem quum magnis

corrigit *cujus fines*, quod est latinius.

9. *Undecies centum millia...passuum.* 1,100,000 passus conficiunt 1,100 milliaria Romana, sive 220 Germanica (333 leucas Francicas 2,500 sexpedarum. ED.). Latitudo autem 700,000 pass. efficit 700 mill. Rom., sive 140 Germanica, 212 leucas Francicas 2,500 sexpedarum. Rideas magnitudinem quam Noster tribuit Armeniæ. ED.

10. *Perditum... cuperet.* Perdere cuperet, quippe cujus patrem Æsonem regno Pelias frater pepulerat, Apollod. I, 9, 16. — Valerius Flaccus Argon. I, vers. 29:

... super ipsius ingens
Instat fama viri, virtusque haud læta tyranno.
Ergo anteire metus, juvenemque extinguere pergit
Æsonium: letique vias ac tempora versat. ED.

— *Pellemque arietis.* Apollod. I, 9, 1.

11. *Argonautæ.* Quorum catalogum ex Apollodoro I, 9, 16, exhibui *in mein. Histor. Handb.* vol. I, pag. 306. — *Juventutis. Juventus* hic de virili ætate dicitur: unde hi ipsi mox *fortissimi viri* appellantur. Romani *juniores* ex instituto Servii ad annum 45; ultra *seniores*, Dionys. Halic. IV, 20; Liv. I, 43, 1. Huic Plinius in Paneg cap. 8, imp. Trajano *juventam* tribuit: qui tamen agebat ætatis annum 44, et cap. 22, factis tribus ætatis gradibus, inquit: *Te parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes.* Itemque cap. 69, consulatus candidatos *juvenes* vocat. Suetonio August. 34, 3, Germanicus post susceptos jam aliquot liberos *juvenis* dicitur. Adolescentiores etiam uxores *puellas* appellari patet ex Horatio, Ovidio, Seneca. Quin et Pythagoras in Diogene Laërtio virilis et constantis ætatis hominem νεανίας vocavit; et Herodianus sub init. lib., οἱ τοῦ συγκλήτου ἐπίλεκτοι νεανίαι, *senatorii ordinis lectissimi juvenes.* ED. — *Orbis.* Hyperbolice, non nisi Græciæ.

rebus gestis, incolumem reduxisset, rursus a Peliæ filiis Thessalia pulsus, magna vi cum ingenti multitudine, quæ ad famam virtutis ejus ex omnibus gentibus quotidie confluebat, comite Medea uxore, quam repudiatam miseratione exsilii rursum receperat, et Medo privigno, ab Ægeo rege Atheniensium genito, Colchos repetivit, socerumque etiam regno pulsum restituit.

III. Magna deinde bella cum finitimis gessit; cap- 1
tasque civitates partim regno soceri, ad abolendam
superioris militiæ injuriam, qua et filiam ejus Medeam
abduxerat, et filium Ægialeum interfecerat, adjunxit;
partim populis, quos secum adduxerat, adsignavit:
primusque humanorum post Herculem et Liberum, 2
qui reges Orientis fuisse traduntur, eam cæli plagam
domuisse dicitur. Populis quibusdam Recam et Am- 3
phistratum, aurigas Castoris et Pollucis, duces adsig-
navit. Cum Albanis fœdus percussit: qui Herculem ex 4
Italia ab Albano monte, quum, Geryone exstincto,

12. *Peliæ filiis.* Aut potius filio *Acasto*, ulturo necem patris Apollodor. I, 9, 27-28. — *Repudiatam.* Ducta Glauce, Creontis Corinthiorum regis filia, Apollodor. I, 9, 28, ubi addit, Medeam, gravi de Jasonis perfidia vindicta sumta, Athenas aufugisse, ibique ex rege Ægeo filio parto Medo (quem Hesiod. Theog. 1,001 ex Jasone partum vocat *Medeum*) rediisse cum filio in patriam, patrique restituisse regnum, occiso, a quo pulsus fuerat, hujus fratre Perse. Respice II, 6, 14. — *Etiam.* Faber conjicit *Æetam;* coll. XXXII, 3, 13.

III. 1. *Ægialeum.* Quem cum Apollodoro (I, 9, 24) plerique vocant *Apsyrtum*, Cicer. Natur. Deor. III, 19, 4.

2. *Humanorum.* Id est, hominum, ut h. l. Ald. habet, ut *Divus* pro *Deus.* — *Herculem et Liberum, qui reges Orientis fuisse traduntur.* Conferendus est Diodorus IV, 2-5, et 8-39.

3. *Recam.* Ita dedit ex Junt. Grævius, Ald. habet *Rhecan;* cæteræ edd. variant in *Fraudium*, *Frudium*, *Franium*, *Phrygium*, etc.

4. *Herculem*, etc. Hercules Geryone Hispaniæ rege exstincto, ejus armenta abduxit, Apollodor. II, 5, 10; Hesiod. Theog. 287; h. l. infra XLIII, 1, 9; XLIV, 4, 14. Hinc redux per Italiam, ex Albano monte secum ducit colonos in Albaniam Iberiæ ab occasu, mari Caspio ab ortu conterminam, sicuti Armeniæ ab austro. — *Bello Mithridatico.* De hoc bello respice XXXVII, 1, 8, et XL, cap. 2, 3-4.

armenta ejus per Italiam duceret, sequuti dicuntur;
quique memores Italicæ originis, exercitum Cn. Pom-
5 peii bello Mithridatico fratres salutavere. Itaque Jasoni
totus ferme Oriens, ut conditori, divinos honores
templaque constituit: quæ Parmenion, dux Alexandri
Magni, post multos annos dirui jussit, ne cujusdam
nomen in Oriente venerabilius, quam Alexandri,
6 esset. Post mortem Jasonis Medus, æmulus virtutis
ejus, in honorem matris Medeam urbem condidit;
regnumque ex nomine suo Medorum constituit, sub
7 cujus majestate Orientis postea imperium fuit. Albanis
vicinæ Amazones sunt: quarum reginam Thalestrem

5. *Jasoni... divinos honores templaque constituit.* Orientales enim servitio nati, et summi adulandi artifices, principes suos pro Diis habebant. Non confundendus tamen est vere *divinus* ille cultus, qualis Jasoni habitus fuit, cum *adoratione* quæ apud Orientales populos *civilis* tantummodo *honos* existimabatur. Hujus quidem generis ea erat *adoratio*, quam sibi a Macedonibus, Persico more, præstari voluit Alexander. « *Ne perdons jamais de vue lo grande règle de définir les termes*, inquit *Voltaire*, *Dictionnaire philosophique*, *article* ALEXANDRE : *Si vous entendez par* ADORER *invoquer un homme comme une Divinité, lui offrir de l'encens et des sacrifices, lui élever des autels et des temples, il est clair qu'Alexandre ne demanda rien de tout cela. S'il voulait qu'étant le vainqueur et le maître des Perses, on le saluât à la Persane, qu'on se prosternât devant lui dans certaines occasions, qu'on le traitât comme un roi de Perse, qu'il était; il n'y a rien là que très raisonnable et de très commun.* » Confer etiam SAINTE-CROIX, *Examen critique des Historiens d'Alexandre*, page 366 : « *Les hommages excessifs que les monarques perses paraissaient recevoir de leurs sujets, n'étaient qu'un culte relatif. Ils étaient regardés comme l'image de la Divinité; c'est pourquoi le feu les précédait immédiatement dans leurs marches de cérémonie.* » Quem quidem autem, de quo supra diximus, morem, principes sicut Deos colendi, excepere Romani, apud quos Augustus templisque arisque honorabatur: cujus tamen rei invidiam ut non nihil mitigaret, non soli sibi permisit templa statui; sed conjunctim sibi et urbi Romæ. Ita enim a communi statutum illi templum Pergami in Asia, de quo vide Tacit. Annal. IV: ubi elegantissimus Lipsius ait, etiam hodie exstare denarios cum forma ipsius templi et inscriptione COM. ASIÆ ROM. ET AUGUSTO, id est, commune Asiæ, Romæ et Augusto. ED. — *Parmenion*. Vid. ind.

6. *Medeam*. Editio Romana. *Medeæ Medeam*.

7. *Albanis vicinæ Amazones sunt.* Ut est in codice Med. — *Reginam Thalestrem.* De hac regina vide indicem.

concubitum Alexandri petisse, multi auctores prodidere. Armenius quoque et ipse Thessalus, unus de 8
numero ducum Jasonis, recollecta multitudine, quæ, amisso Jasone rege, passim vagabatur, Armeniam condit; a cujus montibus Tigris fluvius modicis primo 9
incrementis nascitur : interjecto deinde aliquanto spatio, sub terras mergitur; atque ita post quinque viginti millia passuum grande jam flumen in regione Sophene emergit; ac sic in paludes Euphratis recipitur.

IV. Igitur Mithridates, rex Parthorum, post bellum 1
Armeniæ, propter crudelitatem a senatu Parthico, regno pellitur. Frater ejus Orodes, quum regnum va- 2
cans occupasset, Babyloniam, quo Mithridates confugerat, diu obsidet; et fame coactos, in deditionem oppidanos compellit. Mithridates autem fiducia cogna- 3
tionis, ultro se in potestatem Orodis tradit. Sed Orodes 4
plus hostem, quam fratrem cogitans, in conspectu suo trucidari eum jussit : et post hæc bellum cum Romanis gessit, Crassumque imperatorem cum filio et

8. *Armenius quoque* etc. Respice cap. 2, 10.

9. *Sub terras mergitur.* Ejus modi fluminum terras subeuntium, et post longius intervallum emergentium, exempla vide apud Plinium II, 103, et III, 16; Strab. VI; Curtium VI, 4, 6, etc. ED.

IV. 1. *Igitur.* Respicit cap. 2, 6. Quæ autem sequuntur, falsa sunt et iterum a Nostro confusa, Mithridatis, ut videtur, nomine decepto. Ille enim Mithridates, in quo supra cap. 2, 6 substiterat, an. 667 mortuus, successorem habuit an. 667-678 Mnascirem, Arsacen X; Phraatis I filium; cui successit an. 678-685 Sinatroces, Arsaces XI, Phraatis II filius; cujus filius an. 685-693 Phrahates III, Arsaces XII, successorem habuit filium et parricidam an. 693-700 Mithridatem III, Arsacen XIII, occisum a fratre an. 700-717 Orode I, Arsace XIV.

4. *Crassum.* M. Licinium *Crassum*, an. 698 consulem; ab an. inde 699 Syriæ proconsulem; unde quum in Parthos movisset; anni 700 æstate media cæsus est cum omni fere exercitu, Cic. Divin. 1, 16; II, 9; Vell. II, 46; Flor. III, 11; Ovid. Fast. VI, 465; Plutarch. in vita Crassi. De C. Cassio confer quæ dixi in præf. libro XI Cic. ad div. præmissam a me nr. III. — Confer etiam *Bossuet, Discours sur l'Histoire universelle, I part., 9 époque : « Les immenses richesses de Crassus lui firent croire qu'il pourrait partager la gloire de ces deux grands hommes* (Jules

5 omni exercitu Romano delevit. Hujus filius Pacorus,
missus ad persequendas Romani belli reliquias, magnis
rebus in Syria gestis, in Parthiam patri suspectus
revocatur: quo absente, exercitus Parthorum relictus
in Syria, a Cassio, quæstore Crassi, cum omnibus du-
6 cibus trucidatur. His ita gestis, non magno post tem-
pore, Romanis inter Cæsarem Pompeiumque civile
bellum oritur: in quo Parthi Pompeianarum partium
fuere, et propter amicitiam cum Pompeio bello Mi-
thridatico junctam, et propter Crassi necem, cujus
filium in partibus Cæsaris esse audierant: quem ulto-
rem patris, victore Cæsare, futurum non dubitabant.
7 Itaque victis partibus Pompeianis, et Cassio et Bruto
auxilia adversus Augustum et Antoniuum misere: et
post belli finem rursum, Pacoro duce, inita cum La-
bieno societate, Syriam et Asiam vastavere; castraque
Ventidii, qui (post Cassium) absente Pacoro, exerci-
tum Parthicum fuderat, magna mole adgrediuntur.
8 Sed ille, simulato timore, diu continuit se, et insultare

César et Pompée), *comme il partageait leur autorité. Il entreprit témérairement la guerre contre les Parthes, funeste à lui et à sa patrie. Les Arsacides vainqueurs insultèrent par de cruelles railleries à l'ambition des Romains, et à l'avarice insatiable de leur général.* ED.

6. *Mithridatico.* Cap. 3, 4. — *Filium.* M. Crassum; alter enim Publins cnm patre perierat §. 4, et Plutarch. in vita Crassi cap. a6. — Anno Urbis 702-704.

7. *Victis partibus Pompeianis.* Victo Pompeio a Cæsare in campis Pharsalicis an. 705, cum Cassius et Brutus, occiso Cæsare an. 709, contra Octavianum (Augustum), Antonium et Lepidum triumviros, partes reipublicæ suscepissent an. 710-711. Vid. Cic. ad div. XI, et quæ ibi in Præf. dixi nr. II et III. — *Ventidii.* Loco humili nati, quem mater, bello sociali a Pompeio capta, ante currum imperatoris triumphantis in sinn tulit; quique ex sordidissimis muneribus ad consulatum evectus fuit. Ideo Tacit. Germ. 37, 7: *infra Ventidium dejectus Oriens*, abjectum Orientis statum abjectissima dominatoris ignobilitate amplificans. ED. — *Labieno.* T. Labiennm Brutus antea miserat ad Parthorum auxilia solicitanda: quo an. 711 occiso, ipse reip. partes contra triumviros sustentans, bellum continuat contra Ventidium, Antonii legatum.

8. *Simulato timore.* Captus arte sua Parthus: nam, ut ait Florus IV,

Parthos aliquantisper passus est. Ad postremum in securos lætosque partem legionum emisit : quarum impetu fusi Parthi, in diversa abiere. Pacorus quum 9
fugientes suos abduxisse secum legiones Romanas putaret, castra Ventidii, velut sine defensoribus, adgreditur. Tum Ventidius, reliqua parte legionum emissa, 10
universam Parthorum manum cum rege ipso Pacoro interfecit; nec ullo bello Parthi unquam majus vulnus acceperunt. Hæc quum in Parthia nuntiata essent, 11
Orodes, pater Pacori, qui paullo ante vastatam Syriam, occupatam Asiam a Parthis audierat, victoremque Pacorum Romanorum gloriabatur, repente filii morte, et exercitus clade audita, ex dolore in furorem vertitur. Multis diebus non adloqui quenquam, 12
non cibum sumere, non vocem emittere, ita ut etiam mutus factus videretur. Post multos deinde dies, ubi 13
dolor vocem laxaverat, nihil aliud, quam Pacorum vocabat : Pacorus illi videri, Pacorus audiri videbatur; cum illo loqui, cum illo consistere, interdum quasi amissum flebiliter dolebat. Post longum deinde luc- 14
tum, alia solicitudo miserandum senem invadit, quem ex numero xxx filiorum in locum Pacori regem

10, 3 : *Ea gens præter armorum fiduciam callida, simulat trepidationem.* Confer Cæsarem de Bello Gall. III, 18 et 19, ubi ejusdem strategematis exemplum insigne invenitur. ED.

9. *Pacorus quum fugientes* etc. Quum, ut Pacorus putabat, legiones Romanas Parthi fugientes, sive fugati secum abduxissent, id est, quum legiones Romanæ Parthos fugatos longius essent persequutæ, castraque sine præsidiis relicta esse putaret Pacorus : quod non erat, quum non nisi partem exercitus sui Ventidius emisisset ad hostem persequendum.

10. *Rege.* Regis Orodis filio §. 11. — Anno Urbis 715.

13. *Pacorus illi videri, Pacorus audiri videbatur.* Conf. Virg. Æneid. IX, vers. 474, ubi mater Euryali, audita filii nece, cum gemitu fletibusque evolat, luctu externata. Confer etiam lib. X, sub fine, quum Lausi examinis corpus a comitibus super arma patri refertur :

Agnovit longe gemitum præsaga mali mens ;
Canitiem multo deformat pulvere, et ambas
Ad cælum tendit palmas, et corpore inhæret. ED.

— Idem Virgil. Æneid. IV, vers. 83, de Didone :

... illum absens absentem auditque videtque. ED.

15 destinet. Multæ pellices, ex quibus generata tanta ju-
ventus erat, pro suis quæque solicitatæ, animum senis
16 obsidebant. Sed fatum Parthiæ fecit, in qua jam quasi
solenne est reges parricidas habere, ut sceleratissi-
mus omnium, et ipse Phrahates nomine, rex statue-
retur.

1 V. Itaque statim, quasi nollet mori, patrem inter-
fecit; fratres quoque xxx trucidat: sed nec in filiis
2 cessant parricidia. Nam, quum infestos sibi optimates
propter adsidua scelera videret, ne esset, qui nomi-
3 nari rex posset, adultum filium interfici jubet. Huic
Antonius, propter auxilium adversus se et Cæsarem
latum, bellum cum sedecim validissimis legionibus
intulit: sed graviter multis præliis vexatus, a Parthia
4 refugit. Qua victoria insolentior Phrahates redditus,
quum multa crudeliter consuleret, in exsilium a po-
5 pulo suo pellitur. Itaque cum magno tempore finiti-
mas civitates, ad postremum Scythas precibus fatigas-
set, Scytharum maximo auxilio in regnum restituitur.
6 Hoc absente, regem Parthi Tiridatem quendam consti-
tuerant: qui, audito adventu Scytharum, cum magna
amicorum manu ad Cæsarem, in Hispaniam bellum

14. *Destinet.* Cujus glossa *constituat* est in edd. 6 ant.

16. *Parricidas... reges.* De quibus, laudanda indignatione expressa illa sententia invenitur apud *Crébillon*, *Rhadamiste*, *act. III*:

Ah! doit-on hériter de ceux qu'on assassine! sc.

— *Phrahates.* IV, Arsaces XV per annos 717-757. — *Fecit.* Gronovius conjicit *fuit.*

V. 3. *Antonius.* Triumvir, qui in divisione imperii in aliis Syriam acceperat. De re respice cap. 4, 6, et confer Plutarch. in Anton.; Flor. IV, 10; Eutr. VII, 7; Liv. Epit. CXXX. — Anno Urbis 718.

4. *A populo suo pellitur.* Aut potius Tiridate, uno ex optimatibus, sive ut Hungari loqui solent, Magnatibus §. 6.

5. *Maximo.* Freinsh. mavult *maxime.* — Anno Urbis 727.

6. *Cæsarem.* Augustum cap. 4, 7. Profugit in Hispaniam ad Cæsarem bellum tunc (ibi) gerentem: quamquam in hac horum verborum positione præferrem cum Fabro *in Hispania*, qui ablativus dependeat a *gerentem.*

tunc temporis gerentem, profugit, obsidem Cæsari
minimum filium Phrahatis ferens: quem negligentius
custoditum rapuerat. Quo cognito, Phrahates legatos 7
statim ad Cæsarem mittit, « servum suum Tiridatem,
et filium remitti sibi » postulat. Cæsar, et legatione 8
Phrahatis audita, et Tiridatis postulatis cognitis (nam
et ipse restitui in regnum desiderabat, juris Romanorum
futuram Parthiam adfirmans, si ejus regnum
muneris eorum fuisset), neque Tiridatem dediturum
se Parthis dixit, neque adversus Parthos Tiridati
auxilia daturum. Ne tamen per omnia nihil a Cæsare 9
obtentum videretur, Phrahati filium sine pretio remisit;
et Tiridati, quoad manere apud Romanos vellet,
opulentum sumtum præberi jussit. Post hæc finito 10
Hispaniensi bello, quum in Syriam ad componendum
Orientis statum venisset, metum Phrahati incussit,
ne bellum Parthiæ vellet inferre. Itaque tota Parthia 11
captivi ex Crassiano, sive Antonii exercitu recollecti,
signaque cum his militaria Augusto remissa. Sed et
filii nepotesque Phrahatis obsides Augusto dati: plusque
Cæsar magnitudine nominis sui fecit, quam armis
alius imperator facere potuisset.

8. *Nam et ipse restitui in regnum... muneris eorum fuisset.* Nam et Tiridates cupiebat in regnum ab Augusto restitui, cui simul adfirmabat, Parthiam futuram esse juris Romanorum, id est, se ex legibus Romanorum administraturum esse Parthiam, si per eos in regnum restitutus fuisset.

10. *Quum... venisset.* Augustus quum per triennium (726-728) in Hispania fuisset moratus; an. 729 inde Romam rediit. Deinde Siciliæ et Græciæ rebus per annos 731 et 732 constitutis, an. 733 Samo, ubi hyemaverat, progressus Asiam, Bithyniam et Syriam invisit. — *Incussit.* Glossa, ut videtur, verbi, quod editiones 7 antiq. habent, *injunxit*, quo sensu *injungere injuriam*, *detrimentum*, *inimicos* apud Ciceronem et Livium.

11. *Crassiano, sive Antonii exercitu.* Cap. 4, 4; cap. 5, 3. — *Magnitudine nominis sui.* Hoc est *fama bella profligare*, ut apud Tacitum Germ. 13. *Bossuet, Oraison funèbre du prince de Condé : « Son ombre eût pu encore gagner des batailles. »* ED. — Anno Urbis conditæ 733.

LIBER XLIII.

1 I. Parthicis, Orientalibusque, ac totius propemodum
orbis rebus explicitis, ad initia Romanæ urbis Trogus,
velut post longam peregrinationem, domum revertitur,
ingrati civis (officium) existimans, si, quum omnium
gentium res gestas illustraverit, de sola patria
2 taceat. Breviter igitur initia Romani imperii perstringit:
ut nec modum propositi operis excedat, nec
utique originem urbis, quæ est caput totius orbis,
3 silentio prætermittat. Italiæ cultores primi Aborigines
fuere: quorum rex Saturnus tantæ justitiæ fuisse traditur,
ut neque servierit sub illo quisquam, neque
quicquam privatæ rei habuerit: sed omnia communia
et indivisa omnibus fuerint, veluti unum cunctis pa-
4 trimonium esset. Ob cujus exempli memoriam cautum
est, ut Saturnalibus, exæquato omnium jure, passim

I. 1. *Explicitis*. *Expeditis*, quod elegantius est, ex edd. vett. receperunt Grævius, Gronov. nepos et Burm. — *Officium*. Uncis inclusi, quum non sit *officium* civis ingrati de patria tacere, sed *indicium*, quod pro illo vult substitui Freinsheimius: utrumque autem vocabulum in hujusmodi rerum contextu Latini non solent ponere, sed intelligere.

2. *Modum*. Fines.

3. *Aborigines*. De quibus adi Heynium ad Virgil. Æn. VII, exc. 8; et Æn. VIII, exc. 1 et 2. — *Saturnus*. Qui Creta a filiis pulsus, in Latiumque devectus, a Jano consors regni est exceptus, Virg. Æneid. VIII, 319 seqq. — *Omnia communia et indivisa*. Virg. Georg. I, principio:

Ante jovem nulli subigebant arva coloni:
Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat; in medium quærebant, ipsaque tellus
Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.

Tibull. I, 3, 43, de hoc eodem Saturnio regno:

Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris
Qui regeret certis finibus arva lapis. ED.

4. *Saturnalibus*. A. U. 257 Romæ institutis, per 5 aut 7 dies medio mense Decembre celebratis, de quibus adi Nieuporti Antiq. Rom. pag. 195, et Macrobii Saturnalia 1, 7.

in conviviis servi cum dominis recumbant. Itaque 5
Italia, regis nomine, Saturnia appellata est; et mons,
in quo habitabat, Saturnius : in quo nunc, veluti a
Jove pulso sedibus suis Saturno, Capitolium est. Post 6
hunc tertio loco regnasse Faunum ferunt, sub quo
Evander, ab Arcadiæ urbe Pallanteo, in Italiam cum
mediocri turba popularium venit: cui Faunus et agros
et montem, quem ille postea Palatium appellavit,
benigne adsignavit. In hujus radicibus templum Ly- 7
ceo, quem Græci Pana, Romani Lupercum appellant,
constituit : ipsum Dei simulacrum nudum caprina
pelle amictum est, quo habitu nunc Romæ Lupercalibus decurritur. Fauno fuit uxor nomine Fatua, quæ 8
adsidue divino spiritu impleta, velut per furorem,
futura præmonebat. Unde adhuc, qui inspirari solent,
fatuari dicuntur. Ex filia Fauni et Hercule, qui eodem 9
tempore, exstincto Geryone, armenta, victoriæ præmia, per Italiam ducebat, stupro conceptus Latinus

5. *In quo habitabat.* Edd. 6 ant. *quem inhabitabat.*

6. *Tertio loco... Faunum.* Jano enim (not. ad §. 3) successit Picus, cujus filius Faunus, Virgil. Æneid. VII, 45 seqq. Illic vers. 47 Fauni et Maricæ nymphæ filius Latinus, qui h. l. §. 9. Fauni est nepos. — *Palatium.* Ita dedit Græv. 1701, et Gronov. nepos ex Bong., quum edd. 7 ant. exhibeant *Palatinum;* unus cod *Palantinum*, unde Burm. finxit *Pallantium*, scil. *Palantium*, quod dedit Græv. 1694 ex Festo, qui : Palantium, inquit, mons Romæ appellatus est vel a *balare*, vel a *palare*, id est errare, vel a *Palanto*, Hyperborei filia, quæ ex Hercule Latinum peperit. Virg. Æn. VIII, 50-54 :

Arcades his oris, genus a Pallante profectum,
Qui regem Evandrum comites, qui signa sequuti
Delegere locum, et posuere in montibus urbem,
Pallantis proavi de nomine Pallanteum.

7. *In hujus radicibus templum Lyceo*, etc. Gelida sub rupe (sub monte Palatino, Liv. I, 5; Dion. I, 32) Lupercal, *Parrhasio dictum Panos de more Lycæi*, Virgil. Æn. VIII, 343. *Lycæus* recte scribitur derivatum a Lycæa, Arcadiæ urbe, Lycæo, Arcadiæ monte (Pausan. VIII, 2, et 38); *Lyceus* autem, Λύκειος, derivatum a λύκος, lupus.

8. *Præmonebat.* Duo codd. *præcinebat*, quod probat Gronov. avus. Conf. ind. in *canere*. De furore vatum divino spiritu impletorum conf. v. c. Virg. Æn. VI, 100-102 et 262. *J. B. Rousseau, odes*, lib. III, 1, loco jam supra laudato. ED.

9. *Exstincto Geryone.* Respice XLII, 3, 4.

10 procreatur. Quo tenente regnum, Æneas ab Ilio,
Troja a Græcis expugnata, in Italiam venit: statimque
bello exceptus, quum in aciem exercitum eduxisset,
ad colloquium vocatus, tantam admirationem sui La-
tino præbuit, ut et in societatem regni reciperetur,
et, Lavinia in matrimonium ei data, gener adscisce-
11 retur. Post hæc commune utrique bellum adversus
Turnum, Rutulorum regem, propter fraudatas Laviniæ
nuptias fuit: in quo et Turnus et Latinus interierunt.
12 Igitur quum Æneas jure victoriæ utroque populo po-
tiretur, urbem ex nomine uxoris Lavinium condidit.
13 Bellum deinde adversus Mezentium, regem Etrusco-
rum, gessit; in quo quum ipse occidisset, in locum
ejus Ascanius filius successit: qui, Lavinio relicto,
Longam Albam condidit, quæ trecentis annis caput
regni fuit.

1 II. Post multos deinde urbis hujus reges ad postre-
2 mum Numitor et Amulius regno potiti sunt. Sed Amu-
lius, quum ætate priorem Numitorem oppressisset,
filiam ejus Rheam in perpetuam virginitatem, ne quis
vindex regni sexus virilis ex gente Numitoris oriretur,
demersit, addita injuriæ specie honoris, ut non dam-
3 nata, sed sacerdos electa videretur. Igitur clausa in
luco Marti sacro, duos pueros, incertum stupro, an ex

10. *Æneas*. De Ænea adi præter loca in ind. Liv. I, 1, et Virg. Æn.

13. *Albam condidit*. An. regni 30, ut tradit Liv. I, 3, 4. — *Trecentis annis*. Numero rotundo, ut apud Virgil. Æneid. I, vers. 272:

Hic jam tercentum totos regnabitur annos.

Quum variæ variorum scriptorum de hoc temporis spatio sint sententiæ, quas recensui *in mein. Histor. Tabellen*, pag. 227.

II. 1. *Multos... reges*. Quos ab Ascanio inde ad Amulium usque exhibui loco supra laudato. De cæteris, quæ h. l. Noster narrat, adi Liv. I, 5; coll. cap. 3, 10; cap. 4.

2. *Ætate*. *Vi ætate* duo codd. probante Gron. avo. — *Addita... honoris*. Cui quidem injuriæ addidit speciem honoris. Qui sensus, quem Grævius non adsequutus est, quum planus sit, non est, cur cum eodem Is. Vossii conjecturam amplectaris: *injuria* (ut injuriam adderet sub specie honoris). Virginum autem Vestalium non vulgaris erat honor.

Marte conceptos, enixa est. Quo cognito, Amulius, 4
multiplicato metu proventu duorum, pueros exponi
jubet, et puellam vinculis onerat, ex quorum injuria
decessit. Sed fortuna, origini Romanæ prospiciens, 5
pueros lupæ alendos obtulit : quæ, amissis catulis,
distenta ubera exinanire cupiens, nutricem se infan-
tibus præbuit. Quum sæpius ad parvulos, veluti ad 6
catulos, reverteretur, rem Faustulus pastor animad-
vertit, subtractosque feræ inter greges pecorum
agresti vita nutrivit. Martios pueros fuisse, sive quod 7
in luco Martis enixi sunt, sive quod a lupa, quæ in
tutela Martis est, nutriti, velut manifestis argumentis
creditum. Nomina pueris, alteri Remo, alteri Romulo
fuere. Adultis inter pastores, de virtute quotidiana 8
certamina, et vires et pernicitatem auxere. Igitur quum 9
latrones a rapina pecorum industrie frequenterque
submoverent, Remus ab iisdem latronibus captus,
veluti ipse esset, quod in aliis prohibebat, regi offer-
tur : crimini datur, quasi greges Numitoris infestare
solitus esset. Tunc a rege Numitori in ultionem tra-
ditur. Sed Numitor adolescentia juvenis permotus, et 10
in suspicionem expositi nepotis adductus, quum eum
nunc lineamentorum filiæ similitudo, nunc ætas expo-
sitionis temporibus congruens, anxium tenerent,

5. *Fortuna, origini Romanæ prospiciens*. Manilius Astron. IV, princ. ostensurus, quod

Fata regant orbem, certa stent omnia lege,

postea subjicit :

Ac nisi fata darent leges vitæque necisque,
Fugissent ignes Æneam, Troja sub uno
Non eversa viro fatis vicisset in ipsis,
Aut lupa projectos nutrisset Martia fratres. Ib.

7. *Creditum*. *Est* addunt edd. 5 ant. bene. Pro *Martios* Schefferus mavult *Martis eos*.

8. *Adultis... de virtute quotidiana certamina, et vires... auxere*. Quum, uter alterum virtute et robore superaret, quotidie inter se certarent : Ven., Bong. et marg. Col. *adulti*.

9. *Ipse esset*. Grævius corrigi vult *fecisset*, quum veteres loquantur : ipse *ago* scil. *facio*, quod in aliis prohibeo; non item : ipse *sum*, quod prohibeo. Confer tamen XVIII, 3, 7, ubi legimus : *quod ipsi non erant, liberos procreant*.

repente Faustulus cum Romulo supervenit : a quo, cognita origine puerorum, facta conspiratione, et adolescentes in ultionem maternæ necis, et Numitor in vindictam erepti regni armantur.

1 III. Occiso Amulio, regnum Numitori restituitur, et
2 urbs Romana ab adolescentibus conditur. Tunc et
senatus centum seniorum, qui Patres dicti sunt, con-
stituitur : tunc et vicinis, connubia pastorum dedig-
nantibus, virgines Sabinæ rapiuntur; finitimisque
populis armis subjectis, primum Italiæ, et mox orbis
3 imperium quæsitum. Per ea adhuc tempora reges has-
tas pro diademate habebant, quas Græci *sceptra* dixere.
Nam et ab origine rerum, pro Diis immortalibus ve-
teres hastas coluere : ob cujus religionis memoriam
4 adhuc Deorum simulacris hastæ adduntur. Tempori-
bus Tarquinii regis, ex Asia Phocæensium juventus
ostio Tiberis invecta, amicitiam cum Romanis junxit :
inde in ultimos Galliæ sinus navibus profecta, Massi-
liam inter Ligures et feras gentes Gallorum condidit:
magnasque res, sive dum armis se adversus Gallicam
feritatem tuentur, sive dum ultro lacessunt, a quibus

III. 1. *Occiso Amulio.* Conferendus est Liv. I, 6-7.

2. *Senatus.* Confer Liv. I, 8, 7, qui idem adeundus de Sabinarum raptu, cap. 9.

3. *Hastas.* Σκῆπτρον Homericum; *διάδημα.* Confer de illo Gen. 38, 25; Ps. 110, 2; Jer. 48, 17; Herodot. I, 184 Hastæ autem ipsæ nunquam, certe non a Græcis, pro Diis sunt cultæ : Diis autem eædem sunt additæ, quippe *regibus :* quo nomine a poetis insigniri solent, ut terrarum domini. Tota autem hæc Nostri nota h. l. est abrupta, nec suo sane loco. Nec magis congruunt sequentia : quantus enim saltus a Romulo ad Phocæenses, qui ducentis annis post Romanis amici sunt facti!

4. *Temporibus Tarquinii* etc. Conf. Herodot. I, 165, qui latius hac de re exposuit. *Tarquinius* est Tarq. Priscus, rex Romanorum A. U. 137-175 : quo regnante, nimirum olymp. 45, 1, id est, A. U. 154, 120 annis ante pugnam Salaminiam (A. U. 274) Scymnus Chius tradit Massiliam a Phocæensibus conditam. Herodotus contra loco laudato loquitur de emigratione Phocæensium anno huic notæ subjecto, quo ab Harpago oppugnati, variis itineribus vagi, huc illuc sunt dispersi. Confer supra XXXVII, 1, 1. — A. U. 208.

fuerant ante lacessiti, gesserunt. Namque Phocæenses 5
exiguitate ac macie terræ coacti, studiosius mare,
quam terras, exercuere; piscando, mercando; ple-
rumque etiam latrocinio maris, quod illis temporibus
gloriæ habebatur, vitam tolerabant. Itaque in ultimam 6
Oceani oram procedere ausi, in sinum Gallicum ostio
Rhodani amnis devenere. Cujus loci amœnitate capti, 7
reversi domum, referentes quæ viderant, plures so-
licitavere. Duces classis Simos et Protis fuere. Itaque re- 8
gem Segobrigiorum, Nannum nomine, in cujus finibus
urbem condere gestiebant, amicitiam petentes, con-
veniunt. Forte eo die rex occupatus in adparatu nup- 9
tiarum Gyptis filiæ erat : quam more gentis, electo
inter epulas genero, nuptum tradere illic parabat.
Itaque quum ad nuptias invitati omnes proci essent, 10
rogantur etiam Græci hospites ad convivium. Intro- 11
ducta deinde virgo, quum juberetur a patre aquam
porrigere ei, quem virum eligeret, tunc omissis om-
nibus ad Græcos conversa, aquam Proti porrigit : qui
factus ex hospite gener, locum condendæ urbis a
socero accepit. Condita igitur Massilia est prope ostia 12
Rhodani amnis, in remoto sinu, veluti in angulo
maris. Sed Ligures incrementis urbis invidentes, Græ-
cos adsiduis bellis fatigabant. Qui pericula propul- 13

5. *Exiguitate ac macie terræ.* Contrarium terra ipsa satis hodie nota ostendit, et referunt Herodot. I, 142, et Liv. XXXVII, 31. Confundit igitur hos cum Phocensibus, Phocidis incolis, quorum regio arida erat ac sterilis. — *Gloriæ habebatur.* Hinc illa apud Homerum amica interrogatio *an prædones estis?* ex qua Thucydides I, 1, 22, probat latrocinium apud veteres Græcos probro non fuisse : quod de priscis Germanis asserit inter alios scriptores Cæsar de Bello Gallico, VI, 23. ED.

6 *Oceani.* Maris Mediterranei.

8. *Itaque regem... conveniunt* Conf. Athen. XIII, qui quidem hanc eandem historiam refert, sed variat in nominibus. ED.

9. *Illic.* Cur *illic?* Junt. *ille*; unde Scheffer. elicit *illico.*

10. *Proci essent.* Quod in Med., Par., Bong. et marg. Col. corruptum est in *processissent.* — *Rogantur.* Grævius mavult *vocantur*, ut legimus XII, 6, 1.

sando in tantum enituerunt, ut, victis hostibus, in captivis agris multas colonias constituerent.

1 IV. Ab his igitur Galli, et usum vitæ cultioris, deposita et mansuefacta barbaria, et agrorum cultus, et
2 urbes mœnibus cingere didicerunt. Tunc et legibus, non armis vivere, tunc et vitem putare, tunc olivam serere consueverunt: adeoque magnus et hominibus et rebus impositus est nitor, ut non Græcia in Galliam emigrasse, sed Gallia in Græciam translata videretur.
3 Mortuo rege Nanno Segobrigiorum, a quo locus acceptus condendæ urbis fuerat, quum regno filius ejus Comanus successisset, adfirmat Ligur quidam, « quandoque Massiliam exitio finitimis populis futuram, opprimendamque in ipso ortu, ne mox validior ipsum
4 obrueret. » Subnectit et illam fabulam: « Canem aliquando partu gravidam locum a pastore precario petisse, in quo pareret: quo obtento, iterato petisse, ut sibi educare eodem in loco catulos liceret: ad postremum adultis catulis, fultam domestico præsidio,
5 proprietatem loci sibi vindicasse. Non aliter Massilienses, qui nunc inquilini videantur, quandoque do-
6 minos regionum futuros. » His incitatus rex insidias Massiliensibus struit. Itaque solenni Floraliorum die

13. *Captivis*. Melius *captis* Junt. et unus cod. De re conf. Tacit. Agric. XVI, 2; Liv. X, 1, 7; Curt. VII, 10, 16; X, 2, 8.

IV. 1. *Agrorum cultus*. In his vitem et oleam cognoverunt §. 2. Quanta nunc rerum mutatio!

2. *Nitor*. Est in vita *culta*, non *horrida* §. 1.

3. *Adfirmat Ligur quidam*. Ita Ald. et Junt. Cæteræ editiones 5, antiquæ exhibent *adfirmante regulo quodam*, in quo quum nulla sit constructio, corrigi id volebat Gronovius avus: *adfirmare regulus quidam*.

4. *Fabulam*. Phædr. I, 19; coll. Thucyd. II, 13, Liv. IV, 37. — Conf. etiam *La Fontaine* II, 7, qui ex hac fabula hanc sententiam elicit:

Ce qu'on donne aux méchans, toujours on le regrette.
Pour tirer d'eux ce qu'on leur prête,
Il faut que l'on en vienne aux coups:
Il faut plaider; il faut combattre.
Laissez-leur prendre un pied chez vous,
Ils en auront bientôt pris quatre. ED.

6. *Struit*. Dedi cum Gron. avo, quod in edd. et codd. mutatum est in *instruit*, *exstruit*, *instruxit*, *insti-*

multos fortes ac strenuos viros hospitii jure in urbem
misit; plures sirpeis latentes, frondibusque supertec-
tos induci vehiculis jubet; et ipse cum exercitu in 7
proximis montibus delitescit; ut, quum nocte a præ-
dictis apertæ portæ forent, tempestive ad insidias
adesset, urbemque somno ac vino sepultam armatis
invaderet. Sed has insidias mulier quædam, regis co- 8
gnata, prodidit, quæ adulterare cum Græco adolescente
solita, in amplexu juvenis, miserata formæ ejus, insi-
dias aperit, « periculumque declinare » jubet. Ille rem 9
statim ad magistratus defert; atque ita patefactis insi-
diis, cuncti Ligures comprehenduntur, latentesque
de sirpeis protrahuntur. Quibus omnibus interfectis, 10
insidianti regi insidiæ prætenduntur. Cæsa sunt cum
ipso rege hostium septem millia. Exinde Massilienses 11
festis diebus, portas claudere, vigilias agere, statio-
nem in muris observare, peregrinos recognoscere,
curas habere, ac, veluti bellum habeant, sic urbem
pacis temporibus custodire. Adeo illic bene instituta, 12
non temporum necessitate, sed recte faciendi consue-
tudine servantur!

V. Post hæc magna illis cum Liguribus, magna 1

tuit. — *Sirpeis.* In sirpeis. Est autem explicante Varrone de Re Rust. IV, 31, sirpea corbis, quæ virgis sirpatur, id est, colligando implicatur, in qua stercus aliudve quid evehitur. — *Supertectos.* Nic. Heinsius ad Ovid. Fast. VI, 680 mavult *superjectis*, bene.

7. *A prædictis.* Unus cod. *a præmissis*, coll. XI, 11, 6; 6 edd. ant. ommittunt *a*. Hinc Gron. avus corrigit *prædicta*, bene.

8. *Adulterare.* Alii adulterari, ut apud Ciceronem de Officiis : *adulterari turpe est.* ED. — *Formæ.* Burm. cum edd. 5 ant. *formam.* — *Aperit.* Dedi sequente *jubet* pro *aperuit*, quod habent edd. 4 ant.

11. *Curas habere.* Quum absolute positum nihil sit, Schefferus non inepte corrigit *curæ habere*, a quo cæteri infinitivi dependeant. Pro *vigilias* Faber mavult *excubias.* — *Peregrinos recognoscere.* Val. Max. II, 6, ext. 9 : *Intrare oppidum eorum nulli cum telo licet; præstoque est qui id custodiæ gratia acceptum exituro reddat : ut hospitia sua, quemadmodum advenientibus humana sunt, ita ipsis quoque tuta sint.* ED.

cum Gallis, fuere bella: quæ res et urbis gloriam auxit,
et virtutem Græcorum, multiplicata victoria, celebrem
2 inter finitimos reddidit. Carthaginiensium quoque
exercitus, quum bellum captis piscatorum navibus
ortum esset, sæpe fuderunt, pacemque victis dede-
3 runt: cum Hispanis amicitiam junxerunt; cum Ro-
manis prope ab initio conditæ urbis fœdus summa
fide custodierunt, auxiliisque in omnibus bellis in-
dustrie socios juverunt. Quæ res illis et virium fidu-
4 ciam auxit, et pacem ab hostibus præstitit. Quum igi-
tur Massilia fama rerum gestarum, et abundantia
opum, et virium gloria virente floreret, repente fini-
timi populi ad nomen Massiliensium delendum, veluti
ad commune exstinguendum incendium, concurrunt.
5 Dux consensu omnium Catumandus regulus eligitur,
qui, quum magno exercitu lectissimorum virorum
urbem hostium obsideret, per quietem specie torvæ
mulieris, quæ se Deam dicebat, exterritus, ultro pacem
6 cum Massiliensibus fecit; petitoque, ut intrare illi ur-
bem, et Deos eorum adorare liceret, quum in arcem
Minervæ venisset, conspecto in porticibus simulacro
Deæ, quam per quietem viderat, repente exclamat,
« illam esse, quæ se nocte exterruisset; illam, quæ
7 recedere ab obsidione jussisset. » Gratulatusque Mas-
siliensibus, quod animadverteret, eos ad curam Deo-
rum immortalium pertinere, torque aureo donata
Dea, in perpetuum amicitiam cum Massiliensibus
8 junxit. Parta pace, et securitate fundata, revertentes
a Delphis Massiliensium legati, quo missi munera

V. 2. *Carthaginiensium.* Confer Thucyd. I, 3; Herodot. I, 166.

4. *Virente.* Quum nihil aliud sit, nisi quod *florere*, Schefferus illud deleri vult, aut corrigendum censet *nitente* (cap. 4, 2).

6. *Illi.* Quod deest in edd. 5 ant. et uno cod., ex glossa videtur intrusum; latinitas certe postulat *sibi*.

7. *Eos... pertinere.* Scilicet Massilienses. Deorum cura quasi tanguntur, a Diis eorum cura habetur.

Apollini tulerant, audierunt urbem Romanam a Gallis captam incensamque. Quam rem domi nuntiatam 9
publico funere Massilienses prosequuti sunt : aurumque et argentum publicum privatumque contulerunt, ad explendum pondus Gallis, a quibus redemtam pacem cognoverant. Ob quod meritum et immunitas illis 10
decreta, et locus spectaculorum in senatu datus, et fœdus æquo jure percussum. 11

In postremo libro Trogus majores suos a Vocontiis originem ducere, avum suum Trogum Pompeium, Sertoriano bello, civitatem à Cn. Pompeio percepisse 12
dicit; patruum Mithridatico bello turmas equitum sub eodem Pompeio duxisse : patrem quoque sub Caio Cæsare militasse, epistolarumque et legationum, simul et annuli curam habuisse.

8. *Urbem... incensamque.* Respice ad VI, 6, 5.

9. *Funere. Luctu* conjicit Faber, bene. Quid enim prosequi rem publico funere? — Publicum funus habebatur, indicto a senatu justitio, publicoque luctu. De hoc honoris genere vide Kirchman. Fun. Rom. I, 4. ED. — Anno Urbis 365.

10. *Immunitas.* Scilicet a tributis et vectigalibus. Apud Suetonium in Augusto 40, Augustus Liviæ pro quodam tributario Gallo roganti, *civitatem negavit, immunitatem obtulit;* puta ne posthac esset tributarius. Quales autem Romanis Massilienses antea fuerint, haud ab re dubites : quippe socia civitas et amica; quam Cæsar et sequnti principes, etiam post graves offensas, liberam conservarunt, Strab. IV, 40. Vide tamen immunitatis libertatisque discrimen apud Livium XLV, 26, 11-13. — *In senatu.* Sic alibi Suetonius, *in equite spectare* hoc est inter equites. Jungit Tertullianus in lib. de Spectaculis *arcere senatu et equite*, hoc est, arcere honestioribus theatri locis. ED. — *Æquo jure.* Respice XXIII, 1, 5.

11. *Trogus majores* etc. Trogi *avus*, a Pompeio M. (bello Sertoriano A. U. 675-681 gesto) civitate Romana donatus, nomen patroni adsumsit (de bello ipso adi Flor. III, 22; Vell. II, 30; Plut. in v.); *patruus* sub eodem imperatore bello Mithridatico (A. U. 687-692) equitum turmam duxit; *pater* sub Cæsare, Galliarum proconsule (695-705) militans ejusdem imperatoris epistolarum et legationum, simul et annuli curam habuit. De re autem confer prolegomena cap. I. ED.

LIBER XLIV.

1 I. Hispania sicuti Europæ terminos claudit, ita et
2 hujus operis finis futura est. Hanc veteres ab Ibero
amne primum Iberiam, postea ab Hispano Hispaniam
3 cognominaverunt. Hæc inter Africam et Galliam posita, Oceani freto, et Pyrenæis montibus clauditur.
4 Sicut minor utraque terra, ita utraque fertilior. Nam neque, ut Africa, violento sole torretur: neque, ut Gallia, adsiduis ventis fatigatur, sed media inter utramque, hinc temperato calore, inde felicibus et tempestivis imbribus, in omnia frugum genera fœcunda est; adeo ut non ipsis tantum incolis, verum etiam Italiæ urbique Romanæ, cunctarum rerum
5 abundantiam sufficiat. Hinc enim non frumenti tantum magna copia est, verum et vini, mellis, oleique;

I. 1. *Hispania.* De qua pluribus egerunt Strabo lib. III; Mela II, 6; Plin. III, 1: qui quidem Bæticam cæteris Hispaniæ partibus anteponit. Bæticæ autem descriptionem qualem apud nostrum *Fénélon*, *Télémaque*, *VIII*, invenimus, conferat lector: « *Le fleuve Bétis coule dans un pays fertile, et sous un ciel doux qui est toujours serein.... Ce pays semble avoir conservé les délices de l'âge d'or. Les hivers y sont tièdes, et les rigoureux aquilons n'y soufflent jamais. L'ardeur de l'été y est toujours tempérée par des zéphyrs rafraîchissans, qui viennent adoucir l'air vers le milieu du jour.... La terre, dans les vallons et dans les campagnes unies, y porte chaque année une double moisson. Les chemins y sont bordés de lauriers, de grenadiers, de jasmins, et d'autres arbres toujours verts et toujours fleuris. Les montagnes sont couvertes de troupeaux, qui fournissent des laines fines, recherchées de toutes les nations connues. Il y a plusieurs mines d'or et d'argent dans ce beau pays.* ED.

2. *Iberiam.* Plures scripti et impressi libri *Hiberiam.* ED.

3. *Freto.* Gaditano maris Mediterranei. — *Utraque terra.* Africa et Gallia.

4. *Adsiduis ventis fatigatur.* Non omnis quidem Gallia, sed tantummodo oræ ejus.

nec ferri solum materia præcipua est, sed et equorum
pernices greges; nec summæ tantum terræ laudanda 6
bona, verum et abstrusorum metallorum felices divi-
tiæ. Jam lini spartique vis ingens : minii certe nulla
feracior terra. In hac cursus amnium non torrentes 7
rapidique, ut noceant; sed lenes, et vineis campisque
irrigui, æstuariisque Oceani adfatim piscosi; plerique
etiam divites auro, quod in paludibus vehunt. Uno 8
tantum Pyrenæi montis dorso adhæret Galliæ, reliquis
partibus undique in orbem mari cingitur. Forma terræ 9
prope quadrata, nisi quod, artantibus freti litoribus,
in Pyrenæum coit. Porro Pyrenæi montis spatium
sexcenta millia passuum efficit. Salubritas cæli per 10
omnem Hispaniam æqualis, quia aeris spiritus nulla
paludium gravi nebula inficitur. Huc accedunt et ma- 11
rinæ auræ undique versus adsidui flatus, quibus om-
nem provinciam penetrantibus, eventilato terrestri
spiritu, præcipua hominibus sanitas redditur.

6. *Summæ... terræ*. Est terræ superficies, cujus *bona* sunt fruges, quæ nascuntur in terræ superficie. Recepi igitur *summæ* ex edd. 5 ant pro *summa*. — *Abstrusorum*. Absconditorum, abditorum. — *Metallorum felices divitiæ*. Non eadem est omnino de harum divitiarum *felicitate* Taciti sententia, qui quidem German. V, ita inquit : *Argentum et aurum propitii an irati Dii negaverint, dubito. Nec tamen adfirmaverim, nullam Germaniæ venam argentum aurumve gignere : quis enim scrutatus est?* ED. — *Sparti*. Plin. XIX, 2; Gell. XVII, 5; coll. Quintiliano VIII, 2, 2.

7. *Æstuariisque Oceani adfatim piscosi*. Scil. propter æstum Oceani, qui in illos influit. ED. — *Paludibus*. Fluviis, quorum plures Hispaniæ auriferi fuisse traduntur : quo eodem redit, quod ex correctione Salmasii recep. Græv. et Burm., *balucibus*; coll. Plin. XXXIII, 21 : ubi : *Aurum*, inquit, *invenitur, fluminum ramentis, ut in Tago Hispaniæ* (IV, 17 : *Tagus auriferis arenis celebratur*); et : *Hispani quod minutum est aurum, balucem vocant.*

9. *Sexcenta millia passuum*. Efficiunt 600 milliaria Romana, sive 120 Germanica. — Sive 181 leucas Francicas 2,500 sexpedarum. ED. — Diodorus autem IV, 35, non nisi 3,000 stadia extendi in longitudinem ait Pyrenæos, id est, 375 mill. Rom., sive 75 Germ. — Sive 113 leucas Francicas 2,500 sexpedarum. ED.

11. *Versus*. Edd. 4 ant. *adversus*; unus cod. *adversi*, unde Bong. cor-

1 II. Corpora hominum ad inediam laboremque,
animi ad mortem parati. Dura omnibus et adstricta
2 parcimonia. Bellum, quam otium malunt; si extra-
3 neus deest, domi hostem quærunt. Sæpe tormentis
pro silentio rerum creditarum immortui: adeo illis
4 fortior taciturnitatis cura, quam vitæ! Celebratur etiam
bello Punico servi illius patientia, qui ultus dominum,
inter tormenta risu exsultavit, serenaque lætitia cru-
5 delitatem torquentium vicit. Velocitas genti pernix,
inquies animus: plurimis militares equi et arma san-
6 guine ipsorum cariora. Nullus in festos dies epularum
adparatus. Aqua calida lavari post secundum bellum
7 Punicum a Romanis didicere. In tanta sæculorum
serie nullus illis dux magnus, præter Viriatum, fuit:
qui annos decem Romanos varia victoria fatigavit
(adeo feris propiora, quam hominibus, ingenia ge-
runt): quem ipsum, non judicio populi electum, sed
ut cavendi scientem, declinandorumque periculorum
8 peritum sequuti sunt. Cujus ea virtus continentiaque
fuit, ut, quum consulares exercitus frequenter vicerit,
tantis rebus gestis non armorum, non vestis cultum,

rigit *adversi et adsidui flatus.* Illud autem explicandum esset, adversus (terram).

II. 1. *Animi ad mortem parati* Silius Italicus I, 225, de Hispanis:

Prodiga gens animæ, et properare facillima mortem.
Namque ubi transcendit florentes viribus annos,
Impatiens ævi spernit novisse senectam,
Et fati modus in dextra est.... ED.

2. *Bellum, quam otium, malunt.* Tacit. de Moribus Germanorum 14: *Nec arare terram, aut exspectare annum tam facile persuaseris, quam vocare hostes et vulnera mereri: pigrum quin immo et iners videtur sudore adquirere, quod possis sanguine parare.* ED.

3. *Fortior. Potior* mavult Gronov. avus, quod idem deinde inventum in cod. Bodl.

4. *Ultus dominum.* Dominum vindicaturus Hasdrubalem occiderat cap. 5, 5. Confer Liv. XXI, 2, 6; Valer. Max. III, 3, extr. 7; coll. Tacit. Ann. IV, 45; Plin. VII, 23; Senec. Epist. 47.

6. *In festos dies.* Edd. antiq. septem aptius: *nisi festis diebus.*

7. *Viriatum.* De Viriato, qui per annos urbis 607-613 sustinuit bella Romana, adi Aurel. Vict. Vir. Ill. 71, Diodor. XXXIII, fragm. 3, 11 et 22; Flor. II, 17; 15-17. — *Annos.* Per annos. Melius igitur hoc, quod

non denique victum mutaverit : sed in eo habitu, quo primum bellare cœpit, perseveraverit : ut quivis gregarius miles ipso imperatore opulentior videretur.

III. In Lusitanis juxta fluvium Tagum vento equas 1
fetus concipere, multi auctores prodidere : quæ fabulæ ex equarum fœcunditate, et gregum multitudine natæ sunt : qui tanti in Gallæcia, et Lusitania, ac tam pernices visuntur, ut non immerito vento ipso
concepti videantur. Gallæci autem Græcam sibi origi- 2
nem adserunt : siquidem post finem Trojani belli, Teucrum, morte Ajacis fratris invisum patri Telamoni, quum non reciperetur in regnum, Cyprum concessisse, atque ibi urbem nomine antiquæ patriæ Sala-
minam condidisse. Inde, accepta opinione paternæ 3
mortis, patriam repetisse. Sed quum ab Eurysace, Ajacis filio, accessu prohiberetur, Hispaniæ litoribus adpulsum, loca, ubi nunc est Carthago nova, occupasse : inde Gallæciam transisse, et, positis sedibus,
genti nomen dedisse. Gallæciæ autem portio, Amphi- 4
lochi dicuntur. Regio cum aeris ac plumbi uberrima, tum et minio, quod etiam vicino flumini nomen dedit.
Auro quoque ditissima, adeo, ut etiam aratro fre- 5
quenter glebas aureas exscindant. In hujus gentis 6

ex edd. 5 ant. recepi, quam *annis*.

8. *In eo habitu*, etc. Talis Otho apud Tacit. Hist. II, 11, 8; Carolus duodecimus Sueciæ rex, apud *Voltaire*, *Histaire de Charles XII*; Henricus ille quartus, Gallorum rex, apud eundem *Voltaire*, *Henriade*, *chant. III.* 90.

III. 1. *Tagum*. Gallice *le Tage*, fluvius Portugalliæ, quæ Romanis fuit pars Hispaniæ. — *Auctores*. Conf. Varro de Re Rust. II, 1; Colum. VI, 27; Plin. VIII, 42, et Heynius ad Virgil. Georg. III, 273.

2. *Morte Ajacis*. De Ajacis cæde voluntaria res nota ex Sophoclis Ajace flagellifero; Teucrum ipsum, qui hujus cædem non ultus esset, patria pulsum omnes fere cæteri scriptores tradunt Salamina Cypri condidisse, de altera emigratione tacentes. — *Salaminam*. *Salamina* forma Græca edd. Ald., Junt., Par.

4. *Vicino flumini*. Minio, hodie *Minho* sive *Minno*; conf. cap. 1, 6; Plin. IV, 20.

5. *Glebas aureas exscindant*. Idem tradit Plinius XXXIII, 21.

finibus sacer mons est, quem ferro violare nefas habetur: sed si quando fulgure terra proscissa est, quæ in his locis adsidua res est, detectum aurum, velut Dei
7 munus, colligere permittitur. Feminæ res domesticas agrorumque culturas administrant: ipsi armis et rapi-
8 nis serviunt. Præcipua his quidem ferri materia, sed aqua ipso ferro violentior: quippe temperamento ejus ferrum acrius redditur; nec ullum apud eos telum probatur, quod non aut Bilbili fluvio, aut Chalybe
9 tingatur. Unde etiam Chalybes fluvii hujus finitimi appellati, ferroque cæteris præstare dicuntur.

1 IV. Saltus vero Tartesiorum, in quibus Titanas bellum adversus Deos gessisse proditur, incoluere Cunetes: quorum rex vetustissimus Gargoris, mellis col-
2 ligendi usum primus invenit. Huic quum ex filiæ stupro nepos provenisset, pudore flagitii variis generibus exstingui parvulum voluit: sed per omnes casus fortuna quadam servatus, ad postremum ad regnum tot
3 periculorum miseratione pervenit. Primum omnium, quum eum exponi jussisset, et post dies ad corpus expositi requirendum misisset, inventus est vario fe-
4 rarum lacte nutritus. Deinde relatum domum, tramite angusto, per quem armenta commeare consueverant, projici jubet: crudelis prorsus, qui proculcari nepo-
5 tem, quam simplici morte interfici, maluit. Ibi quoque quum inviolatus esset, nec alimentis egeret, canibus primo jejunis, et multorum dierum abstinentia

7. *Ipsi... serviunt.* Scilicet ipsi viri.

8. *Chalybe.* Anam inter et Tagum, qui Ptolemæo et Martiano est Calipus, adnotante Is. Vossio.

IV. 1. *Cunetes. Cynetes* correxi cum Is. Vossio, qui sunt incolæ promontorii Cunei proprie, qui postea fines suos protuleruut, pro *Curetes*, qui sunt iu Creta, uulli in Hispania. Titanas autem constans veterum fama ponit in Thessalia, non in Hispauia.

2. *Stupro.* Unna cod: quum habeat *æstu*, inde Græv. elicit *incestu.* — *Miseratione.* Ald. et Junt. *admiratione*, ut §. 10.

cruciatis, mox etiam suibus objecit. Itaque quum non 6
solum non noceretur, verum etiam quarundam uberibus aleretur, ad ultimum in Oceanum abjici jussit.
Tum plane manifesto quodam numine inter furentes 7
æstus, ac reciprocantes undas, velut nave, non fluctu
veheretur, leni salo in litore exponitur: nec multo
post cerva adfuit, quæ ubera parvulo offerret. Inde 8
denique, conversatione nutricis, eximia puero pernicitas fuit; interque cervorum greges diu montes saltusque, haud inferior velocitate, peragravit. Ad postre- 9
mum laqueo captus, regi dono datus est. Tunc et
lineamentorum similitudine et notis corporis, quæ
inustæ parvulo fuerant, nepos agnitus. Admiratione 10
deinde tot casuum periculorumque, ab eodem successor regni destinatur. Nomen illi impositum Habi- 11
dis: qui ut regnum accepit, tantæ magnitudinis fuit,
ut non frustra Deorum majestate tot periculis ereptus
videretur: quippe barbarum populum legibus junxit;
et boves primus aratro domari, frumentaque sulco
quærere docuit; et ex agresti cibo mitiora vesci, odio
eorum, quæ ipse passus fuerat, homines coegit. Hujus 12
casus fabulosi viderentur, nisi et Romanorum conditores lupa nutriti, et Cyrus, rex Persarum, cane alitus
proderetur. Ab hoc et ministeria servilia populo in- 13

6. *Noceretur*. Supple *ei*; malim tamen cum Junt. et Ald. *necaretur*, aut cum edd. 4 ant. *nocerent* (ei canes et sues).

11. *Frumentaque sulco quærere docuit*. Virgil. Georg. I, 133:

Ut varias usus meditando extunderet artes
Paullatim, et sulcis frumenti quæreret herbam. ED.

— *Ex cibo*. Post cibum agrestem, quo hucusque alti fuerant, *vesci mitiora*, *mitioribus* quod habet unus cod., aut *melioribus*, quod exhibent edd. 5 ant.

12. *Lupa nutriti*. XLIII, 2, 5; Liv. I, 4; Plutarch. in Rom. V; Virg. Æn. VIII, 630:

Fecerat et viridi fœtam Mavortis in antro
Procubuisse lupam: geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, et lambere matrem
Impavidos... ED.

Plin. VIII, 17: *Quæ de infantibus lacte nutritis, quum essent expositi, traduntur, sicut de conditoribus nostris a lupa, magnitudini fatorum accepta ferri æquius, quam ferarum naturæ, arbitror.* ED. — *Cyrus*. I, 4, 10;

terdicta, et plebs in septem urbes divisa. Mortuo
Habide regnum per multa sæcula a successoribus
14 ejus retentum est. In alia parte Hispaniæ, et quæ ex
insulis constat, regnum penes Geryonem fuit. In hac
tanta pabuli lætitia est, ut nisi abstinentia interpellata
15 sagina fuerit, pecora rumpantur. Inde denique armenta
Geryonis, quæ illis temporibus solæ opes
habebantur, tantæ famæ fuere, ut Herculem ex Asia
16 prædæ magnitudine illexerint. Porro Geryonem ipsum
non triplicis naturæ, ut fabulis proditur, fuisse ferunt;
sed tres fratres tantæ concordiæ exstitisse, ut uno
animo omnes regi viderentur : nec bellum Herculi
sua sponte intulisse, sed quum armenta sua rapi vidissent,
amissa bello repetisse.

1 V. Post regna deinde Hispaniæ, primi Carthagi-
2 nienses imperium provinciæ occupavere. Nam quum
Gaditani a Tyro, unde et Carthaginiensibus origo est,
sacra Herculis, per quietem jussi, in Hispaniam transtulissent,
urbemque ibi condidissent, invidentibus
incrementis novæ urbis finitimis Hispaniæ populis,

Ælian. XII, 41; Herodot. I, 110.

14. *Geryonem.* XLII, 3, 4; XLIII, 1, 9; Diodor. IV, 17. — *Insulis.* Balearibus, Majorca, Minorca, Yvica et Formentera. — *Tanta pabuli lætitia est.* Strabo lib. III, pag. 117, 14, scribit ibi pascentium ovium lac sero carere, multumque aquæ ob pinguedinem adfundi, ut caseus cogi possit; et 50 dierum spatio pecus subfocari, nisi post quinquagesimum quemque diem sanguinis missione pinguedo nimia castigetur. Similia de agro Catanæo in Sicilia tradit idem lib. VI, et de Arabia Curtius V, 1, 15. ED.

16. *Porro Geryonem.* Aliter explicat Palæphatus cap. 25, quod habitaril Tricareniæ, dictus inde Tricarenus; et Servius ad Virg. Æn. VII, 661, in hæc verba : *Geryones rex fuit Hispaniæ, qui ideo trimembris fingitur, quia tribus insulis præfuit, quæ adjacent Hispaniæ, majori et minori, et Ebusæ. Fingitur etiam bicipitem canem habuisse, quia et terrestri et navali certamine plurimum potuit. Hunc Hercules vicit : qui ideo dicitur ad eum olla ærea transvectus, quod habuerit navem ære munitam.* ED.

V. 1. *Post regna.* Post hæc regum imperia.

2. *Unde... est.* Respice XVIII, 3; coll. Plin. V, 19; Diodor. XXV, 2; Strabo lib. III. — *Per quietem jussi.* Somnio admoniti.

ac propterea Gaditanos bello lacessentibus, auxilium
consanguineis Carthaginienses misere. Ibi felici expe- 3
ditione et Gaditanos ab injuria vindicaverunt, et
majorem partem provinciæ imperio suo adjecerunt.
Postea quoque hortantibus primæ expeditionis auspi- 4
ciis, Hamilcarem imperatorem cum magna manu ad
occupandam provinciam misere : qui magnis rebus
gestis, dum fortunam inconsultius sequitur, in insidias
deductus, occiditur. In hujus locum gener ipsius Has- 5
drubal mittitur; qui et ipse a servo Hispani cujusdam,
ulciscente domini injustam necem, interfectus est.
Major utroque Hannibal imperator, Hamilcaris filius, 6
succedit : siquidem utriusque res gestas supergressus,
universam Hispaniam domuit : inde Romanis illato
bello, Italiam per annos sexdecim variis cladibus fati-
gavit : quum interea Romani missis in Hispaniam Sci- 7
pionibus, primo Pœnos provincia expulerunt; postea
cum ipsis Hispanis gravia bella gesserunt. Nec prius 8
[perdomita provincia] jugum Hispani accipere potue-

4. *Postea quoque* etc. De hoc §. et seqq. conf. Cornel. in vita Hamilcaris et Hannibalis; coll. supra XXIX, 1, 7. — Anno Urbis 516.

5. *Hasdrubal mittitur.* Respice cap. 2, 4. — Anno Urbis 525.

6. *Italiam... fatigavit.* Bello Romano altero, de quo sat copiose exposuit Liv., coll. supra XXVIII, 4, 6. — Anno Urbis 533.

7. *Scipionibus.* P. et Cn. Corneliis Scipionibus, patre et patruo Africani majoris, Liv. XXV, 32-36; Flor. II, 17, 6; Vell. II, 90, 2, qui occiduntur an. 535. — Anno Urbis 535-550.

8. [*Perdomita provincia*]. Uncos adposui ex mente Fabri, adprobante Grævio. De Augusto, Hispaniarum victore, conf. Vell. II, 90, 4; Flor. IV, 12, 46-60; Horat. Carm. III, 14. — *Perdomito orbe.* Quum, sub barum Historiarum Philippicarum fine, brevissime Noster de Augusto attingat, hisce notis finis fiat, relata præclarissimorum hujus regni factorum descriptione, qualem paucissimis verbis invenimus apud magnum *Bossuet*, *Discours sur l'histoire universelle*, *I port.*, 9 *époque:* « . . . *Tout cède à la fortune de César : Alexandrie lui ouvre ses portes : l'Égypte devient une province romaine : Cléopâtre, qui désespère de la pouvoir conserver, se tue elle-même après Antoine : Rome tend les bras à César, qui demeure, sous le nom d'Auguste et sous le titre d'empereur, seul maître de tout l'empire. Il dompte vers les Pyrénées, les Cantabres et les Astu-*

runt, quam Cæsar Augustus, perdomito orbe, victricia ad eos arma transtulit, populumque barbarum ac ferum, legibus ad cultiorem vitæ usum traductum, in formam provinciæ redegit.

riens révoltés : l'Éthiopie lui demande la paix : les Parthes, épouvantés, lui renvoient les étendards pris sur Crassus, avec tous les prisonniers romains : les Indes recherchent son alliance : ses armes se font sentir aux Rhètes et aux Grisons, que leurs montagnes ne peuvent défendre : la Pannonie le reconnaît : la Germanie le redoute, et le Wezer reçoit ses lois. Victorieux par mer et par terre, il ferme le temple de Janus. Tout l'univers vit en paix sous sa puissance........ et Jésus-Christ *vient au monde.* ED.

FINIS.

INDICES

NOMINUM ET VERBORUM

IN JUSTINUM.

N. B. Primus numerus LIBRUM, secundus CAPUT. tertius capitis SECTIONES indicat.

INDEX NOMINUM.

A.

C.

D.

C.

D.

E.

H.

I.

J.

L.

M.

N.

O.

P.

R.

T.

U.

V.

X.

INDEX LATINITATIS.

A.

Ævum, *αἰὼν*, tempus XXXVI, 2, 14; XIV, 4, 14. — ætas, vita II, 4, 17.

Ager opp. urbs III, 3, 6; VIII, 2, 8; XVI, 4, 2. — agrorum vastorum cultus, cultura, sterilitas XXII, 6, 9; XLIII, 4, 1; XLIV, 3, 7; XXXVI, 2, 8.

Agrestis vita XLIII, 2, 6. — cibus XLIV, 4, 11. — agrestes XXIV, 7, 6.

Agere in fugam XVI, 2, 3. — in exsilium IX, 4, 9; II, 9, 6. — ad naves fugientem hostem II, 9, 17; coll. I, 6, 9. — currum circa metam XII, 10, 5. — prædas XXII, 6, 8 (coagere, cogere). — translative; animum alicujus præcipitem XVIII, 1, 2. — Jam quum vitam nostram comparare Latini soleant cum via, transfertur ad vitam, quam agimus I, 6, 6. — ut annos in re III, 3, 6; XLI, 5, 9. — pueritiam XI, 4, 5. — exsilium V, 9, 5; III, 3, 12. — conventum populorum XII, 13, 3. — idem est neutraliter adhibitum, ut compos. *degere*, i. e., vivere, esse XI, 5, 2; XXXIV, 4, 5. — inde ut gerere constructum cum concreto est, ut tutorem, propugnatorem, nepotem VII, 5, 9; VIII, 2, 10; I, 6, 14. — hinc agitur res male IV, 5, 4. — agitur de re II, 14, 10. — agitur bene cum republica IX, 4, 9. — nil agitur, nil actum est XII, 3, 3; XXXVIII, 1, 1. — acta (res gestæ) alicujus XII, 6, 17; coll. XII, 7, 13. — ut actus pro actio XXXI, 2, 1.

Aggeratio II, 1, 2, aggerum confectio.

Agitare, frequent. verbi *agere* I, 5, 5. — inde conviciis quem agitare XIV, 3, 8. — furiis agitatus XXIV, 4, 8. — status urbis discordiis agitatus XVIII, 6, 10. — hinc agitare animo VIII, 3, 12. — quod idem occurrit II, 12, 3. — omisso animo, facinus; coll. XIV, 4, 12. Conf. not. ad VIII, 4, 10, et XIX, 2, 6. — regnum I, 5, 5; ubi vid. not.

Agmen (agimen), exercitus II, 4, 12; II, 10, 21.

Agnoscere I, 5, 4; XLIV, 4, 9.

Alacer I, 6, 6 et 10. — *alacritas* animorum II, 9, 11.

Alere incendium nudis IV, 1, 11. — transl. contentiones VIII, 1, 3.

Ales alites II, 13, 12; I, 4, 11.

Alias pro alibi IV, 1, 9.

Aliena adfectans *propria* amittit XXXIX, 1, 3; coll. II, 2, 9 et 11.

Alienare (abalienare) quem a se I, 7, 18; VI, 1, 7. — res alienatæ XII, 6, 10, ubi vid. not. — occultare; XVIII, 3, 9.

Alimenta XII, 6, 11; II, 1, 8; IX, 2, 7.

Alternis (vicibus) II, 4, 14.

Alternare XXXVI, 4, 1, variare.

Altus, altum (mare) XVIII, 4, 12. — altius repetere XLII, 2, 7.

Alumen XXXVI, 3, 7.

Amarus minister regni XVI, 1, 14. — id est, immitis, ut convivium XII, 6, 13, amarum et triste. — et decretorum amaritudo XXXVIII, 5, 5, scil. decreta amara, aspera.

Ambigere de re I, 10, 1. — quid facias XXIX, 4, 9.

Ambiguum periculum XXIII, 3, 6; XXXI, 8, 7.

Ambitio vulgi pass. ut supra adulatio XII, 15, 11; coll. I, 1, 1. — ubi est *ambitio popularis*, quæ, ut ait XIII, 3, 2, potentiam quærit ex vulgi adulatione. — magna ambitione (multis precibus) ægre obtinere I, 3, 2.

Ambitiosus apud populares XVII, 2, 6; coll. XXXIX, 1, 6. — ambitiosa pulchritudo XXX, 2, 2.

Amicire XLIII, 1, 7.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

J.

L.

M.

N.

P.

Q.

R.

S.

T.

U.

V.

JUSTINI VERSIONES.*

PORTUGALLICA.

1726. Justino Lusitano, por *Troillo de Vasconcellos da Cunha.* Lisboa. fol.

HISPANICA.

1586. Justino abreviador de la historia general del Trogo Pompeio, traduzido en lengua Castellana (per Georgium *de Bustamante.*) en Anvers. 8.

ANGLICÆ.

1564. Justin translated by *Arthur Goldinge.* Imprinted at London by Tho. Marsbe. 4.
1570. Thabridge Mente of the Histories of Trogus Pompeins, gathered and written in the Laten tung, by the famous Historiographer Justine, and translated into Englishe by *Arthur Goldinge :* a worke conteyning brefly great plentye of moste delectable Historyes, and notable examples, worthy not only to by read, but also to bee embraced and followed of al men. Newlie conferred with the Latin copye, and corrected by the Translator. Anno Domini 1570. Imprinted at London by Tho. Marshe. 4.
1578. Eadem, ibid. ap. eundem. 4.
1606. Justin's History of the World, translated into English. London. fol.
1654. The History of Justin, taken out of the forty four Books of Trogus Pompeius, containing the Affairs of all Ages and Countries, both in Peace and War, from the beginning of the World until the time of the Roman Emperors. With an account of Justin, and the time when he flourished, from G. I. Vossius; and a List of the Kings and Emperours of the several Monarchies. Translated into English by *Robert Codrington.* London. 12.
1664. Eadem, ibid. 12.
1672. Eadem, ibid. 12.
1682. Eadem, ibid. 12.

* In hac notitia literaria, e Justino Bipontino excerpta, de Justini versionibus solummodo agitur, minime autem de variis editionibus et commentariis: quum jam supra in Prolegomenis, cap. III, Wetzel nobis editionum commentatorumque recensionem exhibuerit. ED.

1689. Eadem, the fifth Edition. London, printed for W. Whitwood. 12.

1712. Justin's History of the World, from the Assyrian monarchy down to Augustus Cæsar, translated into English, with Remarks, by *Thom. Brown*. London. 12.

1719. Justin's History of the World, etc. translated into English, with Remarks, by *Thom. Brown*. The second Edition. Revis'd by Mr. *O. Dykes*. London, printed for Will. and John Innys. 12.

1732. Justini et Trogi Pompeii Historiis externis Libri XLIV, quam diligentissime ex variorum exemplorum collatione recensiti et eastigati. To wich is added, the Works of Justin disposed in a grammatical or natnral order, in one Column, so as to answer, as near as can by, Word for Word to the English Version, as literal as possible in the other. Designed for the easy and expeditious learning of Justin, by those of the meanest capacity, and without Fatigue to the Teacher. With chronological Tables accommodated to Justin's History. And also an Index of Words, Phrases, and most remarkable Things. For the Use of Schools. By *Nicolas Bailey*. London. 8. — Justini Historiæ Philippicæ. With a literal English Translation. By *John Clarke*. London. 8.

1741. Justin's History of the World, etc. translated into English by *Thom. Brown*. London. 12. — Repetitio ed. 1719.

1742. Justini Historiæ Philippicæ. With a literal English Translation. By *John Clarke*. London. 8.

1746. Justin's History of the World, translated into English by Mr. *Turnbull*. London. 12.

1772. Jnstini Historiæ Philippicæ. With a literal English Translation. By *John Clarke*. London. 8.

BELGICÆ.

1610. De historien Justini uyt Trogo Pompeio vergadert, getranslateert nyt den Latyne door *Florens van Wee*. tot Arnh. 8.

1682. De historien von Justinus uyt Trogus Pompeius, vertaelt door. *F. v. H.* tot Dordr. 12.

GALLICÆ.

1538. Les OEnvres de Jnstin vray hystoriographe sur les faictz et gestes de Trogue Pompée, traduictz de latin en françois par *Guill. Michel* dict *de Tours*. A Paris. *Janot*. fol. charactere Gothico cum figg.

1540. Justin vray hystoriographe sur les hystoires de Troge Pompée, contenant XLIII livres, traduictz du latin en

françois par *Guill. Michel* dict *de Tours*. A Paris, par *Denys Janot*. 12.

1554. Les histoires universelles de Trogue Pompée, abregées par Justin, translatées de latin en françois par *Claude de Seyssel* A Paris, de l'imprimerie de Vascosan. fol.

1559. Eadem, ibid. ap. eundem. fol.

1666. L'Histoire universelle de Trogue Pompée, reduite en abregé par Justin, et traduite en françois par le sieur de *Colomby*. A Rouen. 12.

1669. L'Histoire universelle de Trogue Pompée, reduite en abregé par Justin, et traduite en françois par le sieur de *Colomby*. Nouvelle edition revue et corrigée. *A Lyon, chés Jean Girin et Barthelemy Riviere*. 8.

1672. L'Histoire universelle de Trogue Pompée, reduite en abregé par Justin, et traduite en françois par le sieur de *Colomby*, revue et corrigée par M. le *Fevre*. A Saumur. 8.

1675. L'Histoire universelle de Trogue Pompée reduite en abregé par Justin, et traduite en françois par le sieur de *Colomby*. Revue et corrigée en cette derniere edition. *A Rouen, chez Pierre Amiot*. 8.

1693. L'Histoire universelle de Trogue Pompée, reduite en abregé par Justin, traduction nouvelle, avec des remarques, par M. *D. L. M.* (*Louis Ferrier de la Martiniere.*) A Paris. *Guillain*. 2 voll. 12.

1708. Histoire universelle de Justin, traduite par M. l'abbé *A.* A Paris. 2 voll. 12.

1737. Novelle Traduction de l'Abregé historique de Justin, avec deux Cartes géographiques des païs dont parle cet auteur, ensemble un petit Dictionnaire de ces mêmes païs, suivant l'ancienne et la moderne geographie, par l'abbé *Favier*. A Paris. 2 voll. 12.

1755. Histoire de Justin traduite par M. l'abbé *Favier*, avec des explications allemandes. A Liegnitz. 12.

1774. Histoire universelle de Justin, extraite de Trogue-Pompée; traduite sur les textes latins les plus corrects. Avec de courtes notes critiques, historiques, et un Dictionnaire géographique de tous les pays dont parle Justin. Par M. l'abbé *Paul*. A Paris chez *J. Barbou*. 8. 2 voll.

GERMANICÆ.

1531. Des Hochberühmptesten Geschichtschreibers Justini wahrhaftige Hystorien, die er auss Trogo Pompeio gezogen, vnd in vierzig vier Bücher aussgeteylt, darinnen er von vil Kunichreychen der Welt, wie die auff vnd abgang genommen, beschriben. Die Hieronymus (*Boner*) der Zeyt Schulteys zu Colmar aus dem Latein inn diss

volgend teutsch vertolmetschet hat, welche nit allein zu lesen lustig, sonder einem yeden menschen zu wissen nützlich vnd not ist. Gedrukt zu Augsburg durch *Heinrich Steiner*. fol. c figg ligno incisis.

1532. Eadem, ibid. apud eundem. fol.

1656. Der verteutschte Justinus, etc. von *Schweser*. Cassel. 8. — Prima hujus versionis editio in Bibliotheca Fabriciana refertur ad an. 1649; qui error inde propagatus videtur in Bibliothecam Schummelio-Schlüterianam.

1660. Der verteutschte Justinus, oder XLIV Bücher derer Geschichtbeschreibungen des Justinus auss dem Pompeius Trogus; vor dessen in das teutsche übergebracht, und uff gnædiges Begehren einer hohen fürstlichen Person vor fünf Iahren erstlich zum Druck befœrdert, von *Joh. Friedr. Schwesern*. Itzo aber aufs neue übersehen, von seinen vorigen Druckfehlern gesæubert und fleissig corrigiret. Cassel, gedruckt bey *Salom. Schadewiz*. 8.

1675. Der verteutschte Justinus, etc. vor etlichen Iahren, uff gnædigstes Begehren einer hohen Fürstl. Person, ins teutsche übergesetzet, und hernachmahls zum Drukke befœrdert. (von *Schweser*.) Jetzo aber von dem Uebersetzer, auffs neue, gegen den Lateinischen Text gehalten, und fleissig übersehen, auch von denen Druk-und andern Fehlern, gesæubert. Die dritte Aussfertigung. Cassel, in Verlegung *Joh. Ingebrandt* 8.

1697. Eadem. Vierdte, verbesserte Ausgabe. Cassel, bey *Salomon Kürssner*. 8.

1781. Justins Weltgeschichte, übersetzt und mit erlæuternden Anmerkungen begleitet von *I. P. Ostertag*. Frankfurt am M. bey *Joh. Christ. Hermann*. 8. 2 Theile.

1792. Eadem, ibid. apud eundem. 8. 2 voll.

ITALICÆ.

1477. Justino vulgarizato justissimamente qui comincia. Prologo. *In fine :* Finisse il libro di Justino abreviatore di Trogo Pompeio posto diligentamente in materna lingua. Et impresso in lalma citade de venesia ale spesse di Johanne da colonia : et Johanne gheretzen compagno ne gli anni del Signore. M. CCCC. LXXVII ali giorni. x. septembr. Andrea vendermino felicissimo duce imperante. fol. — Auctor hujus versionis est *Hieronymus Squarzaficus* Alexandrinus, quantum ex epistola dedicatoria colligere licet.

1524. Justino historico Clarissimo, nelle historie di Trogo Pompeio, novamente in lingua toscana tradotto : et con summa diligentia et cura stampato. *In fine :* Finisse il

Libro di Justino Historico abreviatore di Trogo Pompeio posto diligentemente in materna lingua. Et stampato nella inclita Citta di Venetia per Nicolo Zopino e Vicentio compagno. Nel. M. D. XXIIII Adi x. de Novembrio. Regnante lo inclito principe Messer Andrea Gritti. 8. — Ex superiore expressa, mutatis tantum quibusdam ad orthographiam et interpunctionem spectantibus.

1526. Justino, etc. *In fine :* Finisse, etc. Et Stampato in Vinegia per Gregorio de Gregorj. Ne l'anno M. D. XXVI. del mese di Aprile. 8. — Repetitio ed. antecedentis.

1535. Giustino Historiographo clarissimo, nelle Historie di Trogo Pompeo, Nuovamente in lingua Tosca tradotto et con somma diligenza et cura stampato. *In fine :* Finisse, etc. Et Stampato in Vinegia per Pietro de Nicolini da Sabio. Ne l'anno M. D. XXXV. Del mese d'Ottobrio. 8.

1542. Justino, etc. (*ut* 1524.) *In fine :* Finisse, etc. Et stampato in Vinegia per Bernardino de Bindoni Milanese. MDXLII. 8.

1561. Giustino Historico nelle Historie di Trogo Pompeo, tradotto per *Thomaso Porcacchi.* In Vinegia, appresso Gabriel Giolito de' Ferrari. 4.

1590. Giustino Historico illustre, ne le historie esterne di Trogo Pompeo, tradotto dal Sig. *Bartolomeo Zucchi*, da Monza. Coll' aggiunta de gli Argomenti a ciascuno Libro, con le Postille in margine de le cose, che vi si trattano; e con due copiosissime Tavole : Una di tuto quello piu segnalato, che in queste Historie si comprende : L'altra de le Provincie, Popoli, Città, Castella, Monti, Mari, e Fiumi, de' quali si fa mentione; co' lor nomi antichi, e moderni, a gusto di chiunque si compiace de la Geografia, et de le Historie. In Venetia, presso il Muschio. M. D. LXXXX. 4.

1730. Giusto, etc. (*ut* 1561) per *Thomaso Porcacchi.* In Vinegia, appresso Christoforo Zane. 8.

TABULA RERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS.